



Recc. Je Mauring A.107

FLORES
CASVVM
CONSCIENTIÆ

Cum nouis Additamentis
varijs valdè Curiosis,
ac necessarijs.



CASVVM MORALIVM

Ex selectis Doctoribus decerpti

FLORES

Ad omnium vsum, & maximè ad militiæ Ecclesiasticæ adscriptorum, & adscribendorum vtilitatem, & commoditatem.

Vnà cum damnatis propositionibus.

AVCTORE

IO: LVCA FENECH

I. V. D. MELITENSIS

In Templo S. Nicolai in Arcionibus Almæ Vrbis Romæ, Parocho, ac Rectore.



VENETIIS, M. DC. XCI.

Apud Gasparem de Stortis.

SVPERIORVM PERMISSV.

LECTORI.


Ostquam in lucem annis præteritis opuſculum, dictum Examen generale; ſeu Compendium Theologiæ Moralis, emiſerim; Nouiter ad componendum, & Typis mandandum aliud magis copioſum, ab aliquibus impulſus ſum; Ideò, cùm non valuiſſem eis reluctari; motus ſum ad Typis mandandum hoc Opuſculum ita clarum, vt maximacum facilitate intelligi poſſit. Tu, benigne Lector; ſi quid dignum approbatione inueneris, legito; ſi quid verò aliqua ratione videbitur excuſandum, tenuitatem mei ingenij excuſato. Vale.

AD IOANNIS LVCÆ FENECH

Auctoris Laudem.

Antonius Vecchionus Sacerdos, & Canonicus Rossanen. fecit.



Vod maximum esse debeat iuuamen, quando opportuna mortalium necessitatibus remedia adesse videntur, quis ignorat? nam si ad mortem illæ, ad vitam ipsa tenderent, vt sic oppressa morte vita triumpharet: Gaudete igitur omnes ô Mundani Ciues in ipsius Ioannis Lucæ sui ingenij radijs Orbem accendentis, tenebrasque operientis apparitione, quia opportuna, ac necessaria nostra pro salute medicamina præbuit, & faciliùs præbet; Pro salute inquam, tam corporis, vt suos, quos debet, dirigat gressus, quàm animæ, vt post huius vitæ cursum ad Cælestem, quam desiderat, patriam perueniat. Respicite quæso sui quæ gessit Ingenij acumine; Nam quæ problemata ipse scripsit Diui Ioannis, & Diui

Lucæ

Lucæ veſtigia ſequutus, clarè omnibus, apertiſque litteris oſtendit; O ter quaterque felix, qui benè, vt Aquila ſua luce maius reſpiciens lumen Diuum obſcuris in explicandis Ioannem, & veluti Bos terram, vt mortalibus fructum præbeat aperiens; Diuum in ſeminando inſectatus fuiſti Lucam; O felix Fenech, Te dicam Fenicem, cùm non ſemel, ſed iterum tua reuiuiſcis laude; Nec te talia ſuauitatem ferentia gerere mirum; Nam proprium eſt Fænicis, quæ odoris, ac ſuauitatis ſunt petere. Viuito igitur ſemper, ò beate Fenech, nam ſicut tua per orbem viuit, & viuet virtutum fama, ſicque in Cælis ſuo tempore viuet & anima, &c.

D. IOANNES
LVCAS FENECH
I.V.D. MELITENSIS.

Compendij Casuum Conscientiæ Auctor.

EPIGRAMMA.

Sic animi labes latet; vt latet anguis in herba
Nulla fides pulchra est, mors speciosa venit.
Splendorem maculis addis, tu cogis in auras
Prodere serpentem, luce sepultus obit.
Iam poterit Melita Paulo subiungere Lucam,
Anguibus occultam pellit vterque luem.

Franciscus Surdus Melitensis.

AD AVCTOREM
D. IOANNEM
LVCAM FENECH

Vtroque Iure Laureatum.

Iulij Viti Collegiatæ Cupertini Sacerdotis
Neritonen. Diœcesis,

EPIGRAMMATON.

Præstanti resonas Fenech, dum munere lingua,
Ex animas Animas, exanimata animas.
Iure igitur decorat tua lauro tempora, Teque
Iuridica æterno germine virgo beat.
Facta canit veluti Victorum Illustria Laurus,
Eximias in te sic notat illa notas.

DE

DE SACRAMENTIS IN GENERE.



ACRAMENTI nomen continet in se diuersas significationes. Aliquando significat secretum, iuxta illud Tobię.12. Sacramentum Principis abscondere bonum est. Aliquando significat iuramentum, *can. si iura mentorum.22.q.4. Authentica sacramenta puberum, C. si aduersus venditionem.* Aliquando mysterium, iuxta illud ad Timotheum 3. Magnum est pietatis mysterium. Aliquando rem sacram; & de hac vltima significatione in præsenti loquimur.

2 Sacramentum ita definitur; est signum rei sacræ, aut formæ visibilis inuisibilis gratiæ, ita S. *August. in lib.* 10. *de Ciuitate Dei, & D.Thom.* 3.*part quæstione* 50.*articul.*2.

3 Sacramenta nouæ legis sunt septem, nec plura, nec pauciora, iuxta Concilium Tridentinum *sess.7.can.*1. Baptismus, Confirmatio, Eucharistra, Pænitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium, & hoc est de fide, & declarauit hæreticum esse asserere; quòd sacramenta nouæ legis sunt plura, vel pauciora septem, aut quòd non differunt ab illis veteris legis, aut quòd ista tria, idest baptismus, confirmatio, & ordo non imprimunt characterem in anima, quiquid character est signum quoddam in anima, impressum, qui deleri non potest, & ob quem ipsa reiterari non possunt. reliqua verò quatuor

reiterati possunt, ex eo quia non imprimunt characterem.

4 Ratio magis efficax, quare sunt instituta septem, accipi potest ab analogia ad vitam corporalem; sicuti benè obseruat *S. Th. 3. p. qu. 65. ar. 1. Filliucc. tract. 5. cap. 2. quaest. 8. art. 49.* sicuti homo in vita corporali. Primò generatur, Secundo nutritur, Tertiò augumentatur, Quartò curatur ab infirmitate, Quintò armatur in sui defensionem ad prælium, si opus fuerit, Sextò operam nauat humanæ propagationi ad conseruandam Rempublicam, Septimò constituitur in dignitate ad homines gubernando; Ita in via spirituali. Primò regeneratur per Baptismum, Secundò nutritur, & accipit vires per confirmationem, Tertiò augetur, & crescit ob Eucharistiam, Quartò curatur à morbo per pænitentiam, Quintò armatur ad prælium per extremam vnctionem, Sextò licitè intendit propagationi humanæ per matrimonium, Septimò constituitur in statu honorifico per ordinem.

5 Ante legem Euangelicam assignari possunt tres status. Primus status innocentiæ, in quo fuit creatus Adam cum iustitia originali. Secundus naturæ, & durauit vsque ad Moysen, & appellatur status naturæ, quia nondum erat imposita, & scripta lex diuina positiua. Tertius appellatur status legis scriptæ, qui cæpit à Moyse, & durauit vsque ad aduentum Christi.

6 In statu innocentiæ non fuerunt sacramenta; Ratio est, quia non constat quænam in eo statu fuerint, ita *Bon. de sacram. in gen. p. 3. nu. 2. S. Th. 3. p q. 6. ar. 2. Filliuc. tr. 1. c. 3. q. 3.*

7 In statu naturæ extiterunt aliqua sacramenta; Ratio est, quia non est credibile Deum qui vult homines saluos fieri relinquere in illo statu homines sine remedio. quo saluari possent: hoc au-

autem remedium erant sacramenta, & hæc saltem duo fuerunt.

8 Primum fuit remedium pro paruulis, quod quidem remedium iustificabat ad modum operis operati, & consistebat in externa protestatione fidei, facta a parentibus, qua protestabantur, omnes esse saluandos per aduentum Christi; etenim infantes iustificari dicebantur in fide parentum, cùm infantes vsum rationis non habentes, non possent applicare sibi ipsis remedia, necesse erat, hoc remedium illis ab alijs applicaretur per externam fidei protestationem.

9 Secundum fuit sacrificium pro adultis, nam sicut erat institutum remedium pro originali, erat etiam conueniens, vt institueretur aliud pro actuali peccato; sed quia nullum aliud remedium congruentiùs dicere possumus fuisse institutum pro actuali quam sacrificium; igitur sacrificium fuit institutum pro adultis *Bonac. vbi sup. n. 7. Suar. disp. 4 sect. 2. & Henriq c. 5 n. 6.*

10 In statu legis scriptæ fuerunt aliqua sacramenta; hæc propositio clarè colligi potest *ex S. Th l. c. ar. 3. ad tertium*, circumcisio, sacrificium, agnus paschalis, & alia.

11 Sacramenta veteris legis erant propriè sacramenta. Ratio est, quia Tridentinum maximam differentiam assignat inter veterea, & noua, igitur Tridentinum supponere videtur, Sacramenta veteris legis fuisse propriè sacramenta; *Bon. de Sacram. in genere pun. 3. num. 11. Suarez. disp. 10. sect. 2. Sayrus l. 5. de sacramentis c. 3. n. 3.*

12 Circumcisio à Deo fuit instituta & tradita Abrahamo quadringentis annis ante legem scriptam Moysi datam; & obligabat omnes descendentes ab Abrahamo, & omnes illi qui ex Abrahamo non descendebant, poterant circumcidi, sed adstricti non erant. Ratio, est, quia

fuit tradita Abrahamo, & obligabat omnes suos descendentes, vt colligitur ex Genesi.27. Tam emptitius, quam vernaculus circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra: vbi obseruandum est, illud verbum circumcidetur importat capacitatem circumcisionis, licet non praeceptum. *Bonac.disp.1.q.1.pun.3.§.vnico n.2.*

13 Circumcisio instituta fuit ad delendum peccatum originale, vt clarè colligitur ex Gen. 17. vbi sunt hæc verba; Masculus, Cuius præputij caro circumcisa non fuerit delebitur anima eius de populo suo; hoc loco argumentari solet Masculus non circumcisus die 8. non saluabatur, sed circumcisus saluabatur.

14 Circumcisio conferebat gratiam non solum Pueris, sed etiam adultis sola attritione. Ratio est, quia circumcisio conferebat gratiam; igitur ptiam illis conferebat adultis sola attritione, sine rigorosa contritione; alias gratia non fuisset collata per circumcisionem sed per contritionem. *Vide de hac materia S.Thom.q.70.*

15 Tria sunt sacramenta necessaria simpliciter; Baptismus cuilibet; Pænitentia illi, qui mortaliter peccat post baptismum; & Ordo in communi ecclesia, alia verò sacramenta sunt necessaria ad benè esse. *ita S.Thom.3.p.q.65.ar.4.* & communiter Theologi.

16 Omnia sacramenta nouæ legis conferunt gratiam, ita est determinatum in Trid.*sess.* 7. de sacramentis in communi, vbi clarè excommunicat illos, qui contrarium sentiunt, immò declarat illos hæreticos: dummodo tamen non reperiatur obex ex parte recipientis,

17 Aliqua sacramenta conferunt ex sua institutione primam gratiam, vt patet in baptismo, & pænitentia: aliqua sacramenta non conferunt primam gratiam ex sua institutione. Ratio est, quia

quia omnia ſacramenta; præter baptiſmum, & pœnitentiam inſtituta ſunt ad augendam gratiam, & ſupponunt ſuſcipientem conſtitutum in gratia, & quamuis non omnia ſacramenta ſint inſtituta ad conferendam primam gratiam per ſe, nihilominus eam aliquando conferunt. Ratio eſt, quia quamuis ſacramentum baptiſmi,& pœnitentiæ, inſtitutum eſt ad producendam primam gratiam, nihilominus producere eam poteſt ſecundam vt patet in eo, qui accidet ad baptiſmum poſt elicitum actum contritionis, cùm per contritionem conferatur gratia *S. Th.* 3. *part. qu.* 99. *art.* 8. *ad tertium, Regin. lib.* 26. *nu.* 45. *Bon. diſp.* 1. *q.* 4. *p.* 2. *nu.* 2. *Sotus, & alij communiter.*

18 Sacramenta veteris legis non conferebant gratiam per ſe ipſa. Ratio eſt, quia ſi contuliſſent, non fuiſſet neceſſaria paſſio Chriſti; at eam præfigurabant conferendam ob paſſionem Chriſti, *Bon. vbi ſup. pun.* 4. *n.* 7. Idem fuit definitum in Tridentino *ſeſ.* 7. *can.* 2. 6 & 7. & largè id demonſtrat *S. Th.* 3. *p. qu.* 62. *art.* 6.

19 Quodlibet Sacramentum conſtat ex materia, forma, & intentione miniſtri. *S. Th.* 3. *p. q.* 6. *art.* 4. & ſequenti.

20 Duplex eſt materia, proxima, & remota, vt clarè colligitur in ſacramento baptiſmi; materia remota eſt aqua naturalis; in confirmatione eſt Chriſma cum oleo, & Balſamo; in Euchariſtia eſt panis, & vinum, in pœnitentia ſunt peccata; in extrema vnctione ad oleum benedictum; in ordinatione ſacerdotali eſt calix cum vino, & patena cum hoſtia; in matrimonio denique ſunt ipſi contrahentes.

21 Materia proxima ſacramentorum in baptiſmo eſt ablutio; in confirmatione, & extrema vnctione, eſt vnctio; in Euchariſtia ſunt ſpecies panis, & vini, & in pœnitentia ſunt actus pœniten-

nitentis; in ordinatione ſacerdotali eſt porrectio Calicis cum vino, & patena cum hoſtia; in matrimonio eſt ipſamet traditio corporum; vt melius dicemus in proprijs quæſitis.

22 Sicut materia ſacramentorum eſt determinata, ita etiam forma, & ſi forma, aut verba formaliter, aut in ſubſtantia mutarentur, ſacramenta non tenent; ſed ſi mutarentur materialiter, aut accidentaliter, ſacramenta ſunt valida. Ratio eſt, quia variatio accidentalis non mutat ſubſtantiam rerum, *Bellarm.l* 1.*c*.3.*Regin.lib*.26.*num*.2. *Bon.loc.cit q*.3.*nu*.13.

23 Requiritur etiam intentio miniſtri in quolibet ſacramento, vt ſupra diximus. Miniſter eſt cauſa miniſterialis, qui concurrit ad conficiendum ſacramentum in nomine, & in virtute Chriſti, & poteſt etiam dici inſtrumentum conferendi gratiam primo Corinth. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei, ita *S.Th.qu*.64.*art*.1.*Bonac.qu*.3. *num* 8.

24 Obſeruandum tamen eſt, quòd miniſter, qui adminiſtraturus eſt ſacramenta, habere debet poteſtatem. Ratio eſt, quia ſine poteſtate non poteſt facere aliquid, & actus ſupponit poteſtatem. Qua propter qui non habet poteſtatem conficiendi ſacramentum, & nihilominus attentat illud conficere, non ſolum committit ſacrilegium, ſed etiam alia peccata ob qualitatem circumſtantiarum, v. g. ſi clericus, aut laicus carens ordine ſacerdotali attentat conficere Euchariſtiam, aut impedire abſolutionem ſacramentalem alicui perſonæ, erit reus multorum peccatorum, vt idolatriæ, & iniuſtitiæ ob ſuſcipientis deceptionem. *Bon.diſp*.1.*q*.3.*p*.1.*n*.2.

25 Triplex eſt intentio, actualis, virtualis, & habitualis. Actualis eſt, quando quis intendit

dic actualiter conficere sacramentum. Virtualis est illa quæ postquam præcessit virtualiter, adhuc durat in aliquo opere inchoato, nec moraliter est interrupta per interpositam longam moram temporis: vt quando quis habens intentionem consecrandi, accedat ad Ecclesiam, præparet necessaria, proferat formam consecrationis absque noua intentione, tunc dicitur conficere cum intentione virtuali. Habitualis est illa, qua quis aliquid facit ex habitu, nulla præcedente intentione, vel si intentio quæ præcessit, sit moraliter interrupta, vt qui hesterna die habuit intentionem consecrandi Eucharistiam, quam hodie consecrat absque noua intentione; ita communiter Doctores.

26 Regulariter loquendo bonitas ministri non est necessaria ad validandam sacramentorum administrationem. Ratio est, quia licet minister sit improbus, aut hæreticus, habet potestatem conficiendi sacramenta, nam retinet Characterem indelebilem, per quem confertur potestas ea conficiendi, & per quem operatur in virtute Dei, qui talem potestatem collatam non aufert propter peccatum; alioquin sequeretur, aliquando in vanum suscipientem suscipere sacramenta, & illis priuari, & eorum effectibus, *S. Thom. 3. part. quæst. 64, ar. 5, Filliuc. tr. 2. c. 4 qu. 8. Bon. loc. cit. punct. 2. nu. 1. §. 1.*

27 Dixi (regulariter) quia aliquando sacramenta non bene administrantur à ministro improbo, vt sacramentum pœnitentiæ, quando administrabitur ab excommunicato vitando, non erit validum. Ratio est, quia sacramentum pænitentiæ iurisdictionem requirit in sacerdote, qui administrat, & sacerdos, qui est excommunicatus vitandus, caret dicta iurisdictione; sequitur sacramenta pœnitentiæ inualidè administrari

niſtrari ab excommunicato vitando, ita communiter Doctores; præcipuè *Bon. loc. cit.*

28 In quolibet ſacramento tria reperiuntur Sacramentum, Res ſacramenti, & ſacramentum, & res ſimul. Qui recipit Sacramentum in peccato mortali, recipit Sacramentum, ſed non rem Sacramenti, ideſt gratiam. Qui accipit ſpiritualiter, recipit gratiam, ſed non ſacramentum, & eſt, quando quis deſiderium habet baptiſmum ſuſcipiendi, & elicit actum charitatis, ſed commoditatem non habet, tunc ſi moritur, ſaluabitur, & idem dicendum eſt de exiſtente in peccato mortali eliciente actum contritionis, & dicitur tunc recipere gratiam, ſed non ſacramentum. Qui recipit ſacramentum, recipit vtrumque, ideſt gratiam, & ſacramentum ſimul, vt colligitur *ex c. cum Marta §. diſtinguendum de celebrat. Miſſarum.*

29 Nullus eſt ſubiectum capax ſacramentorum præter hominem, in hac mortali vita degentem. Ratio eſt, quia ſacramenta ſunt inſtituta ob ſalutem humanam, & in remedium peccati: igitur ſolus homo eſt ſubiectum capax ſacramentorum, dum in hac vita degit; Hinc arguitur Angelos non eſſe capaces ſacramentorum, Angeli enim ſunt ſpirituales, & ſacramenta conſiſtunt in rebus materialibus, ita *Bon. qu. 6. n. 2. & 3. Fill tr. 1. cap. 10. quæſt. 1. Reginal. lib. 26. n. 50.*

30 Adminiſtrari non debent ſacramenta publico peccatori, qui indignè petit; tam ſi illa petat publicè, quàm priuatè. Ratio eſt, quia apponi non debent margaritæ ante porcos, neque peccatori occulto, quando illa occultè petit, ſecus ſi publicè petat. Ratio eſt, quia ſicut Chriſtus non denegauit ſacramentum Iudæ, ita neque miniſter denegare debet ſacramentum peccatori occulto, petendo illud publicè, *S. Th.*

qu. 8.

qu.8.art.6. Syluester, verbo Eucharistia 3.num. 7. Bon.punct.4.Reginal.loc.cit.n.62.

31 Hinc clare colligitur, quod expelli non debet à sacramentis peccator occultus, quando publicè petit, quoties expelli non potest sine scandalo, & infamia, nam tunc non adest iusta causa administrandi indigno sacramentum, *Bon. loc.cit.nu.5.Suarez disp.67.sect.4.in fine.*

32 Ob necessitatem iustam, & rationabilem causam licitum est petere, & recipere sacramentum à quolibet sacerdote, quem scimus administraturum in peccato, habente potestatem, & iurisdictionem. Ratio est, quia vtimur iure nostro, petendo, & recipiendo sacramenta: Extra casum necessitatis, & rationabilem causam non est licitum petere sacramenta ab illo sacerdote, quem scimus administraturum in graui peccato, aut sit Parochus, vel non, Ratio est, quia charitas obligat ad impediendam ruinam, & peccatum proximi.S.*Th.qu.65.art. 6.ad secundum Filliuc.c.tr.* 1.*c*.8.*qu*,6.*Bonac.pun.*5.*n.*1.*Tolet l.*1.*c*.88.& alij communiter.

33 Hinc sequitur non posse ob iustam, & rationabilem causam petere sacramenta à nostro parocho, quem probabiliter scimus administraturum in peccato sine contritione. Ratio est, quia vt diximus, vtimur iure nostro; hoc tamen locum habet quando difficile est alium inuenire confessorem, qui dignè sacramentum administret; nam quilibet tenetur euitare ruinam proximi, vt diximus paulò antè.*Bon.loc.cit.nu.*2.*Nauarrus c.*4.*nu.*22. *Sotus de iustitia, & iure, qu.*1. *art.*5.*Siluester, & alij.*

34 Addo etiam illum, qui paulò antè sacerdotem videt peccantem, ab eo posse petere sacramenta, quàmuis ille non teneatur ex officio administrare, quando tamen sperare potest, il-

lum

lum non administraturum in peccato, quando v. g. eliciat actum contritionis. *Reginald.l.1.n.167. Bon.l.c.nu.6. Sayrus*, & alij communiter.

DE SACRAMENTO Baptismi.

1 Baptismus est ablutio exterior corporis facta sub tali verborum forma.

2 Triplex est baptismus, fluminis, flaminis, & sanguinis, quilibet ipsorum appellatur baptismus, quia supplet eius vicem. Flaminis est pænitentia, aut dolor perfectus peccatorum ob amorem Dei; iste dolor appellatur baptismus, quia aliquando supplet defectum eius; nam qui realiter suscipere non potest baptismum, obtinet remissionem peccatorum non solum actualium, sed etiam originalis, si actum pænitentiæ, & contritionis elicit cum proposito recipiendi baptismum, vt colligitur ex S. Luca 3. vbi dicit Prædicans baptismum pænitentiæ in remissionem peccatorum. Sanguinis est martyrium, qui aliquando supplet vicem baptismi; Quamobrem si quis accipere non potest baptismum aquæ, & antequam illum receperit, accedit ad martyrium, consequitur remissionem omnis culpæ, & totius pænæ. Fluminis est verus, & propriè baptismus, & proprium sacramentum, quod administratur. *Bon. de Baptismo disp.*2.

3 Materia baptismi duplex est, proxima, & remota est aqua naturalis, vt clarè constat non solum ex definitione Tridentini, *sess.7. can.* 1. de baptismo, sed etiam ex Matthæi 3. quando Christus baptizatus fuit à Ioanne in Iordane, Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, non potest introire in Regnum Cælorum, & hoc sacramentum illo tempore fuit institutum.

4 Hinc

4 Hinc primò sequitur grauiter peccare illum, neque validè baptizare, qui vtitur aliqua aqua præter naturalem, vt v.g. si vtatur sudore, lacrymis, vrina, sputo, aquis rosarum, aquis artificialibus, & alijs aquis, quæ habent speciem differentem ab aqua naturali. Secundò sequitur validè baptizare illum, qui vtitur aqua maris, pluuiæ, stagni, etiam si nasceretur ex sulphere; nam ista est aqua vera, & hoc verum est, aut sit aqua calida, aut frigida, aut colore tincta S. *Tho. qu.66. art.4. Regin.l.17.nu.11. Bonac loc.cit punct.3.num. 2.& 3. Toletus lib.1.c.18. nu.4.* Potest etiam fieri in aqua fluente ex latere Christi, quia illa fuit vera aqua secundùm S. *Thom.3.p.q.69.art.3.*

5 Hinc etiam sequitur, validè eum baptizare, qui vtitur aqua, quæ profluit à gelu, à niue, aut sale, nam sal fit ex aqua naturali salsa, & differt solum accidentaliter ab aqua naturali, ita S. *Thom. loc. cit. art. 3. Bon num. 4.*

6 Aduertendum tamen est, quod glacies, & nix non sunt apta materia. Ratio est, quia requiritur aqua apta ad abluendum, sed glacies, & nix non sunt apta materia ad abluendum, nisi prius liquefiant, & in aquam resoluantur. *S. Tho.3.p.qu. 66. art. 4. Syluester, verbo baptismus, qu. 2. Bon. loc. cit. n.5. Regin. loc. cit. num. 12. Filliucc.*

7 Aduertendum est etiam, non rectè, nec validè baptizare eum, qui vtitur aqua naturali, quæ ita alterata, & mixta cum alio corpore, & liquore sit, vt non sit amplius apta materia ad abluendum; hæc enim non appellatur amplius aqua naturalis? Quamobrem brodium, aut lixiuium bene coctum, aut lutum, aut vinum modica aqua mixtum, aut alia, quæ ita mixta sunt, vt non possint amplius appellari aqua, non possunt pro materia baptismi inseruire. *Filliucc. nu. 28. Bonac. num. 6. & alij.*

8 Quan-

8 Quando dubitatur, an sit aqua naturalis, & materia apta baptismi, non est licitum illa materia vti. Ratio est, quia adest periculum conficiendi sacramentum nullum, & inualidum, sed in necessitate est licitum, quando non reperitur aqua naturalis, & certa; nam melius est aliquem baptizari cum materia, de qua dubium est, an sit apta ad baptismum, qui in nullo modo baptizari; nam esse potest, vt sit apta, & vera materia, & consequenter verus baptismus, & baptizatus saluetur, sed in hoc casu si supravixerit baptizatus, rebaptizari debet sub conditione, cum debita materia, & consueta. Ratio est, quia adest iusta causa, estque etiam licitum conferre baptismum conditionaliter, cum fieri possit, vt baptismus præcedens sit inualidus. *Reginal. loc.cit.n.*13.*Bon pun.*3 *nu.*10.& multi alij.

9 Materia baptismi proxima est ablutio, ita communiter.

10 Vt sit validum baptismi sacramentum requiritur, vt illa pars corporis ablui debeat, qua abluta, appellatur verus homo ablutus.

11 Hinc sequitur non esse validum baptismum, si aqua solum tangeret vestes, pileum, aut aliquid aliud extra carnem. Ratio est, quia dici non potest ablutus, si verè baptizandus sit coopertus aliquo panno lineo, ita vt aqua attingat carnes, validus est baptismus, quia dici potest ablutus. Idem dicendum est, si baptizatus infans natus cum pelle secundina, vt aqua penetret, & perueniat ad carnes infantis. *Ita Syluest. verbo Baptismus* 4.*n.*2.*Filliucc.tr.*2.*c.*2.*q.*5. *Regin. loc.cit. & Bonac nu.*12.

12 Hinc sequitur validum esse baptismum, si caput abluitur, hoc enim est membrum principale hominis, quo abluto, dici potest ablutus, & hic videtur vsus ecclesiæ S. *Thom. in* 4. *sent. dist.*3.

dist.3.quaest.1.art.4. & in 3.part. quaest. 66. art.7

13 Ex hoc clarè colligitur, non deb ere rebaptizari Infantem, postquam totaliter fuerit egressus è ventre, si antequam fuerit egressus, in capite fuit baptizatus, vt ait *S.Thom.* secus si solum pes, aut brachium abluitur, non videtur validus baptismus. Ratio est, quia per huiusmodi ablutionem non videtur denominari posse sufficienter homo ablutus, licet in necessitate baptismus administrari debeat in aliqua corporis parte etiam in digito, si non possit in capite baptizari; transacta tamen necessitate, rebaptizandus est sub conditione, si non es baptizatus, &c. ita *S. Thom. in 4. sent. dist 6. qu. 1. art. 1. Syluester verbo, Baptismus 4. quaesito 2. Bon. punct. 3. num. 23. & 24.*

14 Baptizari non potest infans existens in ventre materno totaliter, sed si aqua immitti possit, vt perueniat ad infantem, tunc in hoc casu in necessitate fieri potest baptismus, eo modo, quo potest fieri, ita practicatur, & obseruatur, pro vt audiui à meo lectore fuisse practicatum hic Romae, & obseruatum domi suae *S. Thom. 3. p. q. 8. Regin. l. 17. n. 16. Bon. n. 25.* Filliuccius tamen, & alij contrarium sentiunt.

15 Quando infans in pericuio mortis existit, sed quia non adest aqua, qua baptizari potest, proijci potest in flumen, aut in puteum, proferendo formam baptismi, hoc tamen fieri non debet, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, sed si fit, baptismus tenet. Ratio est, quia sunt omnia requisita ad Baptismum, ita *Bonacina dicto punct. 4. nu. 27. Reginal. nu. 21. Filliuc. tract. 2. cap. 2. qu. 8. Suar. disp. 20. sect. 3. vers. quapropter;* neque in hoc casu si infans supra uixerit rebaptizandus est, quia ibi non defuit neque verbum, neque elementum; & istum casum de facto accidisse, refert Syluest. *verb. Baptismus 4. nu. 8.*

De Forma Baptismi.

16 FOrma baptismi sunt hæc verba; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, prout non solùm constat ex Matthæi 18. vbi ait: Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, sed etiam ex *Alex. III. cap. 1. de Baptismo*.

17 Circa prædictam propositionem aliqua sunt aduertenda, quæ colligi possunt ex propria propositione. Primò exprimi debet persona, quæ baptizatur, aut dicat te baptizo, aut dicat baptizo hoc, aut baptizo Petrum, ita colligitur ex dicto *cap. 1. de Baptismo*.

18 Hinc nascitur difficultas, an sit exprimenda persona, quæ baptizat, sicut exprimenda est persona, quæ baptizatur vt diximus modò.

Respondeo, non esse necessarium directè exprimere personam ministri. Ratio est; quia sicut in forma Græcorum consueta non exprimitur directè persona ministri, quæ baptizat, cum sit hæc forma: Baptizetur seruus Christi, igitur non est necessarium exprimere, & dicere ministri personam, ita *Syluester verbo Baptismus 1. nu. 12. Filliucc. tr. 2. c. 3. qu. 1. Bon. pun 4. nu. 3. Reginal. l. 27. c. 4 num. 24* & alij.

19 Secundò exprimendum esse actionem, quæ exercetur circa eum, qui baptizatur, siuè exprimatur per verbum baptizo, siuè per verbum abluo. Ratio est, quia forma est hæc (ego te baptizo, &c.

20 Tertiò exprimendam esse vnitatem diuinæ essentiæ, nam in forma baptismi dicitur in nomine, quod quidem verbum demonstrat vnitatem essentiæ, vt benè dicit S. Ambrosius in libro

bro de Spiritu Sancto ; Quamobrem si quis baptizatus dicat (ego te baptizo in nominibus Patris) aut dicat (ego te baptizo in nomine Patris , in nomine Filij , in nomine Spiritus Sancti) inualidè baptizat , vt clarè inquit Bonacina dicto *pun.4.num.5.* & multi alij apud *Reginal. loc. citat. nu.3.* nam dicendo in nomine Patris, in nomine, Filij, in nomine Spiritus Sancti, non demonstratur vnitas diuinæ essentiæ . Item si loco particulæ in nomine, dicatur, baptizo te cum Patre , cum Filio , cum Spiritu Sancto , inualidus erit baptismus , quia non exprimitur vnitas diuinæ essentiæ. *Filliucc.tr.2 c.1.q* 10. *Bonac. vbi supra* .

21 Quartò exprimendas esse tres Sanctissimæ Trinitatis personas , vt patet ex illis verbis : Baptizantes eos in nomine Patris , & Filij , & Spiritus Sancti . S.Thom. communiter acceptus *3 p.qu. 66.art,5.*

22 Hinc sequitur , inualidè baptizare eum qui hac forma vtitur : Ego te baptizo in nomine Christi , aut in nomine Sanctissimæ Trinitatis . Ratio est , quia non exprimit personas Sanctissimæ Trinitatis , quorum expressio explicita est necessaria ad validitatem baptismi, & non sufficit implicita. *Reginal.n.18.& 30. Bonacina nu.6. Filliucc. tract.2.capit.3 quæst.8. & alij apud citat. Doctores*, & licet in primitiua Ecclesia fœminæ , & homines in nomine Christi baptizarentur , erat tunc per specialem reuelationem Spiritus Sancti , vt nomen Christi , quod erat perfidis , & incredulis odiosum , honorabile redderetur ; & licet habeatur in decretali *de consec. dist.4. canone à quodam* , quod baptizati in nomine Sanctissimæ Trinitatis , non sunt rebaptizandi ; nihilominus illa decretalis intelligatur explicitè , vt benè ait glossa in dicto canone .

23 Erit verus baptismus , omittendo illud

ver-

verbum, amen, & ego. Ratio est, quia non mutatur formæ sensus, & cùm non sit materia grauis, non peccat mortaliter baptizatus, ita tenet. *Bon.nu.26.Filliucc.tr.2.cap 3. qu.11. & alij apud Henriquez l.2.cap.8.nu.6.*

24 Non valet baptismus, si quis dicat, nos te baptizamus, si persona baptizans sit persona particularis. Ratio est, quia ly nos, in persona particulari significat, ego, & tu, & consequenter mutaretur sensus formæ; sed si esset persona in dignitate constituta, vt Pontifex, vel Cardinalis, vel alia persona, erit verus baptismus. Ratio est, quia quando loquitur persona in dignitate constituta (ly nos) idem est, quod (ego) ex communi vsu loquendi, sed baptizans peccat. *S. Thom.3.p.q.66.art.5.Syluest.Angelus & alij.*

25 Inualidus est baptismus, quem quis, sibi ipsi confert, dicendo (ego me baptizo.) Ratio, est quia vt paulò anteà diximus sensus formæ mutatur, & sicut nemo se ipsum generare potest, ita neque se ipsum baptizare, cum baptismus sit generatio spiritualis, & Christus dixit, Matth.17. Docete omnes gentes baptizantes eos, &c. & non dixit baptizantes vos vt clarè constat etiam ex *Trid.sess.21. can.2. S Tho.3.p. q.66.art.5.ad tertium. Bon.n.20.* vbi dicit, quòd nemo recipere potest reliqua sacramenta à se ipso, præter Eucharistiam.

26 Non esse validum baptismum, quando duo concurrunt ad aliquem baptizandum, vno verba dicente, altero verò exercente actum, vt si quis baptizandus sit, & non inuenirentur nisi duæ personæ, quarum vna manibus caret, & altera lingua. Ratio est, quia mutatur sensus formæ, & forma efficitur falsa nam si proferens verba dicat; Ego te baptizo, &c. realiter non baptizat ipse, sed solùm dicit formam, & alter interim

tim abluit, ita *S.Th.3.p.q.67.art.6.Reg.l.8.nu.43. Filliuc.tr.2.c.4.q.5.n.76.Bon.n.23.*

27 Quando duo concurrunt ad baptismum, & quilibet eorum non solùm abluat, sed etiam proferat formam, & independenter ab intentione aliena, est validus Baptismus, vt clarè constat in missa sacræ ordinationis, in qua consecrant omnes sacerdotes, sed si intendat baptizare dependenter ab intentione alterius, non validè baptizat, siuè singuli eorum dicant: Ego te baptizo, siuè nos te baptizamus; nam si dicant: Ego te baptizo, est falsa forma, quia neuter eorum per se baptizat, sed cum alio; si dicant nos te baptizamus, adhuc est falsa forma, & mutatur sensus formæ, quia idem est dicere; Nos te baptizamus, ac dicere; Egò, & tu, *S.Th.3.p.q.66.art.5 ad quartum*, Bon.n.5.*Filliuc.tr.2.c.4.& sequenti.*

28 Vnus Baptizare potest plures in necessitate existentes, & oportebit dicere in forma: Ego vos baptizo; nam tunc non erit formæ mutatio, neque sensus formæ, quia vos, idem est quod te, & te; hæc est opinio communis, prout refert *Syluester verbo baptismus 3.n.9 & S.Th.*

29 Esse validum baptismum alicui personæ collatum, quam minister credebat esse masculum, cùm sit foemina. Ratio est, quia licet minister speculatiuè erret, practicè tamen non errat, quia dirigere debet suam intentionem in personam præsentem, nec facit irritum sacramentum, *ita Regin.lib 26.n.42.*Bon.*pun.4.nu.26. Toletus lib 2.c.20.in fine, & multi alij.*

30 Ex hoc sequitur validam esse absolutionem, quam quis alicui impendit, quem esse virum credit, cùm foemina sit, sicut etiam Clericus alterius dioecesis, aut laicus vinculo excommunicationis accedens ad ordines suscipiendos, remanet ordinatus, licet Episcopus admouerit

iuxta ritum Pontificalis,se nolle ordinare Clericos alterius diœcesis,aut ligatos vinculo excommunicationis. Ratio est, quia in particulari, & practicè ordinare intendit hunc præsentem, *Bonac.vbi supra,Nau.c.22.n.78.Henriq. l.1.c.10.*

De Ministro.

31 Minister dupliciter considerari potest. Primo modo dicitur minister solemnitatis, cui ex officio competit ministrare cum debita solemnitate, alter dicitur necessitatis, ad quem non spectat ex officio,sed ob necessitatem administrare baptismus.

32 Solemnitatis ministri, & ex officio, est Sacerdos, vt clarè patet ex communi vsu Ecclesiæ. Necessitatis verò minister est quilibet homo,habens vsum rationis, & qui potest, & scit debitam formam proferre, & materiam applicare. *S.Th.3.p.q.66.a.5.Fill.tr.2.c.4.qu.* 1. *Bonac. punct.5.num.4.*

33 Hinc sequitur obstetrices in casu necessitatis posse baptizare, & scire tenentur baptismi formam, saltem lingua vulgari, vt subuenire possint infanti, & in periculo existenti. Ratio est, quia vnusquisque scire tenetur necessaria suæ artis,aliàs esset in culpa.*Reg. l.27.n.45.Tolet. l.2.c.19.n.7.Bon.loc.cit. n.5.*

34 Hæretici, imò Pagani conferre validè possunt baptismum,dummodo habeant intentionem baptizandi, licet adultus peccet baptismum recipiens à paganis, propter periculum non recipiendi baptismum ob defectum intentionis, aut propter periculum scandali; *Reg.loc.c.nu.44. Bonac.n.6.Tolet.l.3.cap.20.n.3.*

35 Tempore necessitatis seruandum esse hunc ordinem,vt præsente viro fœmina non baptizet,

ptizet, nec vir laicus præsente Clerico; nec Clericus, quamuis Diaconus; præsente sacerdote; neque sacerdos, præsente Parocho; tamen si baptizant, non peccant mortaliter, nisi baptizent sine licentia, & Parocho præsente, quia tūc mortaliter peccant; Ratio est, quia vsurpant alienum officium in re graui; excusari tamen possunt propter ignorantiam. *Nau in summa, c. 27. num. 102. Filliuc. tr. 2. c 4 q. 1. nu. 68. Bon dicto punct. 5.*

36 In Ministro. Primò requiritur intentio baptizandi. Secundò requiritur, vt ministri adhibeat materiam debitam, & formam, & sciat eam applicare; nam sacramentum perficitur materia, forma, & intentione ministri, vt supra diximus de sacramentis in genere.

37 In baptismo concurrit etiam Patrinus, cuius officium est leuare de sacro fonte, & solemniter respondere pro infante, & contrahit obligationem instruendi baptizatum in rebus fidei tempore necessitatis, quoties non habet parentes, vel parochum, qui ipsum instruant de rebus ad fidem pertinentibus, & licet Patrinus debeat esse vnus, vel vna, vel saltem vnus, & vna iuxta *Trident. sess. 24. c. 2. de reformat.* tamen si plures leuant, siuè tenet, omnes efficiuntur compatres *cap. fin. de cognatione spirituali in 6.* Alij contrarium sentiunt.

De Subiecto Baptismi, & dispositione suscipientis.

38 OMnes homines post Christi passionem recipere tenentur baptismum; iuxta illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c etiam si fuissent sanctificati in ventre; Nam Christus baptizauit B. Virginem, & Ioannem Baptistam, vt ait Viguerius, non ad tol-

lendam culpam in Beata Virgine, neque mortale in Ioanne, sed ad imprimendum caracterem, & alios effectus sacramenti; ita communiter Doctores, & præcipuè *Sylu. verb. baptismus* 4. *nu.* 10.

39 Subiectum baptismi est quilibet homo natus, qui in hoc corpore mortali existit, siuè sit infans, siuè adultus, siuè fœmina, siuè masculus. Ratio est, quia baptismus est omnibus necessarius, vt paulò antè diximus.

40 Hinc sequitur, Satyrum, aut ex fœmina genitum, & bestia, non esse capacem baptismi, quia non est homo, neque habet peccatum originale, nam peccatum originale trahitur ab Adamo ob virtutem virilem, *Bon. punct.* 6. *n.* 3. *S. Tho. & alij*.

41 Hinc nascitur difficultas; An monstrum generatum ex fęmina, & masculo baptizandũ sit?

Respondeo, vtique. Ratio est, quia constat corpore, & anima rationali: immò si constet duplicem habere animam, vt si habeat duo capita, aut duo corpora diuisa, bis debet baptizari, semel in vtroque capite, vel vnico actu dicendo: Ego vos baptizo; sed si dubitetur, an constet duabus animabus rationalibus, vt si habeat duo capita cum vno pectore, aut duo pectore sub eodem capite, bis baptismus conferri potest vnus absolutè in illa parte, in qua perfectiùs apparet caput, alius sub conditione in altera parte, dicendo, si non es baptizatus, ego te baptizo, *Reginald. l.* 27. *n* 65. *Bon. punct.* 6. *n.* 4. *Toletus l.* 3. *c.* 24. *n.* 6. *vers. Quarto notandum. Syluest. verbo baptismus* 3. *quæsito* 10. *& multi alij*.

42 Existens in vtero matris baptizari non potest, quia subiectum baptismi est homo natus, & non potest per baptismum renasci, quia non dum corporaliter est natus, cùm ablui non possit, *canone qui in maternis, de consecrat. distin.* 4.

hoc

hoc tamen intelligendum est vt supra dixi de Baptismo *n.* 14.

43 Obseruandum tamen est, si mater mo r itur, & filius existens in vtero credatur viuere, aperienda est mater,& infans extrahatur, & baptizetur;quamdiù mater viuit, non est aperienda, vt infans extrahatur, & baptizetur, etiam si mater ob partum moritura sit. Ratio est, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona *S.Tho.* 4.*sent.dist.*6.*q.*1.*art.*1.*Bon loc.c.n.*9. *Sylnest.verbo baptismus* 4.*n.*2.

44 Obseruandum est etiam, quòd si mater grauida ad mortem condemnatur per iudicis sententiam, differenda est executio sententiæ, donec peperit.*l.pragnantis ff.de pœnis.*

45 Non esse baptizandos filios infidelium contra voluntatem parentum, quando sunt Vassali, tributarij Principum Christianorum, vt sunt Iudæi, existentes in aliquibus ciuitatibus ob Principis concessionem. Ratio est, quia parentes existentes tributarij, aut vassalli, & non serui non amittunt potestatem in filios, sicuti non amittunt iurisdictionem, & dominium aliarum rerum; tamen si baptizentur remanent baptizari, & ad fidem seruandam cogendi sunt; sed filij seruorum baptizandi sunt cum consensu dominorum contra voluntatem parentum, & non militat eadem ratio,quam attulimus, vassallorum,& tributariorum. Ratio est, quia domini filios istorum seruorum à parentibus separare, & vendere possunt, cùm habeant dominium in parentes,& filios, & nullam iniuriam illis afferunt, quia non priuantur à dominis suo iure iniustè possesso,*Filliuc.tr.*2.*c.*6.*qu.* 8. *num.* 142. *Afflict.decis.*151.*Bon.num.* 12.

46 Hæc propositio procedit in filijs infidelium numquam baptizatorum; nam si loquimur

de filius insi delium iam baptizatorum vt hæreticorum, posse huiusmodi filios Ecclesiam inuitis parentibus baptizare. Ratio est, quia sicut Ecclesia compellere potest ipsos parentes ad seruandam fidem pœnis corporalibus, & censuris, ita etiam potest ab ipsis subtrahere filios, & eos baptizare. *Filliuc. & Bonac. loc. c. Reginald. nu. 68. S. Thom. 3. p. qu. 68. art. 10.*

47 Filij nati saltem ex vno parente Christiano baptizari possunt, inuitis parentibus. Ratio est, quia huiusmodi filij sunt subditi Ecclesiæ ex vi eorum originis, & sequi debent parentem Christianum, & est melior conditio Christiani, *Can. Iudeo, 28. qu. 1.*

48 In adulto tres dispositiones requiruntur. Prima, intentio actualis, aut virtualis recipiendi baptismum, vt constat ex illis verbis S. Augustini: Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te, idest non saluabit te, nisi consentians; nam ob baptismum recipit multas obligationes baptizatus, sed æquitas non patitur, vt qui habet vsum rationis adstringatur ad has obligationes, nisi consentiat, & intendat eas subire, suscipiendo voluntariè baptismum. Secunda est fides supranaturalis, vt clarè constat Matthæi vltimo. Docete omnes gentes, baptizantes eos &c. & Marci 11. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluabitur, qui verò non crediderit, condemnabitur. Tertia est attritio, vt constat de fide, non solum *ex Trid. sess. 6. & n. 6.* sed etiam ex actibus Apostolorum 2. vbi sunt hæc verba: Pœnitentiam agite, & baptizamini vnusquisque vestrum. *S. Th. q. 66. art. 4. Reg. loc. c. n. 639. Bonac. nu. 25.*

49 In pueris vsum rationis non habentibus Christus, & Ecclesia supplet intentionem, & dispositionem. Ratio est, quia sicut voluntas Adam sufficit ad contrahendum peccatum originale:

ginale : ita etiam sufficit voluntas, & fides Ecclesiæ respectu puerorum. Idem dicendum est de amentibus perpetuò lucida interualla rationis non habentibus *S.Thom 3.p.q.68.art. 12. Filliuccius tr.2.c.6.q.6 & 7.Bon.num.16.*

50 Hinc sequitur, non remanere, baptizatum adultum, nec recipere caracterem, si nunquam habuit voluntatem baptismi suscipiendi. Ita Doctores citati.

51 Esse validum baptismum collatum dormienti, qui petierat baptismum ante somnum, nam hic dicitur habere intentionem habitualem. Idem dicendum est de furioso, & amenti qui dum haberent lucida interualla rationis petierunt baptismum, etiam si posteà dum baptizantur resistere videantur, cùm non sit actus humanus illa resistentia, quæ tunc temporis contingit, *Henriquez lib.2.c.24.n.1.Bon.nu.19.*

52 Qui terroribus, atque supplicijs violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, talis baptismi Sacramentum suscipit, sicut etiam is, qui fictè ad baptismum accedit caracterem suscipit Christianitatis impressum, & ipse tamquam conditionaliter volens, licet absolutè non velit, cogendus est ad obseruantiam fidei Christianæ, in quo casu intelligi debet decretum concilij Toletani vbi dicitur : Quòd qui iam pridem ad Christianitatem coacti sunt, sicut factum est temporibus Religiosissimi Principis Sisibuti : qui iam constat eos sacramentis diuinis associatos, & baptismi gratiam suscepisse, & Chrismate vnctos esse, & corporis Domini extitisse participes: oportet etiam vt fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur : ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam susceperunt, vilis, ac contemptibilis habeatur. Ille verò, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit:

dicit: nam rem, nec caracterem suscipit sacramenti, quia plus est expresse contradicere, quàm minime consentire. *c. maiores, §. item quaritur de baptismo.*

De effectu baptismi.

53 Effectus baptismi tres sunt principales; Primus est gratia habitualis. Secundus est remissio totius pœnæ. Tertius est character.

54 Baptismus gratiam confert, modò tamen non sit obex ex parte suscipientis; Hæc propositio est de fide, vt patet ex Concilio Viennensi, *in Clem. vnica de summa Trinitate, & fide Catholica*, & *ex Trid. sess. 5. de peccato originali*, & communiter cum *S. Thom. qu. 69. art. 1. 4. & 6.*

55 Sacramentum baptismi non solùm confert gratiam, qua deletur peccatum originale, & actuale, sed etiam pœnam peccatis debitam: Hæc propositio est de fide definita in Florentino, in decreto Armenorum, vbi habetur: Baptizatis non imponi satisfactionem pro peccatis præsentibus; igitur baptismus delet quamlibet pœnam, ita *S. Tho. q. 69. ar. 2. Filliuc. tr. 2. c. 5. qu. 1. num 99.*

DE SACRAMENTO Confirmationis.

1 Confirmatio est sacramentum vnctionis Chrismatis consecrati, quo Episcopus vngit frontem baptizati sub certa verborum forma.

2 Sacramentum confirmationis fuit institutum in die vltimæ cœnæ, vt habetur in aliquibus concilijs, quæ referuntur à Bellarmino c. 8.

3 Mini-

3 Minister sacramenti Confirmationis, regulariter loquendo, est solus Episcopus, vt patet ex *Trid. sess. 7. can. 4. de confirmatione* (Dixi regulariter) nam ex commissione Summi Pontificis etiam simplex Sacerdos esse potest huius Sacramenti minister, vt constat clarè, ex *Canone peruenit dist. 95.* S *Tho. q. 72. art.* 11. *Bon. de confirmatione nu. 3.*

4 Chrisma debet esse consecratum ab Episcopo; nam nullus præter Episcopum consecrare potest Chrisma, vt patet ex Concilio Toletano *v. 111. c. 7.* vbi habetur: esse prohibitum diuina auctoritate sacerdotibus Chrisma consecrare; *Bon. loc. cit.*

De materia, & forma huius Sacramenti.

5 Materia remota Sacramenti Confirmationis est Chrisma, quod ex oleo fit oliuarum, balsamo admixto. Hæc propositio colligitur ex *Trid. sess. 7. can. 2. de confirmat.*

6 Balsamum non esse de necessitate Sacramenti iuxta communem opinionem sed Chrisma, quod est materia Confirmationis necessario esse debet benedictum ab Episcopo, aliàs non perficeretur Sacramentum, S. *Tho. q. 62. art.* 4. *Bon. punct. 3. n. 33.*

7 Materia proxima confirmationis est vnctio facta in fronte, in formam Crucis, S. *Thom. 3 p. qu. 7. art. 9.*

8 Forma confirmationis est hæc: Ego signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; & omnis forma dissimilis vitiat hoc sacramentum, ita communiter, & habetur in Catechismo Romano. *pag.* 214.

De subiecto, & effectu Confirmationis.

9 SVbiectum confirmationis est omnis homo baptizatus, siuè sit infans, siuè adultus. Ratio est, quia Apostoli imponebant manus quibuslibet. *S. Thom. 3. part. qu. 72. art. 8. Bonac. punct. 4. num 4.*

10 Hinc sequitur Sacramentum Confirmationis posse conferri non solùm adultis, sed etiam infantibus nondum habentibus vsum rationis; Obseruanda tamen est Ecclesiæ consuetudo, quæ vult non conferri pueris non habentibus vsum rationis, quia recordari non possunt se recepisse hoc Sacramentum, ne iterum recipiant, teste, *Bonac num. 5.*

11 Addo, non solum hoc sacramentum conferri posse pueris, verùm etiam amentibus, qui ante furorem petierint, etiamsi essent in periculo mortis, immò, perpetuò amentibus administrari posse, ita *S. Thom. loc. cit. Bonac. n. 6. Filliucius nu. 58.* Ratiò est, quia afferri non potest ratio sufficiens, qua ostendatur istos priuandos esse gratia habituali, quæ confertur per sacramentum confirmationis.

12 In collatione confirmationis alapa percutitur confirmatus, vt recordetur, se hoc Sacramentum recepisse, ne iterùm ad illud audeat accedere, cùm non sit hoc Sacramentum iterabile, *Bon. nu. 9.* & alij ab ipso relati.

13 Hoc sacramentum confirmationis tres producit effectus, Primus est gratia habitualis; omnia enim sacramenta conferunt gratiam habitualem. Secundus effectus est character, qui baptismi characterem supponit. Tertius est cognatio spiritualis; vt ex infra dicendis apparebit in proprio quæsito de matrimonio.

DE SACRAMENTO Euchariſtiæ.

1 EVchariſtiæ eſt ſacramentum, quod continet ſub ſpeciebus panis, & vini verum Corpus Chriſti inſtitutum ad hominis ſpiritualem refectionem *can.*1. *&* *ſeſſ.*13. in Sacro Concilio Trid.

2 Sacramentum Euchariſtiæ fuit inſtitutum in vltima cœna, vt patet Lucæ 22. & Marci 14.

3 Materia remota ſacramenti Corporis Chriſti eſt panis triticeus, vt de fide conſtat ex *Trident. ſeſſ.* 13. Ratio eſt quia illa eſt materia iſtius ſacramenti, quam Chriſtus inſtituit, & in qua Chriſtus conſecrauit; Sed Chriſtus conſecrauit in pane triticeo, vt clarè patet ex traditione Eccleſiæ ex illis verbis: Accipiens panem, & eleuauit oculos: ergo panis eſt materia iſtius ſacramenti *cap. firmiter*, *de ſumma Trinitate*, *& fide Catholica*.

4 Hinc ſequitur, panem ex ordeo, ex auena, & alijs leguminibus, & omni alia materia, quæ verè non eſt triticum, non eſſe materiam aptam, quia differunt ſpecie à tritico, communiter Doctores.

5 Panis neceſſe eſt, vt ſit confectus aqua naturali, & oportet, vt ſit præſens moraliter, & poſſit deſignari per particulam, hic & hoc, alioquin forma non verificatur. *S. Thom. qu.* 76. *art.* 6. *Caietan. ibid art.* 3. *Bon. de Sacramento Euchariſt. punct.* 1. *num.* 3.

6 Tam panis fermentatus, quàm azymus eſt materia apta huius ſacramenti; quia panis fermentatus non differt ſpecie ab azymo. *Filliuc. tr.* 4. *cap.* 3. *qu* 8. *num* 8. *Bon. loc. cit. num.* 8.

7 Aduertendum tamen est, vnumquemque se accommodare debet suæ ecclesiæ, ita vt non debeat latinus sacerdos consecrare in fermentato, neque Græcus in azymo; Vsus enim latinorum,& consuetudo est, vt conficiant in azymis, & imitentur Christum, qui in azymis consecrauit; qui contrarium facit, peccat grauiter: & hæc consuetudo consecrandi in azymo est melior consuetudine Græcorum, qui in fermentato conficiunt, vt bene docet S.*Th.q.*74.Bon.*n* 9 & alij.

9 Mustum esse materiam aptam sacramenti sanguinis, quia est verè vinum. *Can. cum de homine, de consecratione dist.*2. Aduertendum tamen est; ne mustum sit fæculentum, aut impurum, alioquin committeretur peccatum mortale contra debitam reuerentiam tanto sacramento, *Bonac pun.*2 *n.*3 *&* 5.& multi alij ab ipso relati. Neque confici possit in aceto, & vappa; & in oblatione miscenda est aqua naturalis in tam parua quantitate, vt in vinum conuerti possit, & hoc non ex necessitate sacramenti, sed præcepti, quia etiam sine aqua sacramentum confici posset, sed sacerdos peccaret. *Syluester, verbo Eucharistia* 1.*Bonac.pun.* 4 *n.*1.

10 Vinum congelatum esse potest materia apta ad conficiendum validè hoc sacramentum. Ratio est, quia non solùm si species vini congelentur iam consecratæ, remanet sub illis sanguis Christi, sed etiam quia vinum congelatum, adhuc remanet vinum, ergo est materia apta, & sufficiens ad validam consecrationem. *Syluest. verbo, Eucharistia* 3.*in fin.Fill.tr.*4.*c.* 3.*q.*9.*num.* 87.Bo*n.pun.*2.*num.*10.

11 Quælibet parua quantitas sensibilis esse potest materia huius sacramenti, S.*Thom.*3.*part. quæst.*73.*art.*1.Bo*nac.pun.*5.*num.* 1. & quælibet magna quantitas præsens constituta validè con-

secrari potest, sed non licitè. Ratio est, quia Christus non dedit facultatem limitatam sacerdotibus consecrandi tantam quantitatem, & non maiorem, hoc enim probari non potest in iure. *S. Tho. 3. p. q. 74. ar. 2. Bon. dicto pun. 3. n. 2. Fill. tr. 4. c. 5. qu. 5. n. 73.* & alij.

De Forma Sacramenti corporis, & sanguinis.

12 FOrma istius sacramenti corporis sunt hæc verba: *Hoc est enim corpus meum*, ita docet S. M. Ecclesia, & S. *Th. 3 p. q. 78. art. 2.*

13 Aduertendum tamen est, quòd illa particula (enim) non est de substantia formæ, licet peccent illam omittentes ex negligentia, vel ex contemptu, ita communiter Doctores.

14 Forma sacramenti sanguinis sunt hæc verba; *Hic est enim calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti, & ea quæ sequuntur*, ita S. R. Ecclesia docet: Aliqui tamen volunt sufficere hæc verba: *Hic est calix sanguinis mei, Filliuc. tr. 4. c. 1. qu. 8. num. 3. Magister sentent. in tertio dist. 8. Bon. qu. 3. pun 2 num. 1.*

15 Aduertendum tamen est, grauiter peccare eum, qui solum vtitur his verbis in consecratione: *Hic est enim calix sanguinis mei*. Ratio est, quia non solùm facit contra præceptum Ecclesiæ in re graui, sed etiam se periculo exponit non consecrandi; nam licet valdè probabiliter asseramus, consecrationis formam consistere in his verbis: *Hic est calix sanguinis mei*, & consecratio validè fit adiunctis istis verbis, reliqua verò verba non sunt de essentia consecrationis; hoc tamen non est totaliter certum; quia aliqui Doctores contrarium tenent, & in materia sacramentorum eligenda est semper via securior,

ne

ne nos exponamus periculo non conficiendi sacramenta *Bon.pun.2.n.2.Molfesius tra.3 c.2.nu 3.* & alij quam plures.

16 Corpus Christi tamdiù conseruatur sub specie panis, quamdiù conseruaretur panis, si sub illis speciebus existeret. Ratio est, quia Christus ab institutione huius sacramenti successit in locum panis; ergo tamdiù debet perseuerare, quamdiù conseruaretur panis, si substantia panis existeret sub illi speciebus. *S.Th.qu.8.ar.3.Reginald.lib.20 num.93.Bon.pun.6.§.3.nu.2.*

De Ministro Eucharistiæ.

17 Minister Eucharistiæ est solus sacerdos. Ratio est, quia non solùm sacerdos habet ordinem sacerdotalem, & Christus dixit sacerdotibus; *Hoc facite in eam commemorationem*, sed etiam, quia ita habemus in Trid. *sess. 22.c.1.* & quilibet Sacerdos, etiam si sit excommunicatus degradatus, aut hæreticus, aut schismaticus, dummodò tamen habeat intentionem, valide consecrare potest; nam retinet potestatem consecrandi fundatam in charactere sacerdotali, qui vt suprà diximus deleri non potest. *S.Thom.qu.82.art.7.& 8.Toletus l.2.c.28 num.1. Bon.qu 5.nu.2.* & alij communiter.

18 Neque obstant aliqui textus, dicentes non posse hæreticos consecrare, nam loquuntur de iure, & non de facto; aut quia carent debita intentione *Bon. loc. cit.*

19 Minister ordinarius, & deputatus ad administrandum hoc sacramentum est solus sacerdos, qui potestatem ordinariam habet, vel delegatam *S.Th.l.c.& Bon n.4.* & clare constat, ex *canone peruenit, de cons. dist. 2.*

20 Minister extraordinarius esse potest aliquan-

quando Diaconus, vt in articulo mortis, laicus verò esse non potest. Ratio est, quia non solùm non habet manus sacratas, sed etiam non est tanta necessitas sumendi hoc sacramentum, nam æquitas, & iustitia non patitur, vt quis mittat falcem in messem alienam, *Regin. lib. 36. nu. 94. Bonac. num. 6.* Neque in casu necessitatis sumendum esse hoc sacramentum ab Hæreticis; licet sumi possit baptismus, *can. si quem 24 q. 1.*

21 In sacerdote administrante, aut conficiente hoc sacramentum Eucharistiæ requiritur gratia. Ratio est, quia sacerdos est deputatus ex officio ad administrandum hoc sacramentum, qui autem est deputatus ex officio esse debet in gratia, alioquin grauiter peccat administrando indignè sacramenta in peccato mortali, nisi formaliter, aut virtualiter esset contritus, *Caiet. in sum ma;* & multi alij relati à *Bon. q. 5. pun. 2. num 1.*

22 Aduertendum tamen est, plura peccata committere eum, qui pluribus successiuè administrat Eucharistiæ sacramentum in statu peccati mortalis, licet aliqui dicant vnum committere peccatum. Ratio nostra est, quia prædictæ actiones habent singulæ suum definitum terminum, in quo conficiuntur, & complentur, *Bonac. loc cit.* vbi respondet, & soluit argumenta contraria.

De dispositione requisita in suscipiente Eucharistiæ Sacramentum.

23 Tres dispositiones requiruntur ad recipiendum Eucharistiæ Sacramentum cum fructu. Prima, vt suscipiens sit baptizatus, nam baptismus est ianua omnium sacramentorum. Secunda est intentio actualis, aut virtualis, vel saltem habitualis, qualem is habere dicitur

citur, cui confertur Eucharistiæ sacramentum tempore phrenesis, cùm tamen ipsa antea christianè viueret. Tertia vt suscipiens hoc sacramentum non haberet peccatum mortale, sed sit in gratia, communiter Doctores.

24 Aliquando recipi potest Eucharistiæ sacramentum non facta confessione peccati mortalis iam commissi, existente causa rationabili, vt si sit necessitas communicandi, aut celebrandi, & non reperiatur confessarius. Ratio est, quia præceptum confessionis præmittendæ ante sumptionem Eucharistiæ est affirmatiuum; Præceptum verò affirmatiuum non obligat semper; præmittendus tamen est actus contritionis, ne indignè sumatur Eucharistia cum peccato mortali. *Bonac. quæst.6.punct.1.num.13.Filliucciustr.7.c.4.q.8.n.221.*

25 Sacerdos, qui incæpta missa, recordatus de aliquo peccato mortali, non tenetur omittere missam inceptam, si adsit periculum scandali, sed si non adsit, tenetur vocare confessarium, si commodè potest, vt confiteatur. *Filliuc. l.c.n.114. Bon. n.19.*

26 Sacerdos qui incæpta missa, recordatur se esse excommunicatum, aut non ieiunum, non tenetur missam cœptam dimittere, quando dimitti non potest sine scandalo; secus si eam sine scandalo dimittere potest, dummodo tamen non sit facta consecratio, nam tunc adest necessitas prosequendi missam cæptam sine confessione, *S.Th.q.81.art.6.ad secundum: Bon loc.c.n.16. Nauarrus c.15.n.75.*

27 Sacerdos, qui existente casu necessitatis, sine confessione celebrauit peccati mortalis, tenetur, quam primum confiteri: ita determinauit Tridentinum *sess.13.c.7.*

28 Aduertendum tamen est, laicum, qui sinæ

præ-

præmiſsa confeſſione Euchariſtiam ſuſcepit, non teneri ſtatim confiteri. Ratio eſt, quia Tridentinum mentionem facit de ſacerdote celebrante, & non facit mentionem laicorum, neque ſacerdotum non celebrantium, & per conſequens etiam ſacerdos, qui more laicorum recipit ſacramentum, non tenetur ſtatim confiteri. *Suarez ſect.7.& 8. Bon.q.6.punct.1.nu.37.& 40. Fill. & alij.*

De Diſpoſitionibus requiſitis in ſuſcipiente hoc Sacramentum ex parte corporis.

29 QVi commiſit peccatum mortale carnis, vt fornicationis, aut pollutionis, debet per aliquod ſpatium temporis, vt per diem abſtinere à communione ſub pœna peccati venialis, etiam ſi fecerit confeſſionem peccati commiſſi, niſi adſit iuxta cauſa communicandi. Ratio eſt, quia qui non abſtinet per aliquod ſpatium temporis a communione ob peccatum carnis iam commiſſi, videtur aliquam irreuerentiam Chriſto irrogare. Ob hanc cauſam dicunt Doctores communiter, coniugibus, qui carnaliter ſe nocte antecedente cognouerunt, abſtinendum eſſe ſequenti die ab Euchariſtia, ſaltem ex deuotione, vel conſilio; Hæc tamen propoſitio habet locum, quando non adeſt iuxta cauſas ſecus ſi adeſt iuxta cauſa, qualis cauſa eſse videtur, feſtum magnæ deuotionis, aut dies iubilæi, & differri non poteſt commodè in ſequentem diem, S.*Thom q.8.art.3. Reginaldus lib. 29.n.127. Bonac.loc.cit.pun 2.nu.3.*

30 Qui recipere debet Euchariſtiam, eſse debet ieiunus à media nocte, non ſolum ieiunio eccleſiaſtico, ſed etiam naturali, vt clarè patet in *cap. ſacramenta, de celebr. Miſſarum.*

31 Aduer-

31 Aduertendum tamen est, ieiunium esse duplex, ecclesiasticum, & naturale. Ecclesiasticum est illud, quo præcipitur in die vnica commestio. Naturale verò abstinentiam importat à qualibet re, etiam parua commestibili per modum cibi, aut potus, vt *in canone nihil* §. *nullus 7.qu.* Dixi (per modum potus, aut cibi) nam si aliquis non per modum cibi, aut potus, sed per modum saliuæ, vt si os abluendo, casualiter ad stomachum transmittat parum vini, aut aquæ, aut reliquias cibi, quæ adhæserunt dentibus hesterno die, aliquas gutas pluuiæ inaduertenter recipiat in stomachum, nō dicitur frangere ieiunium naturale. Ratio est, quia non sumit per modum potus, & licet paruitas materiæ excuset à mortali, tamen in hoc casu grauiter peccat, qui suscepta parua cibi quantitate communicat. Ratio est, quia in hoc casu non præcipitur ieiunium, sed prohibetur communio post cibum, & consequenter facit contra præceptum Ecclesiæ in re graui. Ita *S.Tho.3.p.q.8.art. 8. Syluester verbo Eucharistia 3.n.8.Nauarrus c.25.§.7.Filliuc.tr.4.n.6.c.8.qu.10.Bon.loc.c.nu.6.*

32 Non est necesse, vt qui recepturus est Eucharistiam, cibum digesserit, aut dormierit post cœnam. Ratio est, quia hoc nullo iure cautum est. Ex hoc sequitur sacerdotem, qui in vigilia Natiuitatis Domini ientaculum sumpsit, vel pransus est propè mediam noctem, posse celebrare post mediam noctem, quamuis non dormierit, nam dicitur à media nocte ieiunus. *Bon. nu.11.Rodriq.de missa.c.249.n.11.S.Th. qu.7.ar. 8. ad quintum.*

33 Sacerdos, qui loco vini aquam consecrauit, non aduertens de errore, nisi post sumptionem aquæ, tenetur de nouo consecrare vinum, licet fregerit ieiunium ob sumptionem aquæ;

conse-

confecratio enim vini fpectat ad integritatem facrificij, quam conftat effe de iure diuino, quod eft maioris ponderis præcepto Ecclefiaftico, de fumendo Euchariftiam cum ieiunio. *Regin.l.29. n.222.Bon.n.* 19. & alij communiter.

34 Ob eandem rationem, fi facerdos pereat facta confecratione, tenetur Sacerdos non ieiunus terminare facrificium. Ratio eft, quia præceptum perficiendi facrificium eft ftrictius præcepto ecclefiaftico de fumendo Euchariftiam cum ieiunio. *Bon.n.2.Nauarr. c.* 28 *n.86.* & alij apud dictos Doctores.

35 Omnes fideles poftquam peruenerunt ad annum difcretionis recipere tenentur communionem à proprio facerdote, faltem femel in anno in Pafchate. Hæc propofitio clarè patet *ex c. omnis vtriufque fexus de Pœnitentia*; & ex Tridentino *feff.*13*.can.*3. vbi excommunicantur illi, qui contrarium fentiunt.

36 Quotidiè Communionem Euchariftiæ percipere, dicit *S. Auguft.de Ecclefiafticis dogmatibus cap.*53.nec laudo, nec vitupero; omnibus tamen diebus Dominicis communicandum fuadeo, & horror: fi tamen mens fine affectu peccandi fit, nam habentem adhuc voluntatem peccandi, grauari magis dico perceptione Euchariftiæ, quam purificari, *Canone quotidie, de confecratione dift.* 2.

37 Recipientes Euchariftiam in Pafchate in peccato mortali fatisfaciunt præcepto ecclefiaftico. Ratio eft, quia adimplet præceptum quo ad fubftantiam, licet non quo ad modum. *Fil. liuc.tract.*4*.c.*2 *qu.*10*.num.*6 *Bonac.qu.* 7*.pun.*2*. nu.*12*.Regin.l.*29*.nu* 87. & alij apud præcitatos Doctores.

38 Infirmum, qui fex, vel octo dies antea communicauit, per modum viatici poffe ite-

rum

rum non ieiunum communicare. Ratio est, quia Concilium Constantiense concessit, vt infirmus non ieiunus communicet, & non restrinxit concessionem ad vna vicem, *Bon. disp. 4. q. 9. punct. 2. n. 23. Reginald. lib. 29. dist. 130. Filliuc. n. 239.*

De Sacrificio Missæ.

1 Missa dicitur quasi transmissa à populo ad Deum per ministerium sacerdotis.

2 Partes essentiales sacrificij Missæ sunt consecratio, oblatio, & consumptio.

3 Hic obseruandum est particulas, quæ ad altare deferuntur pro communione laicorum, debere in altari adesse ante primum offertorium, videntur enim ad idem sacrificium pertinere, ad quod pertinet hostia grandior; sicut autem hostia grandior adesse debet ante primum offertorium; ita etiam adesse debent particulæ pro communione laicorum, ita Clemens VIII. de defectibus celebrationi occurrentibus, *cap. 3. nu. 4 Bonac. de sacrificio Missæ, punct. 2. n. 6.* contra nonnullos Doctores.

4 Valor Missæ triplex est. Primus dicitur generalis, quem Ecclesia applicare intendit, non solùm omnibus fidelibus viuis, & mortuis, sed etiam Pontifici, Imperatori, Regi aut Episcopo, & alijs fidelibus, quorum sacerdos meminit in sacrificio. Secundus est specialis; quem alij appellant specialissimum, & est proprius sacerdotis, quem fructum sacerdos non tenetur alicui applicare, neque potest secundùm aliquos Tertius est medius, quem alij appellant specialem, & ex se competit illis, pro quibus sacerdos applicare intendit sacrificium missæ iuxta praxim Ecclesiæ, *Filliuccius tr. 5. cap. 3. q. 7. Bonac. l. c.* & alij communiter.

5 Qui

5 Qui sacrum audit animo non satisfaciendi præcepto, satisfacit. Ratio est, quia iam adimplet præceptum, ita *Vasquez.*

6 Qui eodem tempore audit vnam medietatem ab vno, & alteram ab alio satisfacit præcepto Ecclesiæ. Ratio est, quia ecclesia præcipit, vt missa audiatur, duæ autem medietates vnam missam constituunt, ita *Sanchez relatus ab Escobar, de primo præcepto Ecclesiæ, cap.4. in fine.*

7 In missa recitari possunt psalmi, vel aliæ præces, etiam ex obligatione, & adimpleri pænitentia habita in confessione. Ratio est, quia cuncta eidem fini ita adijciantur, modò non desit attentio debita sacris actionibus missæ, ita communiter.

8 Non satisfacit præcepto Ecclesiæ, quis si omittat partem notabilē, & consequenter peccat mortaliter, & dicitur pars notabilis, v. g. maior quarta parte, scilicet ab introitu vsque ad Euangelium exclusiuè, hæc est communis opinio.

9 Missa valorem habet finitum, quo ad affectum ex opere operato, nam licet passio Christi sit infinita, tamen in missa Christus operatur finitè, & limitatè, alioquin liberarentur omnes animæ Purgatorij vnica missa, ita *S.Th. relatus à Syluestro, verbo Missa 1.nu.9.*

10 Requiritur præsentia moralis in missa, ideò si quis missam audit è fenestra, vel è porta eius domus, non satisfacit præcepto. Ratio est, quia moraliter non dicitur, *Fill.* & alij.

11 Sacerdos solus conficere debet missæ sacrificium, vt habetur *in cap.firmiter, de summa Trinit. & Fide Catholica.*

14 Missa mali sacerdotis non valet, vt valet missa boni sacerdotis, si consideremus sacrificium secundùm meritum mali sacerdotis; si vero consideremus missam secundùm quod est sacri-

crificium, tam valet missa boni sacerdotis, quàm mali; nam Deus magis exaudit iustos, quam peccatores *S.Th.3.p.q.82 art.5.Bon.pun 6 n.6.*

13 Sacerdos, qui non est impeditus legitimè, si nunquam celebret toto anno mortaliter peccat. Ratio est, quia dat occasionem scandali, cùm ingerat suspicionem prauæ conscientiæ. *S.Th.3.p.q.82.art.10.Syluester, verbo Missa 1.n.5. Bon pun.7.n.1.Filliuc.tr.4.c.4.q.6.n.96.*

14 Hinc sequitur, sacerdotem teneri sub pœna peccati mortalis celebrare ter, aut quater in anno diebus festis præcipuis; nullo enim iure constat, simplicem sacerdotem teneri singulis omnino diebus festis celebrare, *Bon.loc.cit. nu.2. Regin.lib.49.n.46.Fill.tr.5.c.4.q.2.*

15 Sacerdos recipiens plures eleemosynas ob celebrationem Missarum, satisfacere non potest vnica tantùm missa; licet aliqui contrarium sentiant. Ratio est, quia non solùm non est permissum, sed etiam nasceretur maximum scandalum inter populos, ita opinio in praxi est seruanda, prout benè refert *Bonac.cit.§ 2. nu.1. Fill. tr.5.c.6 qu 6.Regin.l.23.n.234.Toletus l. 2.c.8.n. 3.* Idem declarauit nouissime Sacra Cardinalium Congregatio.

16 Qui tenetur in aliqua ecclesia, aut altari celebrare, non potest in alia ecclesia, aut altari sine peccato mortali celebrare, nisi hoc faciat ex causa rationabili. Ratio est, quia non solùm non adimplet voluntatem testatoris, sed etiam ita determinatum est in Concilio prouinciali 4. *Syluester verbo missa 1.q 10.in fine, Bonac. § 4.n.2.* & alij apud *Riccium, verbo, Praxis capellaniarum dec.* 405. Idem decreuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensi, vt benè refert, & consuluit, *Bon loc.cit.*

17 Sacerdos non habens eleemosynam pro

missa

missa celebranda, non potest illa celebrare; & applicare primo occurrenti daturo eleemosynam, ita fuit determinatum, vt constat ex decreto Cardinalium mandato Clement. VIII. sed quando ex fundatione alicuius capellæ, statutæ sunt missæ celebrandæ singulis hebdomadis; tunc potest sacerdos illa celebrare antecedente hebdomada. Ratio est, quia sacrificium certum sortitur effectum, & applicationem, ita Reginaldus.

18 Sacerdos, qui plura stipendia colligit pro missarum celebratione, non potest per alios Sacerdotes satisfacere, retenta sibi parte eleemosynarum inscio dante, & insciis sacerdotibus, per quos pensum missarum persoluitur, ideò totam eleemosynam dare debet, ita determinauit sacra Congregatio Cardinalium, teste *Escobar, de missa, cap.* 4. Istud decretum non extenditur ad Capellas, quibus pingue stipendium est additum, neque extenditur, si fuit datum stipendium intuitu amicitiæ, nam tunc sacerdos potest per alium satisfacere, dato ei iusto stipendio, ita *Escobar loc. cit.*

19 Si sacerdos post sumptionem viderit reliquias Eucharistiæ, nullo modo debet eas accipere, cùm non sit ieiunus, sed reseruari debent in crastinum, vel alteri ieiuno, & disposito tradere, sed hoc intelligi debet, quando reliquiæ videntur ex interuallo post sumptionem, puta quia reposuit Calicem; secus in eodem actu, nulla interueniente morula, ita Syluester. Aliqui verò dicunt posse sumi, etiam si reposuit calicem, & etiam si interuenerit aliqua morula, quia moraliter censetur vnica actio.

20 Si Corpus Christi appareat in alia specie, idest, in forma pueri, vel carnis cruentatæ, sumi non potest ab eo, cui apparet, sed ab alio,

cui

cui sub specie panis apparet, & si omnibus apparet, debet poni cum reliquijs, & si celebranti apparet in hoc casu sunt duæ opiniones. Quidam dicunt, quod sufficit spiritualis manducatio, nec propter hoc efficitur legis transgressor, quia iura adaptantur ad ea, quę faciliùs accidunt; Quidam verò dicunt, quod sacerdos iterum debet celebrare, & si hoc secundò accideret, iterum tertiò, S.*Th. in* 4. *dist.*10.

DE SACRAMENTO Pœnitentiæ.

1 POenitentia considerari potest, vt virtus, & vt sacramentum. Pœnitentia, quatenus est virtus, est peccata præterita plangere, & plangendo iterum non perpetrare. Pœnitentia, quatenus est sacramentum, est sacramentum absolutionis, quo sacerdos absoluit suum subditum, & eum, qui legitimè confitetur sua peccata cum vero dolore. Pœnitentia quatenus est virtus, est virtus supernaturalis, quæ hominem inclinat ad satisfaciendum deo de iniuria, & offensa facta. S.*Th*.3.*p.q.*85.*art.*2.

2 Sacramentum pœnitentiæ fuit institutum à Christo, *Ioann.*20. quando dixit illa verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum ritinueritis, retenta sunt*; ita habetur *in Trident. sess.* 14. *c.*1.

3 Materia remota sacramenti pœnitentiæ sunt peccata; proxima verò sunt actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio, & satisfactio. Hæc propositio constat ex *Trid. sess.*14. *c.*3.

4 Forma sacramenti Pœnitentiæ consistit in his verbis: *Ego absoluo te à peccatis tuis*; immò ad essentiam, & valorem istius sacramenti sufficiunt

ficiunt hæc verba: *Absoluo te*, communiter Doctores, & constat etiam ex Tridentino dictis *sess. & cap.* Adiungi etiam possunt hæc verba: *Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate illius absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti in quantum possum, & tu indiges, deinde ego absoluo te à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.* Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, vt quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris sit tibi in remissionem peccatorum, augumentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.

5 Illa particula (suspensionis) in laico omittitur, quia in laico cadi non potest suspensio.

6 Materia necessaria istius sacramenti pænitentiæ sunt peccata mortalia; venialia sunt materia voluntaria, & sufficiens.

7 Absolutio dari non potest in scriptis, sed necessariò proferri debet voce, neque dari potest absenti, etiam si pænitens existat in mortis periculo; Hæc propositio colligi potest ex decreto Clementis VIII. facto super hanc materiam, in quo determinatur, absolutionem absenti factam, esse nullam, & inualidam, & afficiuntur excommunicatione Pontifici reseruata, qui absentem absoluunt, vel dicunt, vel docent posse per litteras aliquem sua peccata confiteri sacramentaliter, aut per nuncium confessario absenti, *Bon. de sacramento, q. 4 pun. 5 .n. 1, Fill. tr 6. c. 9 qu. 12. Regin. lib. 6. nu. 5.*

Tres sunt partes integrales sacramenti, pænitentiæ; Cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio, quæ sunt materia proxima sacramenti pœnitentiæ, vt supra diximus.

9 Sacramentum pænitentiæ, administratum

C sub

sub conditione de præsenti, vel de præterito, v. gr. si non es absolutus, vel si possum, ego te absoluo, est validum, quia non appellatur vera conditio, administratum verò sub conditione de futuro, est nullum, & inualidum. Ratio est, quia effectus sacramenti pænitentiæ remanere non possunt in suspenso, *Bon. q. 2. pun. 3. n. 2. Reginal. lib. 8. n. 6. Syluester, verbo, absolutio 5. num. 12. Filliuc. tr. 6. c. 3. q. 10. num. 73.*

De Contritione.

10 Contritio est dolor voluntariè assumptus de peccatis præteritis, quatenus sunt offensa Dei, cum proposito amplius non committendi, sed confitendi, & satisfaciendi sub spe futuræ veniæ, ita habetur in *Trident. sess. cap. 4. Can. 6.* ibidem, & differt ab attritione; nam attritio est dolor imperfectus, contritio verò est dolor perfectus, siuè & melius, attritio est dolor propter timorem gehennæ; Contritio est dolor propter amorem Dei.

11 Duos producit effectus contritio. Primus est remissio culpæ, secundùm *S. Thom.* qui addit, quòd si contritus suo tempore non exequatur suum propositum, quod de confessione conceperat, peccata quidem non redeunt iam dimissa, peccat tamen mortaliter omittendo. Secundus est remissio totius poenæ secundùm dictum *S. Thom.* & hoc prouenit ex parte Charitatis; nihilominus requiritur confessio, & satisfactio ob præceptum, & incertitudinem remissionis totius poenæ; nullus enim in hac vita siue diuina reuelatione scire potest certa scientia habere contritionem, quod si sciret, cognosceret etiam se esse in gratia Dei, & diceret contra Concilium Trident.

12 Ad-

12 Aduertendum tamen eſt, quòd ad hoc, vt per contritionem peccata remittantur, requiritur confeſſio ſaltem in voto, & hoc patet ex definitione contritionis, quæ eſt dolor pro peccatis aſſumptus cum propoſito confitendi, vnde ly particula (cum propoſito) includit confeſſionem in voto, ita communiter Doctores.

13 Ad ſuſcipiendum pœnitentiæ ſacramentum cum fructu, requiritur contritio, & non ſufficit attritio naturalis, ſed ſupernaturalis. Ratio eſt, quia concilia requirunt diſpoſitionem ſupernaturalem ad gratiam; vt patet ex *Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 7. ſeſſ. 16. c. 3. & ſeſſ. 14. cap* 4. vbi habetur contritionem eſſe donum Dei, & impulſum Spiritus Sancti ita *Bonac. diſ. 5. qu. 5 pun. 3. num 3.* & multi alij apud *Henriquez lib. 4. c. 21. nu 6. & cap. 16. num. 5.*

14 Pœnitens non debet habere maiorem dolorem de vno peccato mortali, quam de alio, ſi conſideretur peccatum quo ad culpam. Ratio eſt, quia vnus actus contritionis ſufficit ad delenda omnia mortalia, cùm gratia, & contritio ſit incompoſſibilis omnibus peccatis; ſi verò conſideretur quo ad pœnam, eſt conuentionis, vt vbi adſit maius delictum maiorem pœnam mereatur, & conſequenter ſi pœnitens velit per actum contritionis exhibere ſatisfactionem pro tota pœna, magis dolere debet de vno, quàm de alio, cum pœna ſatisfactionis commenſurari debeat peccato. Præterea habetur Deuteron. 25. Secundùm menſuram peccati, erit & plagarum modus; ſed in contritione peccati plagæ commenſurantur, quia contritio habet propoſitum ſatisfaciendi annexum; ergo contritio magis eſſe debet de vno quàm de alio. *S. Thom. in addit. ad 2. part. q. 3. art. 3. Bon. de ſacramento pænit. pun. 7. n. 5. Nauar. c. 1 num. 35. Reginald. lib. 35. n* 30.

De Confessione.

15 CONfessio est accusatio legitimè facta coram legitimo sacerdote, facta ad obtinendam peccatorum remissionem ob absolutionem.

16 Sexdecim sunt conditiones requisitæ ad confessionem, quæ his versibus continentur.

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda.
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata.
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

17 Aduertendum tamen est, quod non omnes istæ conditiones sunt necessariæ, sed solummodo tres. Prima, vt confessio sit integra. Secunda, vt sit cum dolore. Tertia vt sit vera, & pura; reliquæ conditiones sunt vtiles, non necessariæ. *Bonac. punct. 2. num. 2.*

18 Explicamus istas conditiones, quarum prima est simplex, idest pænitens dicere debet simplicem veritatem sine aliquo mendacio.

19 Ex hoc sequitur, pœnitentem, mentiendo in confessione circa peccata mortalia, peccare mortaliter, mentiendo circa venialia, distinguo; Aut pœnitens spontè fecit illa confessionis materiam, aut nolebat ea confiteri. Primo casu peccat mortaliter, & esset tunc sacrilegium, quando illud veniale peccatum esset tota materia confessionis. Ratio, est quia esset contra fidelitatem confessionis, & faceret sacramentum nullum. Secundo casu regulariter loquendo, esset veniale. Ratio est quia est materia

le-

leuis, cùm non sit materia necessaria, & confessarius decipitur in re leui, & esse potest integra circa alia peccata, & consequenter in secundo casu pœnitens non peccat mortaliter, (dixi regulariter) quia ratione scandali, vel contemptus esse potest mortale. *Syluest. verbo Confessio* 1. *q.* 8. *Nauarrus cap.* 21. *n.* 37. *& alij apud Suarium, dis.* 22. *seß.* 10. *num.* 7.

20 Humilis, idest, pœnitens confiteri debet sua peccata cum humiliate, & non cum superbia.

21 Pura, idest, pœnitens habere debet puram contritionem confitendi cum spe obtinendi peccatorum veniam, & non alio fine.

22 Fidelis, idest, pænitens tenetur confiteri peccata sua sine deceptione vel fallacia.

23 Frequens, hoc intelligendum est de consilio, nam tenemur confiteri semel in anno, vt supra diximus.

24 Nuda, idest, pænitens confiteri non debet sua peccata verbis obscuris, & palliatis, sed claris, vt intelligi possint à confessario.

25 Discreta, idest, pænitens eligere debet confessarium peritum, & doctum, vt discernere sciat inter lepram, & lepram, & dare debita remedia.

26 Hinc sequitur, pænitentem, eligentem confessarium indoctum, quando dubitat de aliquo contractu vsurario, quia scit eum esse insipientem, iudicando ob suam ignorantiam non teneri ad restitutionem, non solùm non esse tutum a restitutione, sed etiam est nulla, & inualida illa confessio, & consequenter est reiteranda, vt probatur ex *c. omni vtriusque, de Pænit. & remiss.* nam non videtur habuisse verum, & debitum dolorem, cum proposito firmo euitandi peccatum in futurum,

27 Liben, ideſt, pænitens confiteri tenetur voluntariè ſua peccata, & non coactè, timore nempè alicuius pænæ, vel infamiæ.

28 Verecunda, ideſt, pænitens confiteri debet peccata ſua cum erubeſcentia, & verecundia, quæ ad remiſſionem pænæ prodeſt. Ex hoc ſequitur mulierem, habentem rem cum ſacerdote, non debere confiteri illi ſacerdoti, cum quo peccauit propter illam particulam (verecunda) tamen ſi confitetur, eſt benè abſoluta, ſicut ſi confeſſa fuiſſet alteri ſacerdoti, quamuis non haberet tantam verecundiam.

29 Integra, ideſt, pœnitens confiteri tenetur omnia peccata mortalia ſigillatim, quæ nunquam fuerunt confeſſa, niſi adſit legitima cauſa.

30 Secreta, ideſt, pænitens confiteri tenetur, ſecretè, & non publicè, vt non infamet ſeipſum; hoc tamen non eſt intelligendum de neceſſitate, & eſſentia ſacramenti; nam in primitiua eccleſia aliquando confitebantur publicè, *cap. quamuis de pænit. & remiſſ.*

31 Hinc ſequitur, neminem teneri confiteri per interpretem. Ratio eſt, quia eſſe debet ſecreta confeſſio; fieri tamen poteſt, qui illam facere vult, dummodo tamen pænitens ſit præſens ſacerdoti, & per nutum, aut alia ſigna confirmet, quæ ab interprete dicuntur; oſtendens ſe illa commiſiſſe, & dolore, ſecus ſi nollet ſignis, aut nutu confirmare. Ratio eſt, quia nullus ſufficiens ratio afferri poteſt, ad oſtendendum confeſſionem factam per interpretem irritam eſſe. *Bonac. diſp. 5. quæ. 5. ſect. 2. §. 2. num. 13. Filliuc. tr. 7. cap. 1. q. 7. n. 11.* & alij apud citatos Doctores.

32 Lacrimabilis, ideſt pænitens doleri tenetur de peccatis ſaltem internùs, & non requiritur dolor exterior.

33 Accelerata, ideſt pænitens confiteri tene-

tur

tur peccata sua quam primùm, ne maneat in statu damnationis, & vt opera sua sint meritoria.

34 Fortis, idest pænitens confiteri debet peccata sua cum animo constanti, & non debet aliquod peccatum omittere pro pudore, vel timore.

35 Accusans, idest pænitens accusare se debet de peccato, & non excusare. Ideò non debet, quis comittendo aliquod peccatum, se excusare, dicendo, id commisisse ob necessitatem, vbi necessitas non est talis, quæ excusat.

36 Parere parata, idest pænitens tenetur obedire confessario in his, in quibus præstare tenetur obedientiam, vt in acceptanda pœnitentia, & in vitanda occasione; ideò non est absoluendus, si salutarem pænitentiam recipere recusat, quia non videtur habere veram contritionem; *Dian. de Pœnitentia, in suo compendio, in principio, & multi alij.* Aliqui verò tenent contrarium, idest etiamsi pænitens nollet acceptare pænitentiam Confessarius tenetur eum absoluere, quia satis est, quod habeat animum Deo satisfaciendi in hoc mundo, vel in Purgatorio.

De Circumstantijs Peccatorum.

37 SEptem sunt circumstantiæ peccatorum, Quis Quid, Vbi, Per quos, Cur, Quomodo, Quando, & quoties.

38 Explicamus istarum circumstantiarum species, quarum prima est. Quis? idest, si duæ personæ habuerunt rem cum fæmina soluta; alter eorum est laicus, alter verò religiosus, in hoc casu mutatur species peccati, quia in laico est simplex fornicatio, in religioso est sacrilegium.

39 Secunda circumstantia est, Quid, idest, si

vnus commisit furtum alicuius rei sacræ, & alter rei profanæ. Primus, est sacrilegium. Secundus est furtum.

40 Tertia est, Vbi, idest, si alter commiserit furtum in Ecclesia, alter verò in via. Primus est sacrilegium. Secundus est furtum.

41 Quarta est per quos, idest, si quis induxit aliquem ad peccandum, aut committendum peccatum fornicationis, peccare eadem specie peccati.

42 Quinta est, Cur, idest, si quis furatur ensem ad hominem occidendum, aut pecuniam ad adulterandum, iste duo peccata committit, quia finis habet diuersam speciei malitiam.

43 Sexta est, quomodo, idest, si quis commiserit furtum per vim, & alter secretè. Primus dicitur rapina, secundus furtum.

44 Septima circumstantia est, Quando, idest, quis commisit peccatum fornicationis in die festo, iste non contrahit nouam malitiam, quia non est specialiter prohibitum peccatum in die festo, & consequenter pænitens non tenetur explicare hanc circumstantiam.

45 Quoties, non dicitur circumstantiam, sed ipsamet substantia peccati, &c.

46 Circumstantiæ mutantes speciem necessariò sunt explicandæ, vt expresse determinatur in *Trid. sess.* 14. *c.* 3. & aggrauantes peccatum in infinitum, vt dicitur communiter Doctores.

47 Duo sunt genera circumstantiarum; scilicet circumstantiæ mutantes speciem, & aggrauantes peccatum; At aggrauare dupliciter considerari potest, vel simpliciter, vel in infinitum; Aggrauare in infinitum est, quando circumstantia ex se facit peccatum mortale; licèt enim peccatum veniale effici non possit mortale; ratione tamen circumstantiæ aggrauantis in infinitum

fit

fit mortale, v.g. quando quis profert verbum iocosum, est ex se veniale, fit tamen mortale ratione nempè finis, quia scilicet allicere volebat animum alicuius.

48 Hinc nascitur difficultas an sit explicanda quantitas furti, licèt aliqui dicant non esse exprimendum, modò confessarius cognoscat, an pœnitens peccauerit mortaliter, vel venialiter; Ego tamen dico exprimendam esse. Ratio est, quia hæc non videtur circumstantia, sed potiùs aliquid ita coniunctum cum actu peccati, vt actus non videatur explicari posse sine tali circumstantia; & si pænitens non teneretur quantitatem explicare, Confessarius admonere non potest pænitentem de ordine, & obligatione, quo facere tenetur restitutionem, & ita in praxi obseruatur. *Bon. dist.* 1. *qu.* 3. *sect.* 2. *nu.* 17. *Valentia, q.* 17 *punct.* 1. *col.* 9. *Sayrus de pænit. c.* 8. *n.* 8. & alij apud citatos Doctores; Contraria tamen sententia est etiam probabilis.

49 Qui missam prætermisit in die Dominico, in quo etiam venerit festum alicuius sancti, satisfacit, dicendo, omisisse semel missam in die festo. Ratio est, quia non adest mutatio speciei nam diuersitas præceptorum non sumitur ex diuersitate præceptorum, & obligationum eiusdem speciei. *Sanchez lib.* 9. *de matrimon. disp.* 15. *Bon. disp.* 5. *q.* 5. *dist.* 3. *n.* 24. *Vasquez. q.* 98. *a.* 8. *n.* 50. Qui verò prætermisit ieiunium aliquo die, in quo non solùm tenetur ieiunare ex præcepto ecclesiæ, sed etiam ex voto, non satisfacit dicendo fregisse semel præceptum ieiunij, nam committit duo peccata, vnum contra temperantiam, & alterum contra religionem; Peccata contra temperantiam, & religionem sunt specie diuersa, ideò explicanda sunt in confessione *Bon. loc. cit. Nau. c.* 11. *nu.* 4. & communiter Doctores.

51 Qui sacramentum Pœnitentiæ petijt , si postquam venerit confessarius non potest amplius loqui , aut exprimere non potest aliquod peccatum mortale in particulari ob infirmitatem , sed solùm exprimit aliquod peccatum in genere , aut solùm ostendit aliquod Pœnitentiæ signum , absolui potest . Ratio est , quia non solùm in sacramento confessionis exprimenda sunt peccata , quantum fieri potest , sed etiam , quia adest materia cum debita forma , & intentione ministri , dummodo tamen haberi non possit alia materia. *Syluester, verbo confessio 3. qu. 3. Nau. c. 26. n. 27. Toletus l. 3. c. 8. Bon. l. c. q 4 p. 7.*

52 Hinc sequitur in articulo mortis posse confessarium sacramentalem impendere absolutionem morienti , quem nouit absolutionem in absentia petijsse , vel dedisse signa contritionis in ordinem ad salutem ; Hæc opinio est probabilis , non solùm propter Doctores huic adhærentes , sed etiam quia ita censuit Sacra Congregatio Cardinalium , ita etiam Clemens VIII. respondit viuæ votis oraculo, prout refert *Bellarm. & alij apud Coninch. nu.* 108. *Bonac. loc. cit num.* 10.

In quibus Casibus sit iteranda Confessio.

53 Obligatio iterandi confessionem nascitur ex duplici capite . Primò ex defectu pœnitentis. Secundò ex defectu confessarij .

64 Ex defectu pœnitentis est iteranda confessio , quoties pœnitens integrè formaliter non confitetur omnia peccata sua mortalia , aut quoties confitetur sine dolore requisito ad substantiam confessionis . Ratio est , quia Christus præcepit fieri confessionem integrè , saltem formaliter .

55 Ex

55 Ex defectu Confessarij est iteranda, quoties Confessarius in essentialibus deficit, sacramentum enim non subsistit sine sua essentia. Secundò, quando non vtitur debita forma. Tertiò, quando non habet debitam intentionem.

56 Hinc sequitur eum, qui non habet iurisdictionem ordinariam, vel delegatam absoluendi, non validè absoluere. Ratio est, quia pronunciari non potest sententia vali dè sine iurisdictione, nisi credatur habere iurisdictionem, & potestatem cum errore communi, & titulo colorato: tunc enim Ecclesia supplet iurisdictionem, vt communiter *ex lege Barbarius, ff. de officio Prætoris*.

57 Confessio facta excommunicato vitando, est nulla. Ratio est, quia excommunicatus vitandus ammittit iurisdictionem, tamen si facta fuit in eo loco, in quo habetur pro legitimo confessario cum errore communi, & titulo colorato, tunc vt modò diximus, Ecclesia supplet iurisdictionem; aut facta in articulo mortis, nam sacramentum pœnitentiæ, administratum in articulo mortis, est validum, etiam si fuisset administratum ab excommunicato propter hæresim, in articulo enim mortis nulla est reseruatio. *Suarez disp. 21 sect. 1 num. 14. Caietanus verbo Absolutio*, & communiter: Confessio verò facta excommunicato non vitando, idest illi, qui non est publicè declaratus, est valida; ita fuit declaratum in Concilio Constantiensi sub Martino V. vbi habetur, quòd non est reiteranda confessio facta, excommunicato suspenso, aut interdicto, nisi fuisset declaratus excommunicatus, aut percussor publicus Clericorum, vel degradatus.

58 Aduertendum tamen est, quòd quando excommunicatus vitandus communiter igno-

ratur, confitens verò sciat, confessio ipsius erit inualida, non quidem ob defectum iurisdictionis, sed propter obicem, quem ponit, peccans mortaliter, communicando in Diuinis cum tali excommunicato, quem secretum tenetur secretè vitare, vt *in capit: cum non ab homine, de sentent. excommun.* Excusari tamen potest propter ignorantiam inuincibilem, aut legitimam causam; quando v. grat. est coactus tempore Paschatis confiteri sua peccata, & non reperitur alius confessarius, qui sibi subueniat, nisi proprius Pastor. *Reginald. de potestate exequendi iurisdictionem, c.* 10. *nu.* 118, *lib.* 1. *Sanchez, & alij.*

59 Hìc nascitur difficultas, An sit valida absolutio sacramentalis collata à Confessario nominatim denunciatio irregulari, quem pœnitens iguorabat esse irregularem denunciatum, sicut est inualida absolutio collata ab excommunicato vitando, quem pœnitens ignorabat esse excommunicatum.

Respondeo, validam esse. Ratio est, quia non solùm nihil deficit ex parte pænitentis, sed etiam nihil deficit ex parte sacerdotis, nam sacerdos non solùm habet potestatem ordinis, sed etiam iurisdictionis; irregularitas enim non tollit iurisdictionem, vt clarè patet ex definitione irregularitatis. *Bona. de irregularit. disp.* 7. *quæst.* 1. *punct.* 4. *nu.* 20. *Filliuc. nu.* 80. *Suar. disp.* 4. *sect.* 2. *nu.* 45. *& alij communiter.*

60 Aduertendum tamen est, quòd confessio est nulla facta sacerdoti, cùm sit denunciatus nominatim irregularis, quando pœnitens hoc sciebat. Ratio est, quia (vt diximus paulò antè) pœnitens ponit obicem ad gratiam cooperando peccato sacerdotis, qui exercet functionem Ordinis, contra pænam irregularitatis;

ritatis ; sed si sacerdos non est nominatim denunciatus, confessio est valida, pœnitens enim uon peccat communicando cum irregulari, qui non est nominatim denuntiatus irregularis *Bonac.loc.cit.nu.*19.*Suarez disp.*40.*sect.*2.*num.*12.

61 Omnes Christi fideles vtriusque sexus, postquam peruenerint ad annum discretionis, confiteri tenentur semel in anno, vt diximus: & habetur *in cap. omnis vtriusque sexus, de pænit. & remissionibus*, nisi in periculo mortis existant, tunc enim confiteri tenentur sub pæna peccati mortalis. *Filliuccius tr.*7.*c.*2.*q.*4. *Regin. lib.*3.*nu.* 22.*Bon.disp.*5.*q.*2.*sect.*3.*punct.*4.*n.*12.

De Satisfactione.

62 Satisfactio est quædam compensatio pænæ temporalis debitæ ob iniuriam, & offensam Deo factam, quæ consistit in operibus pænalibus à Confessario taxatis.

63 Confessarius imponere tenetur pænitentiam pænitenti secundùm qualitatem peccatorum, vt probatur ex *Concilio Tridentino sess.* 14. *cap.*3.*&* 8. *de sacramento pænit.*

64 Opera pænalia, quæ adiungi possunt à Confessario, vt pænitens Deo satisfaciat ob pœnam peccatorum, reduci possunt ad tria capita. Primum est oratio. Secundum est ieiunium. Tertium est eleemosyna. Ratio est, quia sicut pæna correspondere debet delicto, ita etiam pænitentia correspondere debet peccatis ; Quodlibet peccatum aut committitur contra Deum, & contra hoc imponitur oratio : aut contra proximum, & contra hoc imponitur eleemosyna ; aut contra seipsum, & contra hoc imponitur ieiunium, *Bellar. de pænit.l.*4.*c.*6.*versiculo Quod dicitur. Bon.l.c.sect.*3 *puncto* 2.*num.*8.

65 Con-

65 Confessarius, cùm sit iusta, & rationabilis causa, minuere potest, aut commutare pænitentiam, ab ipso impositam, aut ab alio confessario. Ratio est, quia confessarius exercere potest iudicium circa peccata, iam confessa, cùm eadem peccata subijci possint clauibus, & esse possint iterum materia nouæ confessionis, *Regin. l.7.nu.88.Naua.c.16.n.22.Bonac.punct.3.num.1. Filliuccius, & alij.*

66 Pœnitens acceptare tenetur pęnitentiam, Hæc propositio est clara, & certa, vt non possit hodie sine temeritate non acceptari, vt probatur ex *Trident. sess.14.cap.9.* vbi habetur, quod pænitens obedire debet confessario rectè iudicanti *Filliuccius tract.8 cap.1.quæst.10.nu.53.Bonac. pun 4.n.1.Suarez disp.38.sec.2. nu.2.* Aliqui verò dicunt, pœnitentem non debere acceptare pænitentiam, quia est in arbitrio pænitentis facere pœnitentiam in hoc mundo, vel in purgatorio, vt suprà diximus de conditionibus confessionis; Attamen nostra opinio est verior, & probabilior. Ratio est, quia si pœnitens nollet acceptare pœnitentiam, non videtur habere veram contritionem, necessario requisitam ad sacramentum absolutionis.

67 Pœnitens satisfacere debet pænitentiam in statu gratiæ, & non in statu peccati mortalis, licet satisfaciat obligationi pænitentiæ, adimplendo illam in peccato mortali. Ratio est, quia fecit, id, quod ei præceptum est à Confessario; non obligauit enim illud facere pænitentiam in statu gratiæ. *Syluester, verbo satisfactio, nu.7.Reg. l.7.n.9. Filliuc. tract.8.cap.2. quæst.9.nu.57. Bon. loc.cit.nu.15.*

68 Pœnitentia adimpleta in statu peccati mortalis suum sortitur effectum, & prodest ad pœnæ remissionem, sublato obice peccati mortalis.

talis. Ratio est, quia sacramenta, recedente fictione, sortiuntur suum effectum, ergo etiam satisfactio facta in peccato mortali sortitur suum effectum, accedente fictione peccati mortalis cùm sit pars sacramenti, *Reginal. lib.7.num.9. &* 10.*Bona.sect.3.punct.4 nu.17.Suarez disp.38.sect.* 8.*nu.5.Filliuccius, & alij.*

69 Ex hoc clarè patet differentia inter pænitentiam sacramentalem, & reliqua opera bona, facta in peccato mortali; Reliqua enim opera facta in peccato mortali sunt mortua, & non reuiuiscunt, sed pænitentia, cùm sit sacramentum, & ex se operetur, est opus viuum, licet aliquo modo sit mortificatum ob statum peccatoris, nam sicut reuiuiscunt opera mortificata, adueniente gratia, ita satisfactio reuiuiscit, sublato impedimento, & sortitur suum effectum. *Bon. loc.cit.num.*18.*Vasquez qu.*94.*art.*1.*dub.*10.*n.*10. *Reginald.* & alij Doctores citati.

70 Dari potest sacramentum pęnitentię validum, & informe, idest validum, sed sine gratia. Ratio est, quia peccata semel confessa non est necesse, vt iterum confiteantur; nam ad omnem formam sufficienter disponentem ad aliquem effectum; sequitur talis effectus; sublato illo impedimento; Exemplum est in naturalibus, quia sublata columna sustentante lapidem, sequitur motus deorsum à grauitate. Exemplum est etiam in supernaturalibus, remota fictione in baptismo, sequitur gratia à charactere; ergo sublato impedimento Sacramenti præteriti sequitur gratia, & confessio valet, & pænitentia causat ornatum, & ornatus sufficienter disponit ad gratiam, *Syluester, verbo, confessio 1.n 26.Fil.tr.7 cap.7.qu.*11.*S.Tho. in quarto dist.*17.*art.*4.*Bona.q.6.pun.5.n.*3.*Suar. disp.*20.*sect.*2.*Gratianus, Nauarrus, & alij.*

71 Ope-

71 Opera facta in peccato mortali, non reuiuiscunt, neque meritoria fiunt vitæ æternæ ob subsequentem pœnitentiam. Ratio est, quia vt opera sint meritoria vitæ æternæ, necesse est, vt fiant ab existentibus in gratia, sed opera, quæ fiunt in peccato mortali, sunt mortua, & non sunt facta in gratia; ergo non sunt meritoria, neque reuiuiscunt per subsequentem pœnitentiam, communiter Doctores, & præsertim *S.Th.3 p.q.89 art.6.Bon sect.4.pun.1.n 2.*

72 Opera verò mortificata per peccatum mortale reuiuiscunt per subsequentem pœnitentiam, ad consequendam vitam æternam. *S. Thom. loc.cit. art.5.* Hæc veritas, & propositio colligi potest ex his duobus versibus secundùm Rainaldum.

Illa reuiuiscunt, quæ mortificata fuerunt.
Viuere non possunt, quæ mortua nata fuerunt.

73 Aduertendum tamen est, quòd opera facta in peccato, licet non sint meritoria vitæ æternæ, multum prosunt ad alios fines; Primò ad obtinenda bona temporalia. Secundò ad humiliationem. Tertiò ad vitanda maiora tormenta in inferno, quæ omnia comprehendit his duobus versibus glossa *in cap. quod quidam, de pœnit. & remiss.*

Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ.
Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.

De Sigillo.

74 Sigillum est obligatio confessionis, qua tenetur confessarius occultare quidquid sibi per confessionem manifestatum fuerit.

75 Non solùm confessarius tenetur lege naturali, & diuina, sed etiam ecclesiastica seruare sigillum, vt probatur ex *cap. omnis vtriusque*

que sexus de pœnit. & remiss. vbi hoc strictè præcipitur confessario sub pœna depositionis, & faciendi perpetuam pęnitentiam inarctum monasterium, vbi vt infamis continuè maneat, vsque ad mortem, ieiunando; & alijs pęnis punitur.

76 Omnia illa peccata sub sigillo confessionis cadunt, quæ sunt manifestata sacerdoti per ordinem ad sacramentalem confessionem, animo se accusandi factam, ita tenent communiter Doctores, & præcipuè. *Filliuc. tr. 7. c. 11. q. 2. n. 319. Bon. sect. 5. pun. 2. n. 1.*

77 Hinc sequitur, confessarium non teneri ad sigillum confessionis, quando quis aperit confessario aliquid, non animo accusandi, sed trahendi illum ad peccatum. Ratio est, quia illa peccata cadunt sub sigillo, quæ ordinata sunt ad confessionem, sed in casu nostro peccata non sunt ordinata ad confessionem; ergo non cadunt sub sigillo. Quamobrem quidam mulctatus est, quia non manifestauit conspirationem factam, quem alter in confessione ipsi aperuerat, non animo se accusandi, sed animo illum trahendi ad eandem conspiratioonem. *Bon. disp. 5. q 6 punct. 2. n. 7. Sotus in 4. dist. 18. q 4. art. 5. Reg. n. 66.*

78 Seruare etiam tenetur sigillum ille, qui finxit se esse sacerdotem, & ob talem fictionem fuit causa, vt pœnitens manifestauerit sua peccata. Ratio est, quia pœnitens peccata sua manifestauit animo se accusandi, & in ordine ad confessionem sacramentalem, aliàs redderetur odiosa confessio. *Reginal. lib. 3. nu. 7. Fillince. loc. cit. Bonac. loc. cit. n. 2.*

79 Cadunt sub sigillo non solùm peccata mortalia, & venialia, sed etiam publica, & occulta consequenter confessarius loqui non potest de re publica, audita in confessione, cuius aliundè cognitionem non habebat; sed si aliun-

dę

de habebat notitiam, loqui poteſt extra confeſſionem eo modo, quo priùs nouerat, dummodò tamen nihil addat propter cognitionem habitam in confeſſione, *Filliuc.tr.7. c.11.qu.3. num. 311. Nauarrus,c.8.n.11.Bon.l.c. num 9.*

80 Ex hoc ſequitur, ſi aliquis ſurripuiſſet rem meam, & ego extra confeſſionem nouerim illum mihi ſurripuiſse, poſsum ipſum denunciare, poſtquam mihi confeſsus fuit hoc furtum. Ratio eſt, quia tunc ſcio vt homo, & non vt Deus, & cælare teneor, quod ſcio vt Deus, & non teneor cælare, quod ſcio vt homo, vt benè ait *S.Th. in addit.ad tertiam partem q.11.art.5.* in corpore.

81 Sacerdos ſolus tenetur, ſeruare ſigillum confeſſionis. Ratio eſt, quia ſacerdos eſt miniſter huius ſacramenti, & ſigillum confeſſionis eſt annexum huic ſacramento; ergo ſolus ſacerdos tenetur ſeruare ſigillum confeſſionis. *S.Tho. loc.cit.art.3.*

82 In hoc caſu poteſt quis ita arguere. In caſu neceſſitatis fieri poteſt confeſſio laico, & laicus tenetur etiam ſeruare ſub ſigillo peccata, & etiam qui finxit ſe eſse ſacerdotem, vt paulò antè diximus; ergo non ſolus ſacerdos ſeruare tenetur ſigillum.

83 Reſpondeo, quòd ſigillum confeſſionis ſacerdoti competit in quantum eſt miniſter huius ſacramenti, quod nihil aliud eſt, quàm debitum occultandi confeſſionem, ſicut clauis eſt poteſtas abſoluendi; tamen quia aliquis, qui non eſt ſacerdos, participat aliquando aliquid de actu clauis, dum audiat confeſſionem ob neceſſitatem, ita etiam aliquid participat de actu ſigilli confeſſionis, & tenetur occultare, licet propriè loquendo non habeat confeſſionis ſigillum. *S.Thom. dicto art.*

84 Sacerdos cum licentia pœnitentis reuela-

re poteſt confeſſionem. Ratio eſt, quia qui facere poteſt per ſe, per alium facere poteſt; poenitens reuelare poteſt ſuum peccatum, quod fecit; ergo facere poteſt per ſacerdotem *S. Thom. in addit. ad tertiam partem q.* 11.*art.* 3.

85 In quolibet caſu ſacerdos cælare tenetur peccata; quæ ſub ſigillo confeſſionis nouit, vt probatur ex *cap. omnis vtriuſque ſexus, de pænit. & remiſſ.* vbi habentur hæc formalia verba; Caueat omninò ne verbo, aut ſigno, aut aliquo quouis modo aliquatenus prodat peccatorem, & hoc ſecretum reuelari nunquam debet, etiam ſi Pontifex hoc præciperet ſub pæna excommunicationis, & nullam incurrit excommunicationem, & iurare poteſt hoc ſe neſcire, quia realiter neſcit vt homo, ſed vt Deus ſcit. Ratio eſt, quia præceptum ſigilli ſtrictiùs obligat aliquouis præcepto, *Suarez diſ.* 33.*ſect.*1.*nu.*11.*Regin. lib.*3.*n.*11.*Bonac punct.*4 *n.*20.

86 Ex hoc ſequitur, non eſſe reuelandam confeſſionem, ſi ex reuelatione vnius peccati penderet ſalus totius mundi, etiam ſi totus mundus eſſet perdendus. Ratio eſt, quia propter totius mundi ſalutem non eſt perpetrandum vnum peccatum, ita communiter Doctores.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

87 SOlus Sacerdos eſt miniſter huius Sacramenti Pœnitentiæ, vt conſtat ex Trid.

88 Hinc ſequitur, eum, qui non eſt ſacerdos, licet ſit diaconus, aut ſubdiaconus, & adminiſtret in articulo mortis, non validè adminiſtrare Sacramentum pœnitentiæ. Ratio eſt, quia ſolus ſacerdos eſt miniſter, & licet aliquandò confiteatur in caſu neceſſitatis laico, aut cuilibet perſonæ, quæ non eſt ſacerdos, illa confeſſio

non

non dicitur sacramentalis, quia non habet iurisdictionem, & in casu necessitatis fit hæc confessio laico humiliationis causa, *Fill.tr.7 pun.7.q.4. & 50.n.182.Reg.l.1.n.6.Bonac.q.7.punct.1.n.2.* & alij apud *Vasquez q.93.art.1.dub.1.*

89 Parochus, siue proprius sacerdos, audire potest confessionem sui subditi vbique, siue intra territorium suæ parochiæ, siue extra. Ratio est, quia illi actus, qui sunt voluntariæ iurisdictionis exerceri possunt vbique, sed pœnitentia est actus volunterię iurisdictionis; ergo parochus, siue proprius sacerdos, audire potest confessionem sui subditi extra territorium propriæ parochiæ. Hæc propositio habet locum non solùm in parocho perpetuo, sed in temporali, quia in his, quæ sine strepitu fiunt, nullius territorium læditur, & textus *in c. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* mentionem facit de proprio sacerdote, & non de loco, ergo proprius sacerdos vbique audire potest confessionem sui subditi, & quod non reperitur prohibitum à lege, concessum esse intelligitur, vt infra dicemus de legibus. Istæ rationes non solùm militant in personis habentibus iurisdictionem ordinariam, sed etiam delegatam; Quamobrem sacerdos, qui hic Romæ habet facultatem generalem absoluendi, absoluere potest quemlibet istius Ciuitatis in aliena diœcesi, modò facultas absoluendi non sit limitata pro hac diœcesi *Bon. disp.5.q.7.pun.2.n.10.Filliuc.tra.7.c.7 q.7 n.189. Reginal.lib.1 nu.93. Sanchez*, & multi alij apud citatos Doctores.

90 Quinque conditiones requiruntur in confessario, Potestas ordinis, & iurisdictionis, Bonitas, Scientia, Prudentia, & Sigillum.

91 In ministro requiritur duplex potestas ordinis, scilicet, quòd sit sacerdos, & iurisdictionis

nis, & hæc duplex est ordinaria vt in Pontifice, Prælatis, & Parochis, & delegata, vt in subditis.

92 Bonitas requiritur in confessario, scilicet, quòd sit sine peccato mortali, ad administrandum pœnitentiæ sacramentum.

93 Hinc sequitur sacerdotem, administrantem hoc sacramentum in statu peccati mortalis, mortaliter peccare, nisi ad gratiam se disponat per confessionem, aut per contritionem, antequam se ingerat administrationi huius sacramenti. *Regin. lib.* 1. *n.* 161. *Filliucc. tr.* 7. *cap.* 9. *qu.* 8. *Bon. q* 7. *pun.* 4. §. 2. *n.* 3.

94 In confessario requiritur scientia, vt sciat docere imperitum pœnitentem, & discernere sufficienter peccata. Ratio est, quia vnusquisque scire tenetur necessaria, quæ ad proprium officium spectant.

95 Requiritur etiam in confessario prudentia, & diligentia in præbendo debita remedia, & opportuna pænitenti, & præcipuè in interrogando in rebus venereis.

96 Confessarius, qui malè absoluit pænitentem excommunicatum, cùm non habeat iurisdictionem, debet ipsum pænitentem absentem absoluere, obtenta facultate absoluendi. Ratio est, quia absolutio censurarum dari potest in absentem, ignorantem, & existentem in peccato mortali, *Bon. disp.* 5. *q.* 7. *pu.* 6 §. 5. *n.* 1. *Fill. tr.* 7. *c.* 12. *q.* 6. *n.* 350. *Nauarr. c.* 26. *n.* 14.

97 Potest confessarius, qui dubitat absoluisse pænitentem, si habeat facultatem, absoluere pænitentem, qui nondum recessit a conspectu confessarij, seu quando confessarius non dubitat de ipsius præsentia; licet fuerit iam discessus à confessionario. Ratio est, quia sunt debita requisita ex parte pænitentis, & ex parte confessarij; nam adest materia, & intentio pœnitentis,

tis, cùm pænitens videatur adhuc retinere voluntatem recipiendi sacramentalem absolutionem donec absoluatur, adest etiam debita forma, intentio, & iurisdictio ex parte confessarij; ergo in hoc casu confessarius impendere potest beneficium absolutionis, *Bon. l. c. n. 2. Reg. l. 8. n. 30. Syluester*, & alij apud citatos Doctores.

98 Pænitens, qui absolutus fuit à confessario approbato tempore iubilæi, aut ab alio extra iubilæum, habente facultatem circa casus reseruatos, remanet absolutos à peccatis reseruatis, quæ omisit ob obliuionem in confessione, modò confessarius habeat animum, & intentionem absoluendi ab omnibus etiam reseruatis, & si postea in memoriam recurrant, ea sunt debito tempore confitenda, siue eidem, siue diuerso sacerdoti, etiam non habenti potestatem absoluendi à reseruatus. Ratio est, quia virtute talis absolutionis tollitur reseruatio, & peccatum remanet simplex. *Reg. l. 6. n. 152 & l. 9 nu. 6. Syluester, verbo, confessio, quæsito 4. Fill tract. 7. c. 10. qu. 12. num. 313 Bonac. qu. 7. punct 6. §. 5. nu. 2.*

99 Hinc sequitur, pænitentem non remanere absolutum, si confessarius non habuit intentionem absoluendi à peccatis reseruatis. Ratio est, quia actus agentis secundùm iuristas, & canonistas, non operatur vltra suam intentionem, vt probatur *ex cap. fin. de prebendis, & ex l. non omnis ff. de rebus creditis*.

100 Confessarius Romanus, qui facultatem non habet hic absoluendi à reseruatis, impendere potest beneficium absolutionis iter agentibus aut peregrinis, habentibus casus reseruatos proprio Episcopo ipsorum peregrinorum: dummodo tamen hic Romæ non sint reseruati. Ratio est, quia non solùm confessarius scire non tenetur casus reseruatos alij Episcopis, sed etiam, quia

quia reus iudicari debet secundùm leges loci, in quo reperitur, alioquin multis scrupulis est suppositus confessarius, debitans fere semper esse casum reseruatum alijs Episcopis. *Bon. disp.5, qu. 7. pun.5. §.2. n.9. Filliuc. tract.7. c.10. num.283. Reginald. lib.8. n.68. Nauarr. c.27 n.275. Caietanus,* & multi alij recentiores. Omnis sacerdos pro venialibus est confessarius.

De effectu Sacramenti Pœnitentiæ.

DIuersos effectus producit sacramentum Pœnitentiæ. Primus est remissio omnium peccatorum, tam venialium, quam mortalium. Secundus recuperatio meritorum, & gratiæ. Tertius est obligatio sigilli.

101 Remissio peccato quoad culpam, non remittitur semper tota pœna temporalis; Hæc propositio clarè patet ex *Trid. sess.6. c.14* vbi habetur: In sacramento pœnitentiæ debere adiungi satisfactionem, non ob pœnam æternam, quæ simul cum culpa remittitur per sacramentum, seu per votum sacramenti, sed ob pœnam temporalem; ergo pœna temporalis non semper remittitur, remissio peccato quoad culpam. *S.Thom.3.p.q.89.art.4. Filliuc. tr.6. c.4 q.7. nu.47.* & alij communiter.

De Sollicitatione.

1 SOllicitatio, de qua hic loquimur nihil aliud est, quàm prouocatio, seu inuitatio ad turpia, & inhonesta, idest ad res carnales, & venereas.

2 Ex quo sequitur, confessarium, qui pœnitentem in confessario osculatur, aut manum, vel aliam partem pœnitentis cum delectatione

vene-

venerea attrectat; aut ictu oculi, aut alio signo prouocat ad libidinem, subijci pœnis constitutionum Apostolicarum, quia sollicitare dicitur.

3 Hæc propositio ampliatur non solùm si confessarius in actu confessionis sacramentalis prouocet, alliciat, & excitet pœnitentem ad turpia, sed etiam si confessarius ante, vel post confessionem immediatè, seù occasione, vel prætextu confessionis, etiam ipsa confessione non sequuta, siue extra confessionem in confessionario, aut in loco quocumque vbi audiuntur confessiones sacramentales, seu electo ad confessionem audiendam, simulans ibidem confessionem audire, prouocare tentauerit pœnitentem, & sermones inhonestos habuerit, in omnibus casibus reuelari debent confessarij, nec paruitas materiæ excusat, vt habetur in Bulla Gregorij XV. quæ personas.

4 Omnes tam masculi, quàm fœminæ denunciare tenentur confessarium, qui sollicitare, seu prouocare tentauerit ad res venereas, & inhonestas, vt in Dicta Bulla.

5 Ampliatur hæc propositio, vt pœnitens reuelare teneatur confessarium, qui in confessione, vel antè, aut pòst immediatè præbet scriptum pœnitenti, in quo continetur prouocatio, etiamsi non legatur scriptum à pænitente tunc, sed postea alibi.

6 Reuelandi sunt etiam sacerdotes qui licet non sint confessarij finxerunt tamen se esse confessarios, & sollicitant modo, de quo diximus.

7 Non intelligitur prouocatio, quando pænitens sollicitauit confessarium, eiusque prouocationi non præstitit consensum, & consequenter pænitens denunciare non tenetur confessarium. Ratio est, quia in Bulla fit mentio de confessarijs sollicitantibus; hic autem non sollicitauit

pæni-

pænitentem , ſed pœnitens ſollicitauit confeſſarium, *Bon.de onere,& obligat.denunc. diſp.9.pu. 3.nu.17.Sanctarellus c.46.n.2. Rodericus à Cuna, q.11.n.* 4. & alij apud citatos Doctores.

8 Hoc præceptum denunciandi confeſsarium ſollicitantem obligat pænitentes ſub pœna peccati mortalis, nam præceptum in materia graui obligat ſub pęna peccati mortalis,& confeſsarij tenentur ſub pœna peccati mortali admonere pœnitentes de hac obligatione, vt clare conſtat ex verbis Bullæ dicti Gregor. XV. quæ incipit, Mandantes omnibus confeſsarijs *Bon.lo.c.nu.*10.

9 Abſolui poſsunt confeſsarij ſollitantes per ſacramentum pœnitentiæ ab hoc graui delicto à quolibet confeſsario ordinario. Ratio eſt , quia in iure non eſt caſus reſeruatus.

De Indulgentijs, & Suffragijs.

1 Indulgentia eſt relaxatio, aut remiſſio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus,non remiſsæ in abſolutione ſacramentali.

2 Duplex eſt indulgentia;plenaria,& temporalia.Plenaria eſt illa, qua remittitur tota pœna. Temporalis eſt illa, qua non remittitur tota pœna,ſed tanta quanta in Bullis exprimitur.

3 Non differt Iubilæum ab Indulgentia plenaria, & pleniſsima ; nam indulgentia plenaria idem eſt, quod pleniſſima, & dicitur pleniſſima ſolùm amplificationis cauſa, ſed differt ſolummodo ab Indulgentia plenaria , & pleniſſima , quia in Iubilæo conceditur facultas commutandi vota, & abſoluendi à caſibus reſeruatis. *Reg. l.7.c.13.Bon.de Indulg.pun.2.n.5.*

4 Summus Pontifex primariò concedere poteſt indulgentias plenaria in toto Orbe . Secundò legati Papæ concedere poſsunt indulgen-

tias perpetuas in terminis eorum legationis. Tertiò Archiepiscopi in eorum Prouincijs, & Episcopi in eorum Diœcesibus, dummodò tamen non excedat quadraginta dies, aut annum in dedicationem Ecclesiæ, & non plus, *ca. cum ex eo de pæn. & remiss Bon. pun. 3. n. 2.*

5 Aduertendum tamen est, quòd quando Episcopus est excommunicatus vitandus, concedere non potest indulgentias. Ratio est, quia vt supra diximus de Sacramento pænitentiæ, caret iurisdictione. *Bon. pun. 3. nu. 8.*

6 Consequuturus indulgentiam debet esse in gratia, sed non debet esse in gratia toto tempore, in quo præstat opera præscripta, sed debet esse in gratia, dum vltimum opus facit. Quamobrem qui tempore Iubilæi, in quo præscribitur ieiunium, & confessio, ieiunat, dum in peccato mortali existat, consequitur Iubilæum, si deinde confiteatur peccata sua, & recipiat gratiam sacramenti, *Bon. p. 5. n 20. Fill. tr. 8. c. 6 qu 6. n. 139. Regin. loc. cit. n. 123. in fine.*

7 Indulgentiæ possunt defunctus per modum suffragij, & non per modum iudicij; Hæc propositio clarè patet ex communi vsu Ecclesiæ, prosunt etiam defunctis, etiam si ille, qui opera præstat, non sit in gratia. Ratio est, quia indulgentiæ habent effectum, & suum valorem ex opere operato, & non dependent à gratia illius, qui pro defunctis indulgentiam lucratur, & licet non requiratur, vt sit in gratia, qui lucratur indulgentias pro defunctis, tamen vt opus satisfactorium ex opere operantis, factum ab aliquo in propria persona, alteri prosit ad satisfactionem, requiritur, vt operans sit in gratia. Ratio est, quia non solùm Deus peccatores non exaudit, sed etiam quia, qui in mortali peccato existit, est dignus remissione pænæ, & cul-

culpæ, ideò eſt impotens ad obtinendam alteri pænæ remiſſionem, *ita S.Thom.in quarto, diſt.*14. *q.*5.*art* 3.*Bonac.diſp.*6.*qu.*2 *pun.*2.*nu.*6 *Syluester*, *Suarez*, & alij apud citatos Doctores.

8 Hinc naſcitur difficultas, an valeat opus, & proſit, ſi præcipiens ſit in gratia, exequens verò, ſeu adimplens opus, exiſtat in peccato mortali. Reſpondeo, diſtinguendum eſſe, aut exequens concurrit tamquam inſtrumentum, aut concurrit, tamquam cauſa proxima. Si primo modo, illud opus eſt validum, etiam ſi præcipiens poſtea incidat in peccatum, dummodo tamen eſſet in gratia, dum præcipit opus fieri, vt verbi gr. ſi dominus, qui eſt in gratia, præcipiat ſeruo, vel famulo fieri eleemoſynam ſuo nomine, tunc enim quia ſeruus, vel famulus concurrit tamquam inſtrumentum; illud opus valet; Si ſecundo modo, ideſt, ſi concurrit tamquam cauſa proxima, illud opus non valet, vt v.g. ſi Prælatus præcipiat ſuo ſubdito improbo ieiunare, vel facere aliquid aliud in aliorum ſatisfactionem; licet voluntas Prælati ſit Deo accepta, illud tamen opus non eſt validum, neque ſatisfactorium. Ratio eſt, quia ieiunium eſt actus merè perſonalis, & perſona, quæ ieiunat, exiſtit in peccato mortali, & conſequenter quando exequens concurrit tamquam cauſa proxima, illud opus ab eo factum eſt nullius momenti, ita Doctores citati, & ita teſtatur etiam *Sotus diſt.* 45.*qu.*2.*art.*1.*concluſ.*6.

9 Lucrantur indulgentias, qui illud opus præſtant, cui adnexæ ſunt, licet id ignorent: Ideo indulgentiam plenariam ab Adriano VI. conceſſam non ſolùm regularibus, ſed etiam omnibus fidelibus Chriſtianis ad tria ſigna campanæ, recitantibus poſt ſolis occaſum, lucrantur, illi, qui tales indulgentias, illi operi adnexas, ne-

 ſciunt,

sciunt, *Escobar in c. 8. de indulg. Layman*, & alij.

10 Indulgentiæ plenariæ Anno Iubilæi suspenduntur, vt expresse declarauit Sixtus IV. in extrauaganti, incipiente; *Quemadmodum, de pœnit. & remiss.* Ratio est, vt fideles de tempore habeant occasionem Romam adeundi ad indulgentias consequendas.

11 Obseruandum tamen est, quòd Vrbanus VIII. viua voce declarauit, anno Iubilæi 1642. non suspendi vllas vrbis. Ratio est, quia cessat illa ratio propter quam suspenduntur indulgentiæ, vt probatur etiam ex dicta extrauaganti Sixti Quarti.

DE SACRAMENTO Extremæ Vnctionis.

1 SAcramentum extremæ Vnctionis est signum rei sacræ, quo sacerdos vngit aliquas partes corporis infirmi probabiliter periclitantis oleo consecrato sub certa verborum forma.

2 Extrema Vnctio non habetur expresse in Euangelio quando fuit instituta, eius tamen mentionem facit Iacobus Apostolus, vt habetur *in c. 1. §. de prima de sacram. Vnction.* vbi sunt hæc verba: Infirmatur quis in vobis? inducat Præsbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes cum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum; sed nobis sufficit scire fuisse institutum à Christo, vt constat *ex Trid. sess. 7. can. 1.*

3 Materia sacramenti extremæ Vnctionis, duplex est, proxima, & remota; Remota est oleum ex oliuis expressum, & necesse est, vt sit ab Episcopo benedictum, alioquin non est materia apta. Proxima est vnctio; Hæc propositio

tio clarè patet ex illis verbis Iacobi V. Vnguentes oleo.

4 Forma huius sacramenti sunt hæc verba: *Per istam sanctam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, &c. deliquisti. Amen*, habetur *in Trid. sess.* 14. *can.* 1.

5 Solus sacerdos est minister huius sacramenti, vt clarè constat ex *Trid. sess.* 14. *c.* 3. *de extrema Vnctione*.

6 Hinc sequitur sacramentum extremæ vnctionis administratum à Diacono, etiam Cardinali, aut Subdiacono, inualidum esse, etiamsi administraretur de licentia Summi Pontificis. Ratio est, quia Christus instituit sacerdotem pro ministro huius sacramenti, & Summus Pontifex dispensare non potest in his, quæ sunt de iure diuino communiter, cum S. *Th.* 3. *p. q* 3. *art.* 2. *Bon. de Sacram. extrema Vnctionis dis.* 7. *qu. vnic pun.* 4, *num.* 2.

7 Aduertendum tamen est, quòd non quilibet sacerdos administrare potest licitè hoc sacramentum, sed esse debet proprius sacerdos, aut parochus, & ille, qui non habet hanc facultatem à parocho grauiter peccat, administrando hoc sacramentum. Ratio est, quia nemo mittere debet falcem in messem alienam, *Bonac. loc. cit. nu.* 5. *Syluest. verbo Vnctio, num.* 4. Imò Religiosi, quamuis exempti, quia administrant hoc sacramentum sine licentia parochi, incidunt in excommunicationem, *Clem.* 1. *de priuilegiis*, sed in hanc censuram non incidunt Religiosi, quando infirmus existit in periculo mortis, quia tunc præsumitur tacitus consensus Pontificis, vel Episcopi.

8 Hoc sacramentum conferendum est omnibus fidelibus infirmis, existentibus in periculo

D 3 pro-

probabili mortis,& negandum est illis,qui numquam habuerunt, neque habent vsum rationis, vt pueri, & perpetuò amantes, aut phrenetici, qui in phrenesim inciderunt, & habeant peccatum mortale, & non ostendebant signum contritionis.Ratio autem, quia dari non debet hoc sacramentum illis,qui nunquam habuerunt, neque habent vsum rationis, est, quia habere non possunt deuotionem erga hoc sacramentum, *Bon.loc. cit.punct.5.n.1.& 2.Filliuc. tr.3 cap. 6 num.135.*

9 Ex hoc sequitur, conferri posse hoc sacramentum ijs, qui habuerunt intentionem illud recipiendi, saltem interpretatiuam, qualem habere dicuntur, qui Christianè vixerunt, vel qui dederunt signa contritionis, vt constat ex Rituali Romano in illa particula, Petierit, vel quasi petierit, *Bon.loc.cit.n.11.Nauar.c.22. num.13.* & communiter Doctores.

10 Hinc etiam sequitur, hoc sacramentum conferendum non esse illis, qui bellum gerunt, aut in mari existunt cum periculo mortis, neque ad mortem damnatis, neque fœminis in partu existentibus, *Bon. num.4.*

De effectu istius Sacramenti.

11 TRes producit effectus hoc Sacramentum. Primus abstergit reliquias peccatorum. Secundus subleuat infirmum ab ægritudine corporali, & sanitatem confert si expedierit animæ saluti. Tertius gratiam confert: non solùm sanctificationem, sed etiam delet peccata venialia, & præbet auxilium contra tentationes, quæ eo tempore esse solent vehementes, *Bon.dis.8.qu.vnica pun.6.nu.1.Suar. dis.41.sect.1.* Secundùm verò *Nauarrum c.22.n.13.* delet tam venialia quàm mortala. Vnde dicit, quòd fieri

potest,

potest, vt aliquis moriens absque hoc sacramento damnetur, & cum hoc sacramento saluetur, quandoquidem fieri potest, vt aliquis confiteri non possint sua peccata, vel si posset non censet illud ei necessarium, quia iam confessus, sed sine contritione, vel attritione sufficienti ad remissionem, ac postea tanta ei superueniat attritio, quæ quamuis de se ad peccatorum remissionem non sufficiat, tamen adiuncto sacramenti valore suf-ficeret, nam per virtutem sacramenti ex attritio fit contritus, vt ait *S. Thom. 3. p. qu. 79.*

12 Sacramentum extremæ Vnctionis producere effectum in vltima Vnctione; licet aliqui contrarium teneat. Ratio nostra est, quia peccatum vnius sensus non remittitur, nisi remittantur peccata, quæ originem trahunt ab alijs sensibus; cùm ergo peccata, quæ originem trahunt ab vno sensu, non remittantur, nisi remittantur omnia alia, sequitur infirmum consequi effectum in vltima vnctione, *Filliuc. tract. 3. nu. 129. Bonac. punct. 6. nu. 2. Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1.* & alij.

DE SACRAMENTO Ordinis.

1 ORdo est signaculum quoddam, per quod traditur potestas ordinato.

2 Ordines, secundùm canonistas, sunt nouem: idest, Prima tonsura, Ostiariatus, Exorcistatus, Lectoratus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, & Episcopatus; tamen secundùm commuuem opinionem Theologorum, solummodo sunt septem, quia dicunt, quòd prima tonsura, & Episcopatus non sunt ordines, sed officium: Hæc propositio clarè pa-

tet ex *Trid sess. 2 3. c. 2. Reg. lib. 8. tr. 5. n. 5. Bon. disf. 8. qu. vnica pun. 1. n. 2.*

3 Sacramentum ordinis fuit institutum in vltima Cæna Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.*

4 Duplex est materia, proxima, & remota. Remota est illa res, quæ traditur recipienti ordinem. Proxima est illa traditio.

5 Forma sunt verba, quæ ab Episcopo proferuntur.

6 Tractus materiæ est de essentia huius sacramenti, & non dicitur ordinatus, qui non tangit realiter materiam. Ratio est, quia in quolibet sacramento materiam continente necesse est, vt suscipiens eam tangat. S. *Tho. in addit. ad tertiam partem, q. 34. art. 5. Syluest. verbo, ordo 2, nu. 5. Fill. tr. 9. c. 2. qu. 3. n. 32.*

7 Episcopatus couferri uon potest validè alicui infanti, vel non sacerdoti; Ratio est, quia Episcopatus non est ordo distinctus ab ordine sacerdotali, sed illum extendit, & supponit, *Bon. loc. c. n. 3. Syluest. verb. Ordo, n. 1. Vasqu. disput. 240. cap. 5. n. 54.*

8 Minister ordinarius huius sacramenti est proprius Episcopus, vt clarè patet ex *Trid. sess. 24. can. 4. & 7.* Abbates habentes potestatem mitræ, & baculi benedicti ab Episcopis conferre possunt primam tonsuram; & ordines minores eorum subditis regularibus. Sed alijs, sine speciali consensu Episcopi, & literis dimissorialibus conferre non possunt, vt benè ait *Quaranta, ver. Ordo, vers. Abbatibus pag. 393.* & clarè constat *ex can. quoniam, dist. 69. & ex Trident. sess. 23. c. 10.* Immò quilibet Sacerdos cum licentia Summi Pontificis conferre potest ordines minores, sed non maiores. Ratio est, quia est determinatus minister à lege diuina sacri Ordinis,

nis, vt benè docet *Bellarm. de sacrament, ordinis, c. 7. in fine; Bonac. puncto 4. nu. 3. Couar. primo variarum, c. 10. n. 10.*

9 Ex hoc colligi potest, quòd ille, qui non est sacerdos, neque conferre potest ordines minores ex dispensatione Summi Pontificis, licet possit sacerdos. Ratio est, quia collatio ordinum est actus ordinis; actus autem ordinis exerceri non potest ab illo, qui caret ordine, Præterea potestas conferendi ordines supponit potestatem supra Corpus Christi; sed nullus, nisi sacerdos habet potestatem supra Corpus Christi; ergo solus sacerdos conferre potest ordines, & consequenter qui non est sacerdos conferre non potest ordines. *S. Tho. 3. p. qu. 38. art. 1. Syluest. verbo ordo, quæsito 2. Filliuc. tr. 9. c. 5. n. 95. Bonac. loc. cit. num. 4.*

10 Quælibet persona, dummodo tamen sit masculus, & baptizata, est subiectum capax ordinis, quamuis sit hæreticus, vel infans carens vsu rationis, aut furiosus, aut insanus ita *S. Tho. 3. p. q. 30. art. 2. Bonac. puncto 5. n. 1.* Ratio est, quia *in cap. vnico de his, qui per saltum ordinantur*, habemus non esse reordinandos illos, qui receperint ordines ante vsum rationis, ergo supponimus, masculos, qui vsu rationis carent, esse capaces huius sacramenti ordinis; ideò neque fœmina, neque hermaphroditus, qui præualet in sexu fœmineo sunt capaces huius sacramenti. Ratio est, quia numquam legitur Christum alios ministros instituisse, quam viros, ergo soli viri sunt capaces huius sacramenti ordinis, communiter cum *S. Th. q. 39. ar. 2.* De iure tamen ordinari non possunt infantes, furiosi, illiterati, illegitimi, bigami, serui, infames. Ratio est, quia sunt indigni, & non merentur, vt aliis præponantur tamen si de facto ordinantur, recipiunt

sacramenntum ordinis, *vt in dicto capit. vnico.*

11 Potest quis hic ita obijcere; Qui vitam Pontificum scripserunt, affirmant Ioannem VIII. fuisse fœminam, ergo fœmina potest esse capax ordinis, cũ esse non possit Papa, qui ordine caret.

Respondeo hoc esse fabulosum, confictum ad hæreticis, & multis mendacijs adornatum, vt benè ostendit. *Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice. Honuphrius in annotationibus apud Platinam, Bon. tom. 3. de censuris in bulla cœna contentis disp. 1 q. 2. pun. 1. nu. 11.*

12 Multæ conditiones requiruntur ad validè recipiendum, & licitè ordines. Prima, vt suscipiens sit baptizatus: character enim ordinis necessariò præsupponit characterem baptismi. Secunda, vt sit confirmatus, sed hoc intelligitur de congruitate. Tertia, vt ille, qui sumere vult ordines, sit ordinatus prima tonsura, tamen est valida ordinatio ante primam tonsuram, quia in iure non constat, necessariò requiri primam tonsuram ad validitatem ordinis. Quarta, requiritur legitima ætas, nam ad primam tonsuram, & tres ordines minores requiritur ætas septem annorum completorum *can. singulis dist. 77.* Ad Acholytatum ætas duodecim annorum completorum; Ad Subdiaconatum viginti duorum annorum inchoatorum; Ad Diaconatum viginti trium inchoatorum; Ad Presbyteratum vigintiquinque annorum inchoatorum, etiamsi per medium diem tantùm inchoati sint, vt clarè patet ex Bulla Pij II. quam refert. *Quaranta verbo Ordo, in principio*, & in cap. *nullus de temporibus ordinandorum*; sed ad Episcopatum requiritur ætas triginta annorum completorum, *cap. cum in cunctis, de electione.* Quinta, requiritur scientia sufficiens ad vsum cuiuslibet ordinis. Sexta, morum testimonia, quæ dari solent tempore

scru-

ſcrutinij, antequam promoueatur quis ad ordines, vt patet ex *Trident.ſeſſ.23.cap.8.* Septima, vt habeat titulum, dum promouetur ad ſacros ordines: immo ſacros ordines recipiens ſine aliquo titulo ſuſpenditur ab axequutione ordinum vt probatur ex *Can. neminem diſt.7.* Immò promoti dolosè ad ſacros ordines ipſo facto incurrunt ſuſpenſionem ab ordine ſuſcepto; Hæc propoſitio clarè patet in Bulla Summi Pontificis Vrbani VIII. quæ incipit *Secretis æternæ Prouidentiæ*, edita 11. Decembris 1624. vbi ſunt hæc formalia verba: *Promoti verò perpetuæ ſuſpenſionis pænam, abſque ſpe diſpenſationis à Sede Apoſtolica obtinendæ incurrant eo ipſo; inſuper promotos huiuſmodi, ac etiam eos, qui cum falſis, vel fictis, aut fiduciarijs patrimonij titulis ſcienter ſe ad ordines huiuſmodi promoueri fecerint non ſolum prædictis, verùm etiam maioribus arbitrio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis afficiendi pænis, Bonac.diſp.8. qu.vnica, pun.5. nu. 21. Nauarr.conſ.14 & 46. de temporibus ordinandorum*, & multi alij apud *Garziam nu. 24.* Octaua, requiruntur interſtitia temporum, non ſolùm in maioribus, ſed etiam in minoribus, nam recipiens ordines minores expectare debet per annum, donec promoueatur ad ſacros ordines, niſi aliter videatur Epiſcopo. Nona, vt ſuſcipiens non ſit irregularis. Decima, vt non ſit ligatus excommunicatione, nam excommunicatio priuat ſuſceptionē ſacramentorum. Vndecima, intentio, quæ eſt neceſſaria in adulto. *Bonac. loc.cit.pun.6. qu.56. & 57.*

12 Character imprimitur in ſuſceptione inſtrumēti dati ab ordinatore, ita cōmuniter Doctores.

13 Officium Acolythi eſt, præparare luminaria, & deferre vrceolos cum aqua, & vino pro ſacrificio.

14 Officium exorcistæ est, expellere diabolos ab Energumenis.

15 Officium lectoratus est, legere lectiones, & prophetias in Ecclesia Catholica.

16 Officium ostiariatus, est expellere infideles, Hæreticos excommunicatos, & alias personas indignas ab ecclesia.

Officium subdiaconatus est, deferre calicem cum patena ad altare Christi, & in illo præparare materiam, tradere leuitis, eisque ministrare.

18 Officium diaconi est, assistere sacerdotibus; & subministrare eis in omnibus, quæ in sacramento altaris aguntur.

19 Officium Presbyteri est dicere orationes, & conficere corpus, & sanguinem Christi in altari, & omnia alia sacramenta, præter ordinem, & confirmationem, administrare: omnia hæc colligi possunt *ex Can. Clerici dist.* 21. *& ex Can. lectis dist.* 25.

20 Prima tonsura quolibet die conferri potest. Consecratio Episcopi quolibet die dominico, sed ordines maiores conferri debent in sabbatis quatuor temporum, aut in sabbato ante Dominicam passionis, aut in sabbato sancto tempore missæ. *cap. 3. de temporibus ordinandor.* nisi aliud per priuilegium Sedis Apostolicæ concedatur *Bon. pun. 6. num. 1. Quaranta verbo, ordo, Syluester verbo, ordo nu. 6.* Ordines minores verò diebus festis, & Dominicis modò non fiat ordinatio generalis dicto *c. 3. vbi glos.*

De effectu Sacramenti Ordinis.

21 Duos producit effectus hoc sacramentum Ordinis. Primus est gratia habitualis, nam ordo est sacramentum, effectus sacramenti est gratia habitualis, & non solùm ordi-

ordines maiores sunt sacramenta, sed etiam minores, quia *Trident. sess. 24. cap. 4.* post quam recensuit nomina singulorum ordinum, absolutè dicit, ordinem esse sacramentum. S. *Tho. 3. p. q. 22. art. 2.* Secundus effectus est character; iste effectus secundus confertur eodem tempore, quo primus confertur. *Bon. l. c. n. 3.* S. *Tho. & alij, apud Reg. l. 30. n. 3. & 16.*

De Horis Canonicis.

1 TEnentur recitare diuinum officium beneficiarij, & constituti in sacris ordinibus, & tenentur statim ac promoti fuerint ad sacros ordines, constituti in maioribus ordinibus; Beneficiarij post captam pacificam possessionem. Ratio est, quia in Bulla Pij V. fuit renouatum, quòd post consequutionem beneficij tenetur quis recitare diuinum officium, & ille dicitur consequutus beneficium propriè, qui pacificam possessionem adeptus est cum titulo, communiter *cum Bonac. de his, quæ pertinent ad priuatum officium, dis. 1. q. 2. pun. 5. nu. 1. Reginald. l. 30. n. 88. Filliuc. n. 138.*

2 Beneficiarius recitare tenetur solùm horas canonicas, quæ correspondent horæ, in qua adeptus fuit possessionem beneficij, vt constat etiam in illo, qui ad sacros ordines promouetur ad titulum patrimonij sine titulo beneficij, non tenetur ille die, quo suscepit ordines maiores, recitare Matutinum, & Primam, sed solùm recitare tenetur officium iuxta horam, in qua ad sacros ordines promouetur, *Filliuc. c. 9. num. 285. Laym. l. 4. tr. 1. c. 6. dub. 4. Bon. loc. c. num. 10.* & communiter moderni.

3 An duæ, aut plures personæ vnum, & idem beneficium litigantes teneantur ad pensum diuini officij.

Respon-

Respondeo, aut neuter eorum cœperit possidere pacificè, aut alter eorum. Primò casu neuter eorum tenetur ad pensum diuini officij recitandi. Ratio est, quia neuter eorum habet iurisdictionem, siue ius certum in beneficio, cùm ius acquiratur per pacificam possessionem, & illa sola spes non tribuit ius; nam multis modis esse potest, vt recitans diuinum officium litem non vincat, & in tali casu beneficium iudicabitur tamquam vacans. Secundo casu, qui possidere cæpit pacificè beneficium tenetur ad pensum diuini offici, nam iste habet ius, titulum, & possessionem beneficij, licet fructus beneficij fortè fuerint sequestrati auctoritate Iudicis, *Bon. loc.cit.pun* 4 *n.*26.*Reginal.lib.*30.*nu.*30. *Layman. l.*4.*tr.*2.*c.*5.*nu.*3.*qu.*4.& alij communiter, teste *Filliuc.num* 160.

4 Singulis diebus est recitandum diuinum officium iure ecclesiastico, & non iure diuino, vt patet *ex ca. dolentes, de celebrat. missarum, & ex Concilio Lateranensi, & ex* Bulla *Pij V.*

5 Tempus recitandi diuinum officium incipit à media nocte diei præcedentis, & perseuerat vsque ad mediam noctem diei sequentis inclusiuè. Ratio est, quia diuinum officium recitari debet singulis diebus, vt constat *ex dicto cap. dolentes.*

6 Dies secundùm communem vsum Ecclesiæ, incipit à media nocte diei antecedentis vsque ad mediam noctem diei subsequentis, vt omnes Doctores dicunt.

7 Hinc sequitur, non satisfacere præcepto eum, qui recitat diuinom officium pro sequenti die, excepta recitatione matutini vt communiter obseruatur. Ratio est, quia qui non recitat diuinum officium intra tempus ab Ecclesia præscriptum, non tenetur elapso die recitare, cùm obliga-

obligatio sit affixa illi diei, & transit cum ipso die; Idem dicendum est de ieiunio, & audiendo sacro, vt benè obseruat, *Bonac. pun. 3. nu. 3. Syluest. verbo. hora, quæsito 9. Regin. l. 18. num. 18. Toletus l. 2. c 13. num. 7.*

8 Non seruas ordinem horarum recitandi v.g. primam ante matutinum, aut vesperas antè horas, venialiter peccat, dummodò tamen hoc faciat sine iusta causa, quia non obseruat consuetudinem, & modum præcepti, non peccat tamen mortaliter, neque tenetur repetere, quia adimplet præceptum quo ad substantiam, immo neque peccat venialiter, si hoc facit ob iustam causam. *Syluester, verbo, hora, quæsito 4 Toletus lib. 2. c. 14. n. 4. Bon pun. 4. n. 123. Lessius lib. 2. c. 37. dubio 11. num. 80.*

9 Non peccat, qui priuatè recitat officium sedendo, dum genuflectendum est. Ratio est, quia ritus recitandi officium hoc modo, non videtur receptus sub rigore præcepti, sed solummodò deuotionis causa, sed in publico facilè esse potest, vt interueniat aliqua culpa, vt pat t in illo, qui sine iusta causa recitat officium in choro sedendo, dum genuflectendum est. Ratio est, quia non videtur exhibere debitam reuerentiam Deo; dum alij genuflectunt, & ipse sine vlla causa publicè sedet, & ingerit aliquam suspicionem modicæ deuotionis in Deum, *Regin. lib. 18. n. 72. Bonac. pun. 6. nu. 1. Filiuc. tom. 2. tr. 23. c. 8 q. 6. in fin n. 265.*

10 Possumus eodem tempore audire missam, & recitare diuinum officium. Ratio est, quia hæc ad vnum finem diriguntur, vt supra diximus de Missa, & non est incompossibilis recitatio diuini officij cum missæ auditione. *Bonac. dis. 1. qu. 3. pun. 2. §. 2. n. 1. Nauar. de ordinatione, c. 13. nu. 36. Caiet. 2. 2. q. 85. art. 13.*

11 Peccat mortaliter, qui tenetur recitare horas Canonicas, non recitando eas, aut partem illarum notabilem omittendo, & dicitur pars notabilis medietas horæ paruulæ, vt aliqui iudicant, & non tertia pars, *Syluest. verbo, hora, quæsito 12. Reg. l. 18. n. 143. Fill. c. 7. n. 246. Laym. l. 4. tr. 1. c. 4. n. 4.* & alij apud *Suar. cap. 25. n. 16.*

12 Qui liberauit non recitare diuinum officium, & postea sæpè sæpius in die repetit voluntatem non recitandi toties peccat, quoties mortaliter repetit voluntatem omittendi officium, vel partem notabilem. Ratio est, quia tot sunt peccata, quot sunt actus peccaminosi interni moraliter interrupti, *Bon. q. 5. pun. 1. n. 7. Regin l. 18. n. 157. Nau. de oratione, c. 17 nu. 9. Syluest. verbo, Hora, quæsito 12.* & alij communiter.

13 Beneficiarij, qui recitare tenentur diuinum officium, restituere tenentur fructus ante sententiam Iudicis pro rata omissionis diuini officij, si elapsis sex mensibus, postquam obtinuerit possessionem beneficij, culpabiliter non soluerint pensum diuini officij, etiam si aliodie pensum prætermissum supplere conentur, vt clarè patet ex *Concilio Lateranensi, sub Leone X. & ex Bulla Pij V.* vt benè refert *Bonac. loc. cit. pun. 2. n. 2.* vbi affert decretum extensum editum à dicto Pio V. 12. Kalendas Octobris 1571. & quilibet Clericus, qui pensionem percipit, recitare tenentur officium Beatæ Mariæ Virginis prædicto modo; & pœnis prædictis subijcitur.

14 Hinc colligi potest eum, qui omisit diuinum officium primis sex mensibus post consequutionem possessionis beneficij non teneri restituere fructus, licet mortaliter peccet, nam dictæ bullæ obligant ad restitutionem fructuum post sex menses, immò neque teneri, qui leuem partem officij omisit, vt si omiserit psalmum,

aut paucos versiculos, ita *Reginald. lib. 30. nu. 44. Bon. pun. 12. nu. 11. Toletus lib. 2. c. 12. nu. 6.* & alij apud citatos Doctores.

15 Excusantur à peccato mortali, & à restitutione fructuum, qui non soluerint pensum diuini officij, si habeant beneficium tenue, licet aliqui teneant contrarium, vt *Syluester*; tamen opinio *Soti de iustitia, & iure lib. 10. q. 6.* magis pia videtur, nempè quòd non peccant mortaliter, tamen consuli debent, ne ampliùs omittant pensum diuini officij.

16 Beneficiarius, omittens diuinum officium, non tenetur totaliter restituere omnes fructus, sed solummodo correspondentes oneri diuini officij: nam nonnulli dicunt, quòd Parochus, aut Episcopus omittens diuinum officium restituere tenetur tertiam, aut quartam partem fructuum pro rata; Cæteras verò partes fructuum; videtur posse sibi retinere ratione aliorum onerum. Canonicis, & alij, habentes obligationem residentiæ, tenentur restituere medietatem, aut tertiam partem; Beneficiarij verò simplices, qui solummodo tenentur ad pensum diuini officij, omnes fructus restituere tenentur, correspondentes oneri diuini officij pro rata, *Bonac. q. 5. pun. 3. n. 2. Lessius l. 2. c. 34 dub. 32. Toletus l. 2. c. 12. n. 5. Emanuel Sa verbo Beneficium nu.* 88. *Layman*, & alij apud citatos Doctores.

17 Restitutio facienda est pauperibus, aut fabricæ beneficij, vt clarè patet ex *Bulla Pij V. & ex Concilio Lateranensi. supra relatis.*

18 Qui mutat officium ad libitum, siue mutat ex causa, siue in fraudem, vt dicatur officium breue, non peccat mortaliter. Ratio est, quia non est sub præcepto determinatum officium, *Syluer. de horis Canonici, num.* 15. Aliqui verò contrarium sentiunt, nempè quòd mortaliter pec-

peccat, quia facit contra consuetudinem Ecclesiæ.

DE SPONSALIBVS Et Sacramento Matrimonij.

1 Sponsalia sunt promissio, & repromissio futurarum nuptiarum inter virum, & mulierem, nisi enim fuerit promissiô ex vtraque parte, cum mutuo consensu, non habet vim sponsaliorum, *c. ex spons alib. de sponsalib. & matr. in 6.*

2 Sponsalia iure Canonico sunt in duplici differentia; quædam enim celebrantur per verba de futuro, vt ducam te in vxorem, ducam te in maritum; quædam celebrantur per verba de præsenti, vt volo te in vxorem, volo in maritum, & sponsalia de præsenti idem sunt ac matrimonium.

3 Ex veris sponsalibus de futuro oritur obligatio ad matrimonium contrahendum sub pæna peccati mortalis. Ratio est, quia qui non seruat promissum in re graui, peccat mortaliter; sed sponsalia sunt contractus inter sponsum, & sponsam in materia graui, & ex illo contractu nascitur obligatio; ergo qui non adimplet obligationem ex sponsalibus contractam, peccat mortaliter; *Sanchez l. 1. disp. 27. n. 2. Filliuc. tr. 10. c. 7. q. 2. n. 236 Bonac. de sponsalibus q. 1. pun 2. n. 1.*

4 Quando sponsalia contrahuntur de futuro per parentes pro filijs puberibus, necesse est, vt ipsi puberes consentiant; si verò contrahuntur pro impuberibus, valent sponsalia sine eorum consensu, & licet filius non teneatur factus pubes deinde adimplere de necessitate, tamen ex debito honestatis tenetur adimplere, ita communiter Doctores.

5 Spon-

5 Sponsalia de futuro contrahi posʃunt ab habente ʃeptimum annum completum, ʃiue maʃculus, ʃiue fæmina, & licet ʃufficiat eadem ætas in contrahendis ʃponʃalibus de futuro, tamen in contrahendis ʃponʃalibus de præʃenti, ʃecus. Ratio eʃt, quia in contrahendis ʃponʃalibus de futuro requiritur vʃus rationis tantùm, qui in vtroque regulariter incipit ʃimul completo ʃeptennio, ʃed in ʃponʃalibus de præʃenti requiritur potentia coeundi, quæ in vtroque ʃexu non incipit eodem tempore. Vndè ʃponʃalia de futuro contracta a minore ʃeptennio non valent, neque ex illis oritur impedimentum publicæ honeʃtatis, niʃi ex ʃententia communi Theologorum parum diʃtarent à ʃeptennio, ita *Sotus in 4.ʃent.diʃt 27 q 1.art.2.*

6 Matrimonium eʃt maris, & fæminæ coniunctio indiuiduam vitæ conʃuetudinem continens, *l.1 ff.de ritu nuptiarum.*

7 Ad Matrimonium contrahendum non ʃufficit conʃenʃus internus, ʃed requiritur, vt exprimatur verbis, aut ʃignis. Ratio eʃt, quia matrimonium eʃt contractus; contractus neceʃsariò debet manifeʃtari ʃigno externo; cùm homines percipere non poʃʃint interiora, non eʃt tamen neceʃse, vt conʃenʃus exprimatur verbis determinatis, ʃed ʃufficit ʃi per nutum, aut ʃigna ʃufficienter exprimatur; nam verba requiruntur, vt conʃenʃus manifeʃtetur; ʃed conʃenʃus manifeʃtari poteʃt per ʃigna, aut nutum, igitur non eʃt neceʃse, vt nonʃenʃus exprimatur verbis. *Sanch. l.2.diʃp.30.Fill.tr.2.c.3.q.4.Bon.q.2.pun.1.num.3.*

8 Matrimonium fuit inʃtitutum a Deo in Paradiʃo Terreʃtri, quando dixit illa verba; *Faciamus ei adiutorium ʃimile ʃibi, & erunt duo in carne vna, Gen c.12.*

9 Matrimonium infidelium eʃt contractus, quem

quem infideles, celebrando, non peccant, est enim in officium, seu conseruationem naturæ humanæ, & remedium concupiscentiæ; non est tamen sacramentum. Ratio est, quia non habent baptismum infideles, qui est ianua omnium sacramentorum, *Bonac.loc.cit p.2.num.2.* & alij apud *Sanchez l.2.disp.8.*

10 Duplex est materia huius sacramenti, proxima, & remota. Remota sunt corpora contrahentium. Proxima est traditio mutua ipsorum contrahentium.

11 Forma est acceptatio vtriusque, ideſt mariti, & mulieris, qua perficitur matrimonium, ita Recentiores communiter, *Sanch. l.2. disp.8. Reginal.lib.31.nu.42.Filliuc.tr.10.c.1.q.6.nu.10. Bonac.pun.4.n.4.*

12 Minister essentialis huius sacramenti non est sacerdos, sed sunt ipsi contrahentes. Ratio est, quia matrimonium clandestinum, quod sine sacerdote celebrabatur ante Tridentinum *sess. 24.c.1.* erat verum matrimonium, & sacramentum, vt clarè constat *ex Tridentino*; ergo sacerdos non est minister essentialis, alioquin non esset matrimonium Clandestinum verum matrimonium, & sacramentum.

13 Matrimonium celebratum inter absentes per litteras, aut procuratorem, est verum sacramentum. Ratio est, quia concurrunt omnia necessaria ad validitatem sacramenti, nempè concurrunt materia, forma, & intentio ministri, ideſt contrahentium, qui intelligunt recipere sacramentum, *Syluester verbo, matrimonium.§ fin. Sanch,l.2.disp 15.Bon.p.5.nu.2.* & alij apud præcitatos Doctores.

14 Impedimenta, quæ non solùm impediunt matrimonium contrahi, sed contractum dirimunt, sunt duodecim, secundùm verò ius

nouum

nouum sunt quatuordecim; Concilium enim Tridentinum addit duo, ideſt raptum, & defectum præſentiæ Parochi, & teſtium, quæ omnia his verſibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis.
Raptaue ſit mulier nec parti reddita tuta.
Hæc facienda vetant conubia, facta retractant.

15 Error, ideſt, matrimonium contractum cum errore perſonæ eſt nullum, quando v. gr. mulier crederet contrahere matrimonium cum filio talis Regis in particulari, vel ducis, comitis, aut cuiuslibet, cùm non ſit ille, quem eſſe credit; ſed ſi crederet indeterminatè, quod ſit filius Regis, Ducis, nobilis, aut diuitis, non dicitur error perſonæ, ſed tantum fortunæ, qui quidem error non eſt ſufficiens ad annulandum matrimonium, neque dicitur error perſonæ; ſi non habeat notitiam, ſaltem per famam talis Regis, aut Ducis, *Syluest. verbo, matrimonium* 8. *q.* 1. §. 5. *Rosella, verbo, impedimentum* 2. & commuuiter Doctores, cum *D Th. apud Sanchez l.* 7. *diſp.* 8.

16 Dicitur etiam error perſonæ, credere eſſe primogenitum alicuius cùm non ſit realiter ille, & ob ſpem, ob quam erat ſucceſſurus in bonis parentum, vt primogenitus. Ratio eſt, quia deficit conſenſus omninò neceſſarius ad contrahendum matrimonium; nam ille qui errat non conſentit *leg.* 6 *per errorem ff. de iuriſdict. omnium iudicum, Hoſtienſis in ſua ſumma, verbo (matrimonium) impedimento* 433. *Calderinus in c.* 2. *de coniugio ſeruorum.*

17 An ſit validum matrimonium hoc modo contractum; Caius contrahere volebat matrimonium cum primogenita Titij, volebat priùs illam

illam inspicere, num sit formosa, & sibi placeat, sed quia primogenita Titij est deformis, loco illius ostenditur secundogenita, aut alia, quæ illi pulchra videtur, & ei placet, postea Caius matrimonium contraxit cum primogenita Titij, non aduertendo, an sit illa, quæ priùs fuerit sibi ostensa, non potest aduertere forsitan, quia per procuratorem matrimonium contraxit.

Respondeo, validum esse. Ratio est, quia non interuenit error personæ, sed qualitatis; Nam Caius accepit primogenitam Titij; quàm intendebat accipere, & quæ sibi promissa fuerat, licet errauerit in qualitate pulchritudinis. Secus dicendus est, si Caio fuit promissa vna ex filiabus Titij indeterminatè sine singulari nota, idest non denotando neque primam, neque secundam; tunc enim si casus contingeret, vt si Caius videre volebat sponsam, an sibi placeat, si alia ostendatur pulchra, postea in contractu matrimonij alia æquæ pulchra substituatur, aut pulchrior, non est validum matrimonium, quia interuenit error personæ, cùm ipse credat se contrahere cum illa, quam viderat, & ad quam fertur sua intentio tempore contractus matrimonij, *Sanch. lib. 7. disp. 18. nu. 35. Bon. q. 2. pun. 2. nu 9. de impedimento erroris.*

18 Conditio, idest matrimonium contractum cum errore conditionis est nullum, quando conditio errantis deterior fit, vt quando liber homo cum serua contrahit, quam liberam esse credebat, sed quando persona, cum qua contrahitur est æqualis, aut melioris conditionis, tunc matrimonium tenet, *Ita communiter Doctores*, quos sequitur *Sanch. l. 7. disp. 19. nu. 13. Bon. disp. 3. pun. 3. n. 1 Filliuc. tr. 10. d. 2. cap. 2. n. 4. &* 44.

19 Hinc sequitur, si seruus cum persona libera contraheret, quam seruam esse putabat, aut

con

contraheret serua cum seruo, quem putabat esse liberum, esse validum matrimonium, vt habetur in *cap. si quis, & in cap. nostrum, de coniugio seruorum*. Ratio est quia ecclesia posuit hoc impedimentum, vt tollatur inæqualitas, & non fieret iniuria personis liberis; sed in casu nostro non adest inæqualitas, aut iniuria, quando persona, cum qua contrahitur, est æqualis, aut melioris conditionis; ergo matrimonium contractum cum huiusmodi errore conditionis est validum; Est validum quoque, quando liber homo contrahit cum serua, sciens, aut probabiliter dubitans an sit serua, nam in hoc casu non fit illi iniuria; eò quòd inæqualitas videatur esse voluntaria, *Sanch. num.* 20. *Filliuc. n.* 42. *Bon. n.* 4.

20 Votum, idest, qui votum castitatis emiserit, vel in religione approbata vel susceptione ordinis sacri contrahere non potest, & si contrahit, est nullum matrimonium, etiam si sit consummatum *c.* 1. *de voto, in* 6. Idem dicendum de voto simplici, quod faciunt Patres societatis. Iesu, elapso biennio, vt clarè patet ex motu proprio Gregorij III. qui incipit: *Ascendente Domino*: de quo videri potest; *Valentia to.* 4. *dis.* 10. *q.* 5. *pun.* 3. *Bon. p.* 4. *n.* 2. *&* 3. *Sanch. l.* 2. *dis.* 19.

21 Cognatio triplex est, naturalis, legalis, & spiritualis Cognatio carnalis, siue naturalis impedit contrahi, & contractum dirimit inter ascendentes, & descendentes, secundùm communem opinionem in infinitum; inter collaterales vsque ad quartum gradum inclusiuè, *c non debet, de consanguinit. & affinit. habetur in sacro Concilio Trid. sess* 4. *de Sacram matrim. Can.* 2.

22 Cognatio legalis impedit contrahi, & contractum dirimit in linea ascendentium, & descendentium, etiam sublata adoptione in infinitum secundùm communem opinionem, in linea

col.

collateralium in primo gradu tantùm, durante tamen adoptione, *cap. vnico, de cognatione legali.* Hæc propositio intelligenda est, stantibus ex vna parte legitimo tantum, & ex altera legitimo, & naturali simul; nam si ex vna parte extaret legitimus tantùm, & ex altera naturalis tantùm; vel ex vtraque parte extarent legitimus & legitima, tunc enim inter eos contrahi potest matrimonium, Bon §.3. *de cognatione legali n.8. Fill. n.203. Sanch. dis.63. num.30.*

23 Cognatio spiritualis hodie impedit contrahi matrimonium, & contractum dirimit inter baptizantem, & baptizatum, & matrem, & patrem ipsius baptizati, & inter confirmantem, & confirmatum, & patrem, & matrem ipsius confirmati, & inter tenentem, & tentum, & matrem, & patrem ipsius tenti, & non vltrà, vt patet ex *Trid. sess. 24. c. 1. de reformatione.*

24 Crimen idest delictum, duplex est, Quod habet vim non solùm impediendi, sed etiam irritandi matrimonium, & in his duobus reduci possunt illa tria quæ affert S. *Tho. in 4. dist. 42. & dist. 39.* communiter receptus.

25 Primum crimen est machinata occisio coniugis, vt quia quis occidit vxorem suam, aut virum alicuius mulieris hoc fine, vt illam duceret in vxorem, aut è conuerso; nam si vnus illorum machinatus sit mortem absque conspiratione alterius, non contrahit impedimentum matrimonium dirimens, modò cum homicidio non intercesserit adulterium. *cap. super hoc, de eo qui duxit in matrim.*

26 Secundum crimen est, cùm quis adhuc viuente prima, aliam vxorem cognouit promittendo se ducturum in vxorem post mortem primæ, nam si nec ante, nec post promissionem eam cognouerit, mortuo marito, ducere eam

potest

potest in vxorem , *cap. si quis , eodem titulo.*

27 Cultus disparitas; licet inter infideles sit verum matrimonium, dummodò tamen non adsit impedimentum legis diuinæ , aut naturalis , tamen matrimonium , quod fit inter fidelem , & infidelem non est verum matrimonium iure ecclesiastico , sed quando fidelis duceret fœminam, quæ licet sit baptizata , nihilominus est hæretica , aut schismatica , licet Christianus peccet mortaliter , tale matrimonium tenet: communiter Canonistæ in *Can. non oportet* 28. *q.* 1. *vbi glos. Reg. n.* 169. *Bon. pun.* 7. *n.* 2. *Sanch. disp.* 72. *n.* 4. vbi plures alios refert.

28 Vis , id est , inualidum esse matrimonium per vim contractum , quæ sit absolutè , & per metum grauem, qui cadit in constantem virum , vt metus mortis, libertatis, stupri, aut longi carceris , vt habetur in toto titulo codicis , de his, quæ metus causa, *c. cum dilectus, de his, quæ vi, & l. nec timorem , ff. quod metus causa* ; dummodò tamen metus sit iniustè incussus à causa libera ad extorquendum consensum, *Ricc. decis.* 253. *Bon. p.* 8. *n.* 8. *Sanch. l.* 4. *dis.* 14.

29 Ordo , id est , ordines maiores validè, & legitimè suscepti sine aliquo timore , dirimunt contractum matrimonij , subsequentem; Hæc propositio est de fide definita in *Concilio Trident. sess.* 25. *Can.* 9. *cap. vnico de voto, in* 6. sed matrimonium antea contractum non dissoluitur per susceptionem sacri ordinis , neque per dignitatem Episcopalem: ita est definitum in quadam extrauaganti Ioannis XXII de voto .

30 Hinc nascitur difficultas, an teneatur continere, & an valeat matrimonium , si quis finxit se esse annorum 21. cùm re vera non haberet nisi 14. vel 15. ordinem subdiaconatus suscepit, ignorans illi esse annexum votum solemne castitatis ;

posteà verò facti pœnitens aliò se contulit, & ibi matrimonium contraxit.

Respondeo, non teneri continere, & validum esse matrimonium. Ratio est, quia votum solemne expressum in religione approbata, ante pubertatem emissum, nisi post pubertatem ratificetur non obligat, *Can. 1. & Can. illud 20. q. 1. & cap. ad nostram de regular.* ergo nec votum solemne tacitum emissum in susceptione sacri ordinis. Prætereà hodie cùm votum solemne expressum professionis non valeat vsque ad 16. annum completum, iuxta *Trid. sess. 25. c. is de regul.* Idem erit dicendum de initiato sacri ordinibus ante 16. annum, eum non teneri continere, & consequenter esse validum matrimonium. *Sanch. l. 7. dis. 30.* vbi refert plures DD.

31 Ligamen, id est, qui secretè duxerit vxorem, licet cognita non sit, non potest aliam ducere, dum illa viuit, & si contrahit, secundum matrimonium non tenet, & si aliqua mulier contrahit cum secundo, quia credens primum maritum esse mortuum, tunc tenetur recedere à secundo, postquam cognouit primum viuum esse viuum, alioquin mortaliter peccat, petendo, vel reddendo debitum post huiusmodi notitiam, & primus maritus tenetur eam recipere, dummodo tamen non habuerit rem cum secundo, postquam habuerit notitiam, primum adhuc viuere, & omne illud, quod dictum est de muliere, intelligendum est de marito, *Can. cum per bellicam 34. q. 2.* Si verò certo non nouit primum virum esse superstitem, sed tantummodo dubitat, non potest, existente dubio, petere debitum; alioquin exponit se periculo adulterij, sed tantùm reddere potest, ita communiter *in c. celebre, de secundis nuptijs.*

32 Honestas, idest impedimentum publicæ hone-

honestatis, consurgens ex sponsalibus validis, non solùm impedit contrahit matrimonium, sed contractum dirimit hac tempestate inter sponsum, & consanguineos sponsæ, & è conuerso vsque ad primum gradum tantùm, *cap.3.sess.24. de reformat.in sacro Concil. Trident.* si verò oriatur ex sponsalibus de præsenti, tunc impedit matrimonium contrahi, & contractum dirimit vsque ad quartum gradum inclusiuè, & licet sponsalia de futuro inualida non causent hoc impedimentum, vt habetur *in Tridentino loco citat.* tamen ex matrimonio inualido contracto per verba de præsenti, oritur hoc impedimentum. Ratio est, quia non est recedendum à iure antiquo, nisi aliter iure nouo decernatur, sed iure antiquo impedimentum publicæ honestatis consurgebat ex matrimonio inualido, & extendebatur vsque ad quartum gradum, vt habetur in *cap. accessit, de dispensat. impub.* & iure nouo non est aliter decretum, vt patet ex motu proprio Pij V. incipiente, *Ad Romanum spectat*; igitur ex matrimonio inualido nascitur impedimentum publicæ honestatis, ita habetur in declarationibus Cardinalium, teste *Bon. punct. 11. nu. 11. Tuscus tom. 5. concl. 140. n. 5. Sanch. & alij.*

33 Affinitas, id est vinculum, quod prouenit ex carnali copula licita, vel illicita quarumdam personarum, non solùm impedit contrahi matrimonium, sed contractum dirimit, cum hac tamen differentia: nam impedimentum, quod oritur ex copula licita impedit, & dirimit vsque ad quartum gradum inclusiuè; sed quod nascitur ex copula illicita vsque ad secundum gradum inclusiuè, vt clarè constat ex *Trid. sess. 24. c. 4.*

34 Si fortè coire nequibis; id est, peccat qui contrahit scienter sponsalia, aut matrimonium, non habendo potentiam coeundi, vel ex natura,

vel ex maleficio, dummodo sit perpetuum, & matrimonium non tenet, vt habetur in titulo de frigidis,& maleficiatis,tamen si scienter ex vtraque parte contrahitur matrimonium, secundùm nonnullos tenet; iuxta illud si illam non potes habere in vxorem,habet in sororem, vt benè iudicauit *Syluest.verbo matrimon. 8.n.16.& glos. in c.laudabilem,de frigidis, & maleficiatis*.

35 Eunuchus contrahere non potest, & si contrahit, matrimonium non tenet. Ratio est, quia iste censetur impotens pro vt declarauit Pius V.

36 Præsentia Parochi, & testis id est hodie, vbi acceptatum fuit Tridentinum, fieri non potest matrimonium sine præsentia Parochi, & duorum,vel trium testium, & si contrahitur sine dicta præsentia, est nullum, *cap.1 sess.24.de reform.in Tridentino*; immò matrimonium in articulo mortis contractum sine dicta præsentia parochi est nullum, & inualidum, quamuis fuerit contractum in magna necessitate. Ratio est, quia quamuis præceptum Ecclesiæ non videatur obligare cum tanto rigore, nihilominus hoc intelligitur, quando præceptum non inducit formam substantialem, vt præceptum præmittendi denunciationes, sed in casu nostro inducit formam substantialem, ergo deficiente forma substantiali, deficit quoque contractus matrimonij, & consequenter matrimonium huiusmodi contractum nullius est momenti, *Sanch.l.3.disp.17.Bon. q.1.pun.8.n.8.Suar.de leg.l.5.c.23.n.2.*

37 Matrimonium contractum coram Parocho excommunicato vitando, aut suspenso ab officio,aut irregulari, videtur esse validum. Ratio est,Quia hæc assistentia non est propriè actus iurisdictionis, ita vt non possit ab excommunicato vitando validè exerceri, sicut ab eo exer-

ceri

teri non possunt actus iurisdictionis; immò huiusmodi Parochus alteri concedere potest licentiam ad assistendum ob rationem iam dictam, quia sicut non est priuatus auctoritate assistendi, ita etiam neque priuatur facultate concedendi alteri huiusmodi licentia, *Bonac. de matrimon. q. 2. pun. 8. n. 21. Filliuc. n. 204. Sanch. disp. 20. 21. & 40. num. 10.*

38 Quælibet persona mentis, & rationis capax esse potest testimonium in matrimonio cuiuslibet ætatis, aut conditionis, aut status. Ideò non excluduntur iuuenes, vsum rationis habentes, nec fœminæ, nec parentes, nec pater, nec mater, nec infidelis, neque excommunicati; licet istæ personæ non admittantur, vt idonei testes in alijs rebus, nihilominùs admittuntur in matrimonio. Ratio est, quia Tridentinum nullum testem excipit; ergo non est conueniens, vt nos excipiamus: ita communiter, *Bon. l. c. n. 43. Riccius decis. 244. Sanch. l. 3. disp. 40.*

39 Raptaue sit mulier, idest, hodie inter raptorem, & raptam fieri non potest matrimonium, dum manet in potestate raptoris; tamen si rapta separata fuerit à raptore, & constituta in loco securo, & postea consentiat illud accipere in maritum, tunc raptor eam ducere potest in vxorem, sed raptor & omnes illi, qui consilium præstant, auxilium, aut fauorem, sunt ipso iure excommunicati, vt clarè patet *Tridentino sess. 24. cap. 6. de reform.*

40 Impedimenta, quæ contrahi impediunt, sed contractum non dirimunt, sunt quinque, interdictum, sponsalia, catechismus, votum, & Crimen, quæ his versibus continentur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum
Atque catechismus, sponsalia, iungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

41 Interdictum, idest peccat, qui matrimonium contrahit contra prohibitionem Ecclesiæ, Episcopi, Iudicis, aut Parochi, donec constet non esse impedimentum aliquod, de quo fuit oppositum, & peccat etiam ille, qui contrahit matrimonium de præsenti sine debitis publicationibus in Ecclesia publicatis, non existente legitima causa: nihilominùs matrimonium tenet.

42 Sponsalia, idest, mortaliter peccat, qui sponsalia de futuro contrahit cum vna, sine legitima causa contrahit sponsalia de præsenti cum alia; nihilominùs matrimonium tenet.

43 Catechismus, id est, peccat, qui matrimonium contrahit cum vna persona, attinente ad ipsum ob parentelam spiritualem natam ex Catechismo: Catechismus enim est instructio fidei; quæ solemniter fit ante ianuam Ecclesiæ super baptizando, vel iam baptizato, ex qua nascitur cognatio spiritualis imperfecta, quem tantum impedit, sed non dirimit matrimonium.

44 Simplex votum, idest, peccat, qui matrimonium contrahit, postquam votum simplex castitatis emiserit, & peccat etiam qui cum aliqua contrahit, quam sciebat fecisse simile votum castitatis secundùm *glossam singularem in can. nouimus 27. qu. 2.* licet matrimonium iam contractum teneat. *can. consuluis, can. si quis 26. qu. 1.*

45 Crimen, idest, grauiter peccat, qui matrimonium contrahit, postquam commiserit vnum ex his septem peccatis, quæ impediunt matrimonium contrahi, sed non dissoluunt iam contractum; Quorum primum est incestus. Secundum occisio vxoris sine legitima causa. Tertium raptus sponsæ alienæ. Quartum cùm quis leuat proprium filium de sacro fonte. Quintum quando quis sacerdotem occidit, dummodò tamen fuerit in iudicio de crimine conuictus. Sextum

est

est illud, ob quod fuit imposita solemnis pœnitentia. Septimum est contractus matrimonij scienter cum moniali professa, in omnibus his casibus licet peccet contrahendo, matrimonium tamen contractum tenet. Communiter Doctores, & præcipuè *Bon.qu.3 pun.14. n.10. vsque ad 20. Sanchez disp.6.n.6.Fill.n.290.*

46 In matrimonio contrahendo in fœmina requiritur ætas duodecim annorum, in masculo quatuordecim, & hoc de iure ciuili; nam secus de iure canonico, quod in matrimonio contrahendo non ex annorum numero, sed ex coeundi potentia pubertatem dijudicandam statuit; Vnde fœmina etiam minor duodecim annis viri potens rectè matrimonium contrahit *c. puberes, & c de illis, de desponsat. impub.*

47 Finis primarius matrimonij est susceptio prolis, & educatio, alij verò fines sunt domestica societas, & communicatio inter virum, & vxorem, significatio coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, & remedium contra concupiscentiam.

48 Regulæ, quibus gradus discerni possunt, sunt tres, quarum prima vtimur in linea ascendentium, & descendentium, vna in linea collaterali æquali, & altera in linea collaterali inæquali.

49 Prima regula est hæc: tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempta vna; exemplum Caius pater, & Titius filius sunt in primo gradu, Caius auus, & Sempronius nepos sunt in secundo gradu, quoniam sunt tres personæ, dempta vna, remanent duæ.

50 Secunda regula, quoto grado vterque distat à communi stipite, eodem gradu distat à suo collaterali; Exemplum duo fratres sunt in linea collaterali æquali, vterque distat à communi stipite æqualiter, sed stipes nempè pater, & fi-

lius sunt in primo gradu; ergo duo fratres sunt etiam in primo gradu.

51 Tertia regula, eo gradu distant personæ inter se, quoto gradu remotior persona distat à communi stipite, sic filius fratris distat à patruo, seu à fratre sui patris in secundo gradu; ideſt regulæ habent locum de iure canonico, quod semper seruandum est in materia matrimonij; Si scire cupis graduum computationem de iure ciuili, animaduertere oportet, quòd illa regula, quæ locum habet in linea ascendentium, & descendentium de iure canonico, habet quoque locum de iure ciuili; In collateralibus verò duplicandus est gradus, qui enim sunt in primo de iure canonico, sunt in secundo de iure ciuili; & qui sunt in secundo de iure canonico, sunt in quarto de iure ciuili.

De dispensatione matrimonij.

52 SVmmus Pontifex dispensare potest in impedimentis dirimentibus, immò aliquando dispensare potest in matrimonio rato, vt ad tollendas discordias, aut ad euitandum periculum peruersionis. Ratio est, quia non solùm aliqui Pontifices de facto dispensarunt vt Paulus III. Martinus V. Adrianus IV. & Pius IV. vt testatur *Bon.pun.* 11. *n* 4. sed etiam quia iudicandum est à Christo collatam fuisse potestatem suo Vicario, & auctoritatem ad ea, quæ sunt necessaria bono regimini Ecclesiæ. *Sanch.disp.* 15. *&* 18. *Filliucc.n.* 56. *& sequent Bon.loc.cit.*

53 Hinc nascitur difficultas, si matrimonium fuerit legitime contractum inter duos infideles, & consummatum; An Summus Pontifex dispensare possit, si alter eorum peruenerit ad Religionem Christianam, altero verò permanente in infidelitate.

Respon.

Respondeo, quod licet aliqui dicant quòd in hoc casu Summus Pontifex dispensare non potest, & consequenter huiusmodi matrimonium dissolui non posse cum dispensatione Summi Pontificis, tamen melius responderi potest, distinguendo; Aut ille, qui remanet in infidelitate petit à fideli disiungi, aut vellet cum eo habitare in contumeliam creatoris; in hoc casu interueniente auctoritate Summi Pontificis non solùm potest dissoluere matrimonium fidelis, sed etiam matrimonio se coniungere, si verò vellet habitare cum eo sine contumelia creatoris, in hoc casu dissolui non potest, hoc clarè deducitur *ex cap. gaudemus, vbi DD de diuort.*

54 Neque obstat illa scriptura: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*: Nam respondetur quòd quando dissoluitur matrimonium, interueniente auctoritate Summi Pontificis, non censetur solutum auctoritate humana, sed potiùs diuina, vt probatur *ex c. quodcumque 34. q. 1.*

55 Episcopus dispensare potest in impedimentis non dirimentibus, excepto voto castitatis, & religionis absoluto, & perfecto. Ratio est, quia licet inferior dispensare non possit in legibus superioris, nihilominus consuetudine introductum est, vt dispensatio istorum impedimentorum non obtineatur à Pontifice, excepto (vt modò diximus) voto castitatis, & religionis. *Nauar. c. 21. n. 5. Bonac. loc. cit. pun. 15 n. 3. Filliuc. n. 802. & alij apud Sanch. l. 2. disp. 46.*

56 Hic addendum est etiam, posse aliquando Episcopum dispensare in impedimentis dirimentibus, quæ superueniunt matrimonio, vt quando impedimentum est occultum, & matrimonium est publicum, nec coniuges separari possunt sine magno scandalo, nec ad Summum Pontificem, aut Nuncium haberi potest recur-

sua propter paupertatem, aut distantiam loci *Riccius decisione* 261. & omnes Doctores citati. Ratio est, quia non est credibile Summum Pontificem, in casu tantæ necessitatis velle reseruare sibi dispensationem, & cum tanto periculo animarum, & consequenter præsumitur concessa facultas tacita Episcopo dispensandi in foro conscientiæ, dummodo tamen matrimonium fuerit bona fide contractum, vt communiter Doctores dicunt, si sed mala fide fuit contractus, ita eo casu præsumitur, Pontificem sibi reseruasse facultatem dispensandi, secundùm *Trid sess.*24.*c.*5. vbi habetur in hoc casu separandos esse sine spe obtinendæ dispensationis.

De Debito coniugali.

57 Regulariter loquendo coniuges non reddendo alteri coniugi petenti debitum, mortaliter peccant. Ratio est, quia iniuriam facit grauem coniugi petenti secundùm Doctores, & Apostolum 1. Corinth. 7. vbi habetur. Vir vxoris debitum reddat.

58 Quinque sunt causæ, coniugem excusantes, ne reddere teneatur. Prima est impotentia coeundi, siue propter actum præcedentem, quod tamen in muliere communiter locum non habet, sine propter aliquam causam, quia impossibilium nulla est obligatio. Secunda est, quando in reddente imminet periculum in persona, idest, mortis vel infirmitatis. Tertia est fornicatio, quia fornicanti alius debitum reddere non tenetur, quia potest etiam hac ratione vir dimittere, nisi in aliquibus casibus, de quibus dicemus infra de diuortijs. Quarta causa addi potest religio, quam alter scilicet coniugum intrare vult, qui reddere non tenetur statim,

tim, sed debet sibi statui tempus, intra quod ingredi tenetur, nempè tempus, duorum mensium: *vt c. ex publico de conuersione coniugum*. Quinta causa additur locus sacer, aut publicus, in quo salua honestate reddi non potest. *S.Th. relatus à Syluestro in verbo, debitum, n.2.*

59 Redditio debiti vel eius petitio in multis casibus est peccatum mortale. Primò ratione malæ intentionis. Secundò ratione loci, nisi adsit magna necessitas. Tertiò ratione modi, qui est contra naturam. Quartò ratione menstruorum. Quintò ratione abortus. Sextò ratione iniustæ negationis. Septimò ratione impedimenti voti, vel affinitatis. Octauò ratione adulterij alterius comparis; ita communiter, præsertim *Syluester loc. cit. n. 3.*

60 Coniux, qui post contractum matrimonium, contraxit cognationem spiritualem cùm altero coniuge baptizando, vel tenendo filium communem in confirmatione, priuatur iure petendi, si illum baptizauit extra necessitatem, si verò in necessitate non priuatur iure petendi, vel reddendi debitum. Ratio est, quia qui caret culpa, etiam à pœna excusatur; vt probatur *ex c. si vni, de cognatione spirituali, Bon. de hic, quæ pertinent ad vsum matrimonij pun.2.n.2. Reg.l.31.n. 291. Sanch. Filliuc & alij.*

61 Dantur etiam casus, in quibus coniuges in contractu matrimonij peccare possunt. Primò, quando deficit consensus internus, in quo casu apud Deum est inualidum matrimonium, & mortaliter peccant toties, quoties carnaliter se cognoscunt, donec animo coram Parocho de nouo consentiant; quamuis apud Ecclesiam præsumatur verum matrimonium, quia Ecclesia non iudicat de occultis. Secundò, ex defectu alicuius impedimenti dirimentis, aut defectu

E 6 absen-

absentiæ Parochi, & testium. Tertiò, defectu ætatis, vel temporis; Quartò, defectu denunciationum. Aduertendum tamen est, quod ille, qui intra quatuor menses post factas denunciationes, matrimonium non contraxit, non potest matrimonium contrahere, nisi præmittat nouas denunciationes arbitrio Episcopi. *Ita decreuit Congregatio Cardinalium apud Rebellum in declarationibus Cardinalium sess. 2. n. 8.* Quintò, defectu benedictionum omissarum; nam coniuges post contractum matrimonii benedici debent debito tempore, non peccant tamen mortaliter, qui benedictiones omittent sine contemptu, licet illarum susceptio in iure præscribatur. Ratio est, quia benedictiones sunt tantummodo sacramentalia, quæ non videntur esse tanti momenti, & obligare sub poena peccati mortalis. Sextò ratione alicuius peccati mortalis nondum per confessionem, vel per contritionem deleti; nam qui recipit sacramentum indignè, peccat mortaliter; sed qui contrahit matrimonium cum peccato mortali, indigne recipit sacramentum; igitur peccat mortaliter, contrahendo matrimonium in peccato mortali. *Sanch. & alij apud Bon. loc. cit. pun. 6. n. 1.*

62 Vxor potest se tactibus excitare donec seminet, si vir postquam seminauit se retrahat ante seminationem vxoris. Ratio est, quia alioquin sentiret grauem afflictionem, si cogeretur ita remanere libidine excitata, & illi tactus ordinantur ad actum coniugalem completum; hæc ratio non militat in viro, qui tactibus se polluit, postquam foemina se retraxit. Ratio disparitatis est, quia semen mulieris nec actiuè, nec passiuè concurrit ad generandum, semen verò viri à natura ad generationem institutum est, *Bon. dicto pu. 6. n. 15. & 16. Sanch. l. 9. dis. 17. n. 10.*

63 Ex hoc sequitur virum committere peccatum mortale, qui copula incepta à seminando desistit. Ratio est, quia hoc est contra finem generationis, quæ expostulat, vt consummato coitu ex parte fœminæ, consumi debeat etiam ex parte viri. *Bon. l. c. n.* 16 *Sanch. l. 9. dis. 19. nu.* 4. contra nonnullos Doctores.

64 Pollutio habita inter coniuges habet speciem adulterij, & hanc circumstantiam aperiendam esse in confessione, videlicet pollutionem commissam esse cum propria vxore, vt benè ait *Sanch. disp* 18. *n.* 4 & 5. *Reginald. n.* 333. *Bon. pun.* 6. *num.* 19.

65 Confessarius admonere tenetur pœnitentem, qui matrimonium contrahit in gradu prohibito cum ignorantia inuincibili, quando credit admonitionem non statim profuturam; sed breui tempore. Ratio est, quia semper facienda est correctio, siue admonitio, quoties speratur correctionem profuturam esse, melius tamen est pœnitentem admonere post absolutionem quam ante, ne turbetur, & ponat obicem ad gratiam, si verò credit illam monitionem non profuturam esse, debet illum in sua bona fide relinquere, si autem mala fide contraxit, omnino debet monere, quam rem diligenter aduertat confessarius, quid sibi faciendum sit. *Bon. pun. vltimo n.* 12. *Filliuc. num.* 99. & *alii apud Sanch. lib.* 7. *disp.* 38. *num.* 16.

De Diuortiis.

66 Diuortium, propriè loquendo, est matrimonij, quoad vinculum, legitima solutio, vtroque coniuge viuente, impropriè est legitima separatio mariti, & vxoris quoad mutuam habitationem, remanente vinculo matrimo-

trimonij *can. 7. & 8 sess. 24. in sacro Conc. Trid.* Dicitur diuortium, à mentium diuersitate, vel quia hi, qui matrimonium distrahunt, in diuersas partes eunt *l. 1. ff. de diuortijs.*

67 Regulariter matrimonium legitimè contractum dissolui non potest (Dixi regulariter.) nam dantur multi casus in quibus dissoluitur.

68 Primus, si alter coniugum, matrimonio contracto per verba de præsenti, & non adhuc consummato, emiserit professionem in approbata religione; nam tunc matrimonium dissolutum esse censetur, etiam si alter non consenserit; Verùm si dicenti velle ingredi in approbatam religionem, & per hoc nolle matrimonium consummare, est certus terminus præfigendus ad deliberandum arbitrio iudicis, non minus tamen duorum mensium, *vt diximus supra de matrimonio cap. ex publico, vbi glossa, & Abbas de conuersione coniugum.*

69 Hic aduertendum est, quòd si mulier post sponsalia de præsenti dicat velle ingredi approbatam Religionem, & vir cognosceret eam violenter infrà duos menses, non per hoc dicitur matrimonium consummatum, ita vt ampliùs in religionem ingredi non possit, si verò fuit cognita violenter post transactos duos menses à die desponsationis, tunc enim, quia non est ampliùs in sua potestate eligere religionem, cùm tenebatur tunc reddere debitum, dici non potest violentiam passam esse, & consequenter in hoc casu censetur consummatum matrimonium. Ratio est, quia in primo casu fit iniuria sponsæ, & culpa sponsi impedire non debet bonum sponsæ, *Syluest. verbo, diuortium n. 8. Bon. de impediment. matrimon. q. 3. pun. 4. n. 8. Sanch. li. 2. disp. 21. Reg. l. 31. nu. 39.*

70 Committit adulterium, qui emittit pro-

fessionem legitimè, post consummatum matrimonium, si aliam cognouerit. Ratio est, quia per professionem non dissoluitur matrimonium, & consequenter religiosus coniugatus adulterium committit, cum cognoscat carnaliter aliam personam distinctam à propria vxore, & facit contra fidem datam in matrimonio. *Sanc, disp. 21. vsque ad trigesimam quintam*, vbi videri possunt multæ res vtiles, & curiosæ circa hanc materiam, *Bon. q 3. pun 4 n. 13. de impedim. matrim.*

71 Secundus casus, in quo similiter dissoluitur matrimonium ratum, & non consummatum, etiam quo ad vinculum, quod Summus Pontifex ob magnam causam ex communi coniugum consensu dispensat, vt *supra diximus de dispen. matr.*

72 Tertius casus est, in quo dissoluitur matrimonium, etiam consumatum inter infideles, quando alter eorum peruenerit ad fidem, altero remanente infidelitate, adueniente tamen auctoritate Summi Pontificis, vt supra dictum est *de sacram. matrim. in fine.*

73 Aduertendum tamen est, quòd si matrimonium contractum sit inter fideles, & alter eorum labatur in hæresim, vel in alium errorem gentilitatis, in hoc casu non dissoluitur matrimonium, nec remanens in fide alteri nubere potest, *cap. gaudemus de diuortijs.*

74 Fieri potest diuortium, quando fœmina ita arcta sit, vt mulier fieri non possit, aut mulier virum acceperit, qui adeò frigidæ naturæ sit, vt eidem carnaliter misceri non possit, *c. 1. de frigidis, & maleficiatis.*

75 Aduertendum est, quòd si mulier fieri potest apta viro per incisionem, tenetur pati incisionem, vt apta reddatur, etiam cum graui dolore; non tenetur tamen pati cum periculo vitæ, aut grauissimo morbi incommodo, quia non

vide-

videtur obliganda ad debitum coniugale reddendum cum suo tanto incommodo. *Bon. qu. 3. pun. 13 n. 7. Sanch. lib. 7. disp 93. nu. 32. Fill. nu. 7.*

76 Diuortium impropriè fieri potest quoad mutuam habitationem, remanente tamen vinculo matrimonij pluribus ex causis, & primò ob maximam mariti sæuitiam, vel si maritus insidiatus est vitæ vxoris. Secundò ob adulterium alterius coniugis, & sic tam viri, quam vxoris, & si adulteria viri notoria fuerint, potest vxor propria auctoritate absque decreto iudicis Ecclesiastici a viro suo diuertere, & è contra. *Riccius in decis. 230.*

77 Dantur tamen casus, in quibus per adulterium coniugis separatio fieri non potest. Primus est, si vterque coniux commiserit adulterium, esto quod adulterium vnius sit occultum, alterius publicum; nam in foro conscientiæ satis est, vt vterque lapsus sit in adulterium. *Sanch. post reliquos lib. 1. disp. 6* Secundus quando eam post adulterium reconciliauit, debitum reddendo, vel exigendo, vel publicè adulterantem tenuit, & retinet in consortio Maritali *can 1. cum sequenti 31. qu. 1.* sunt alij casu, in quibus per adulterium fieri non potest diuortium, de quibus per *Syluestrum, verbo, diuortium num. 11.*

78 Tertiò fit diuortium quantũ ad separationem propter hæresim, vel infidelitatem alterius, quando ex illa cohabitatione fit periculum incidendi in eadem hæresi, vel infidelitate; *Sanch. lib. 1. disp 1.* dicens posse hoc in casu fidelem coniugem ad religionem transire, & si masculus sit etiam ad sacros ordines. *Syluest loc. cit. n. 13.*

79 Aduertendum tamen est, quòd datur maxima differentia inter fornicationem carnalem, & spiritualem. Ratio est, quia in prima sequuta emendatione, non compelluntur coniuges se

coniun-

coniungere. *cap. ex bonis de diuortio*, & in secunda compelluntur se recipere, nisi ad religionem transitum fecissent, vel facere velint. *cap. fin. de conuers. coniug.*

80 Quartò fit diuortium ob maleficium, impediens copulam carnalem post facta remedia spiritualia: *Riccius in decis. 236.* & multis alijs modis fieri post diuortium quoad mutuam habitationem, quos ob breuitatis causa omitto.

81 Ex consensu communi matrimonium consummatum dissolui potest quoad thorum, & habitationem vtroque intrante, & profitente religionem, sed non quo ad vinculum; vnde si vnus egrediatur religionem scilicet post professionem, non propter hoc potest alter exire, sed egressus compelli debet ad reditum; Potest etiam ex consensu alterius in sæculo remanentis dissolui matrimonium, vbi non est timor de incontinentia, puta quia remanens in sæculo eius sit ætatis, vt sine suspicione viuere valeat, alioquin quamquam de vxoris licentia monasterium vir ingressus fuerit, & professionem fecerit non debet vxor ad continentiam cogi, sed vir ad vxoris thorum auocari poterit, nec sola licentia sufficit, nisi votum continentiæ concurrat. *cap. 1. & cap. ad Apostolicam, de conuersatione coniugum.*

82 Qui contra voluntatem vxoris ingressus fuerit religionem, si ab ipsa vxore coactus fuit redire ad eam, non tenetur, ea mortua in monasterium reuerti. Ratio est, quia votum à principio inualidum non reconualescit, non potest tamen ampliùs ducere vxorem, cùm monasterium ingrediendo, debitum se non exacturum promisisse videatur, quod facere potuit. *Abbas in c. 3. & in c. nostri de conuersatione coniugum.*

De motu sensualitatis, & delectatione morosa.

13 MOtus sensualitatis primò primi non sunt peccata. Ratio est, quia non sunt in nostra potestate; motus verò sensualitatis secundò primi non sunt peccata, quamuis præuideri, & caueri possint, modò tamen proueniat ex causa, habente aliquam honestatem, vt quando v. g. proueniunt ex auditione in confessione peccatorum turpium. Ratio est, quia, vt isti motus peccaminosi sint, non sufficit quodlibet voluntarium, quod in alijs rebus sufficit, sed maius voluntarium requiritur; nam isti motus valdè nobis sunt connaturales, & facilè in nobis oriuntur ex infirmitate naturæ. Aliæ verò actiones non requirunt tantùm voluntarium, vt furtum, homicidium, nec ita excusari possunt ob infirmitatem naturæ, sicuti excusari possunt sensualitatis motus, ita *Bon. de ijs, quæ pertinent ad vsum matr. pun. 7. n. 3. &* 4. *Vasquez in opusc. de restit. c. 3. dub. 6. num.* 24.

84 Vt motus sensualitatis sint peccata, requiritur aduertentia, vel saltem expressa aliqua dubitatio, vel scrupulus de malitia, vel periculum eius. Ratio est, quia non potest esse aliquid voluntarium, nisi posita aduertentia, sed nullum peccatum est nisi voluntarium sit igitur non sunt peccata isti motus; Hæc propositio militat etiam in actionibus externis, quæ ad culpam non imputantur, non posita aduertentia; *Bonac. loc. cit. n. 6. Regin. l.* 15. *n.* 75. *ad finem.*

85 Morosa delectatio de cogitatione sola rei illicitæ secundum suam naturam non est peccatum, ita *S. Thom.* 1. 2. *quæst.* 74. *art.* 8. *communiter receptus*, si verò bono fine caret, erit peccatum venia.

veniale,& si sit coniuncta cum periculo peccandi mortaliter,erit mortale peccatum; ideò delectatio de re mala siue turpi erit mala, siue bona iuxta motiuum ipsius delectationis, ratione cuius delectatio non obiectum fertur. Ratio est, quia delectatio totam suam bonitatem, & malitiam à motiuo sumit, si igitur malum est motiuum,delectatio est mala; si verò bonum, delectatio est bona, & est venialis, si est motiuum otiosum,*Bonac.l c.pun.*8.*n.*4.*&* 5. & multi Doctores apud *clauem Regiam l.*8.*c.*8. & alii verò dicunt absolutè, delectationem de opere mortali esse peccatum mortale.

86 Ex hoc sequitur, excusari eum, qui delectatur, ridet de subtili aliquo modo, quem quis adhibuit ingeniosè in furando, siue de homicidio iam secuto,licet iniusto,vel de furto, quatenus est vtile ad subleuandam necessitatem proximi,*Bon.dicto pun.*8.*n.*7.*&* 8.*Less.l.*4.*c.*3.*Vasqu. dis.*115.*c.*2.*&* 3.

87 Ex hoc etiam sequitur,coniuges non peccare mortaliter, qui in absentia alterius coniugis delectantur de actu præterito coniugii, vel etiam futuro,ac si actus præsens esset. Ratio est, quia vt diximus,delectatio sumit bonitatem, & malitiam à motiuo; sed motiuum est venerea delectatio externa,quæ in vxoritatis est licita ratione matrimonij, igitur etiam interna delectatio suscepta in absentia alterius coniugis excusat à peccato mortali.*Reg.l.*11.*c.*5 *nu.*51.*Fill.tr.* 10.*c.*9 *quæsito* 12.*n.*353.*Bon.l.c.n.*12.& multi alij apud DD.cit.

88 Vidua mortaliter peccat,quæ de actu præterito coniugii,& sponsa quæ de actu futuro delectatur carnaliter, quatenus scilicet de actu coniugij delectatur, vt est aliquid delectabile sensui. Ratio est, quia sicut actus venereus ex-

ter-

ternus respectu viduæ, aut sponsæ est illicitus; ita neque delectatio est licita, quæ capitur de illo actu. *Fill.tr.10 c.9.n.359.Bon q.4 pun.8.n.13. Sanch.lib 9 disp.47.n.4.& 7.*

89 Dicunt aliqui, quòd dari potest paruitas materiæ in re venerea. Ratio illorum est, quia assignari non potest sufficiens ratio; quare in alijs præceptis dari possit paruitas materiæ, sed non in hac. Ista opinio probabilis non est; certa est enim contraria sententia, scilicet non posse dari paruitatem materiæ, excepta venerea delectatione inter coniugatos. Ratio est, quia quilibet tactus, seu delectatio venerea ex sua natura ad seminis effusionem tendit, & sicut seminis effusio est mortale peccatum, ita quælibet delectatio morosa, & licet semen non effundatur, adest tamen periculum ipsius *Fill.tr.30.ex cap.9. q.1.nu.166. Bon.loc.c.n.17.S.Thom.* & alij recentiores apud citatos.

90 Delectatio morosa est eiusdem speciei cum opere externo, & cõsequenter in confessione explicandam esse circumstantiam personæ, circa quam fuit delectatio. Ratio est, quia delectatio morosa non solùm est mala ex malo motiuo, sed etiam est mala ex casualitate, quàm ex sua natura habet in opus externum. *Bon.num.19. Nauarr.c.16.n 9.Lessius lib.4.cap.3.dubio 16.n.119.*

91 Turpiloquium si fiat propter delectationem, quæ præcisè capitur ex narratione, absque praua intentione, est peccatum veniale tantùm, si verò fiat animo oblectandi se de rebus turpibus narratis, est peccatum mortale, ita communiter Doctores.

De statu Religioso.

1 Religio à qua appellatur religiosus, vt ait *S.Thom.2.2.q.81.art.1.* dicta est à reli,

gen-

gendo, ideſt iterato, vel frequenter eligendo ea, quæ ſunt diuini cultus.

2 Ad eſſentiam ſtatus religioſi requiritur editio trium votorum, ſiue ſolemnium, ſiue ſimplicium, nempe votum caſtitatis perpetuæ, paupertatis, ac obedientiæ.

3 Regulæ religioſæ ſunt quatuor, S. Baſilij, S. Auguſtini, S. Benedicti, & S. Franciſci, ſub quibus omnes religioſi viuunt, præter Societatem Ieſu, & Carthuſianos, qui quidem ordines habent propria ſtatuta.

4 Seruus intrare non poteſt in religionem, nec recipi debet, niſi de licentia Domini, & ſi ingreditur, redditur domino cum omnibus, quæ attulit, fide tamen recepta de eius impunitate, poſt verò triennium recipi non poteſt, niſi eſſet tam longe, quod non poſſet conferri *can. ſi quis incognitus* 17. q. 2. & ſi interim profiteatur, non obſtante profeſſione, domino reſtituetur, & ſi monaſterium in culpa fuit, quia ſciebat eum eſſe ſeruum, vel neglexit inquirere, cum notus eſſet, in religione remanebit, ſed monaſterium Dominus ſatisfaciet. *arg. diſt.* 54. *can ſi ſeruus.*

5 Grauatus ære alieno olim admittebatur ad religionis ingreſſum, bonis cedendo, hodie verò admitti non poteſt niſi prius ſatisfaciat creditoribus ex noua conſtitutione Sixti V. moderatione à Gregorio XIV. addita *Eſcobar de ſtatu religioſo cap.* 7.

6 Profeſſio facta ante decimum ſextum annum eſt nulla, & inualida, & annus nouitiatus computari debet de momento ad momentum, & ſi annus nouitiatus per egreſſum interrumpatur, opus eſt de nouo incipere: non interrumpitur tamen manendo extra monaſterium de licentia ſuperioris ex cauſa. *Eſcob. loc. cit.*

7 Regulares approbati in vna diœceſi poſ-

ſunt

sunt confessiones audire in itinere, si audire non possunt facile Ordinarium, modò parochus non repugnet; & quilibet religiosi, & Prælati regulares facultatem eligendi confessarium habentes, quemlibet sacerdotem eligere possunt, etiamsi non fuerit approbatus ab ordinario; Ratio est, quia Tridentinum in hac re nihil innouauit, sed tantùm loquitur de confessionibus secularium, ad quas audiendas accedere vult confessarius ab Episcopo approbatus, vt ait *Suarius relatus ab Escobar cap. 4.*

8 Professio fieri potest per Procuratorem. Ratio est, quia quilibet actus explicari potest per procuratorem, nisi sit à iure expresse prohibitus, ille autem nunquam excipitur expressè, vt patet ex *l. Pomp. ff. de proc. & c. qui ad agendum de proc. in 6, iuncta glossa*, vbi excipiuntur casus.

9 Ingredientes monialium claustra sine iusta causa, & sine licentia Episcopi incurrunt pœnā excommunicationis, & Superiores, Abbatissæ facientes, vel permittentes aliquam personam ingredi sua monasteria prætextu facultatum à Summo Pontifice, vel eius à Legato obtentarum ante motum Gregorii XIII. qui incipit: Vbi gratiæ; incurrunt excommunicationem, priuationē dignitatum, & inhabilitatem ad illas, sicut etiam Abbates, aliisq; superiores monasterium facientes, vel permittentes fœminas ingredi in sua monasteria eidem excommunicationi priuationi dignitatum, inhabilitati ad illa, & alia posterum obtinenda subiiciuntur, vt patet ex citato motu.

10 Idem determinatur in Bulla Pauli V. contra Abbatissas, & Superiores, quæ aliquam fœminam audent introducere, seu admittere, vel retinere, ingredi volentem prætextu licentiarum Apostolicarum. Item monialis, quæ fœminam, vel virum prætextu facultatis ingre-

dientem, admittere præsumit in monasterium, extra casum necessitatis, ipso facto incurrit excommunicationem Papæ reseruatam, & priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, vt habetur expresse in motu Gregorii XIII. quę incipit, *Vbi gratia*, infantibus non videtur interdictus ingressus ad monasteria monialium, Amentibus verò interdicitur.

11 Omnes fœminæ ingredientes monasteria virorum incurrunt excommunicationem, Papæ reseruatam; Hæc propositio clarè patet ex motu Pii V. edito anno 1556. 14. Octobris, qui incipit; Regularium personarum, & quamuis in dicto motu sit sermo de fœminis ingredientibus prætextu facultatum, nihilominus idem Pontifex alibi declarauit, eidem excommunicationi subiici fœminas quascunque ingredientes, etiamsi nullam licentiam habere prætendant: vt patet non solum ex Bulla citata Pii V. sed etiam ex praxi sacræ pænitentiariæ, *Teste Bonacin. de clausur & pœnis viol. pun. 3. n. 1. & Fill. tr. 15. c. 5. qu. 5 nu. 118.*

12 Dantur multi casus in quibus mulieres sæculares ad virorum regularium habitationem admittuntur sine scandalo, & peccato. Primus Reginæ cum comitatu. Secundus, monasterii fundatrices. Tertius, aliæ fæminæ illustres cum comitatu. Quartus, in sepultura Ecclesiastica simul mulieres comitantes admittuntur. Quintus, mulieres honestæ ad aulam Abbatis, a claustro remotam, admitti possunt secluso scandalo.

De Legibus in communi, & in particulari.

1 Diuersimode definitur lex à Doctoribus. A discipulis communiter *S. Th. par. 2 q. 91. art. 4.* sic definitur. Lex est ordinatio rationis

nis ad bonum publicum, promulgata ab habente curam communitatis, aut ab habente potestatem obligandi.

2 Lex diuiditur à *S. Th.* 1. 2. *qu.* 9. in quatuor membra, ideſt in legem æternam, diuinam, humanam, & naturalem.

3 Lex æterna largè ſumpto vocabulo eſt ipſa mens diuina, quæ ab æterno ordinauit omnia. Prouerb. 8. *Ab æterno ordinata ſum*, ſed ſtrictè accepta, eſt mens, & ratio Dei, qui bona præcipit, & mala prohibet, & per hoc definitur peccatum, dictum, factum, concupitum, contra legem diuinam æternam: ſecundùm Auguſt. Vide de hac lege æterna plura apud *S. Thom.* 1. 2. *quæſt.* 91.

4 Diuina lex eſt illa, quæ vim habet, quatenus à Deo ordinatur, & hæc duplex eſt, antiqua, & noua. Antiqua vt erat Moſaica, & noua, ideſt lex Euangelica, vt eſt lex baptiſmi, & confeſſionis.

5 Lex diuina diuidi etiam poteſt in diuinam naturalem, & diuinam poſitiuam. Lex diuina naturalis eſt illa, quæ præcipit id, quod à lege naturali præcipitur, vt ſunt præcepta decalogi. Diuina poſitiua eſt illa, qua præcipitur, quod non eſt lege naturali ſancitum, vt præmittenda eſt confeſſio ante ſumptionem Euchariſtiæ, ab exiſtente in peccato mortali, & dicitur lex diuina poſitiua, quia iure naturali non præcipitur confeſſio ante ſumptionem Euchariſtiæ, ſed iure diuino.

6 Lex humana dicitur illa, quæ conſtituitur auctoritate humana, & eſt duplex; Eccleſiaſtica, & ſæcularis.

7 Eccleſiaſtica eſt illa, quæ conſtituitur à perſonis Eccleſiaſticis, vt à Summo Pontifice, & à Concilio.

8 Sæ-

8 Sæcularis est illa, quæ constituitur à persona sęculari, vt à Rege, aut Imperatore.

9 Lex naturalis est ipsemet conuenientia; aut disconuenientia rei cum iusta ratione, ita *S. Thom. 1. 2. q. 94. art. 1. & 2.*

10 Ab aliquibus verò definitur lex, quòd sit dictamen, aut lumen naturale nostræ rationis, quo cognoscimus, quæ sunt euitanda, & quæ sunt facienda.

11 Lex diuiditur in naturalem, genitum, & ciuilem.

12 Lex naturalis constat quid sit, de quo diximus. Lex gentium est illa, quam homines omnes naturali ratione constituunt, *lege omnes populi, ff. de iustitia, & iure,* vt est illa; Dominia sunt diuidenda: licet enim à principio, & iure naturali bona fuerint communia, & indiuisa, processu tamen temporis ad tollendas discordias, omnes homines naturali ratione ducti iudicarunt dominia esse diuidenda.

13 Lex ciuilis est illa, quæ simpliciter determinat, interueniente tamen auctoritate hominum, & est seruanda.

14 Quando lex ciuilis contrariatur canonicæ, obseruanda est lex canonica. Ratio est, quia sicut Ecclesia potest abrogare leges ciuiles, vt constat ex legibus, quæ permittunt præscriptionem cum mala fide, quæ ob legem ecclesiasticam sunt sublata, vt patet ex *c. fin. de præscriptionibus*: Ita etiam concedere potest legem contra leges ciuiles, & consequenter seruanda est semper lex Ecclesiastica. *Syluester, verbo lex; quæsito 9. Suarez lib. 3. de legibus cap. 8. num. 6. Panorm. cap. canonum statuta n. 3. Bonacina de legibus p. 2. num. 17.*

15 Constitui potest lex ab habente potestatem publicam, & iurisdictionem, & vim adstri-

gendi. *Bart. in l. Imperium, C. de iurisdictione omnium iudicum.*

16 Sex conditiones saltem requiruntur ad constituendam legem humanam: Prima, quod constituatur à superiore. Secunda, quòd sit ob bonum Publicum. Tertia, quòd sit iusta. Quarta, quòd sit promulgata. Quinta, quòd sit tempus elapsum à legislatore præscriptum. Quamobrem si legislator spatium trium dierum apposuit ad obligandum; subditi non tenentur, neque obligantur, nondum elapsis tribus diebus. Sexta, quòd sit acceptata. *Nauar. c. 23. num. 41. Bonac. pun. 4. n. 25. & 27.*

17 Subiectum legis est homo subditus rationis capax secundùm tenorem legis. Ita communiter Doctores.

18 Hinc sequitur, infideles non esse obligatos ad obseruandas leges Ecclesiasticas, quia infideles non sunt subditi Ecclesiæ.

19 Lex humana tam Ecclesiastica quàm ciuilis obligare potest in conscientia sub poena peccati mortalis, quando illius transgressio sit in materia graui, & transgressor sit in culpa. *Bon. p. 7. §. 1 n. 1. Regin. l 23. n. 174. Fill. tr. 21. c. 11. qu. 6. num. 411.* & alij communiter.

20 Aduertendum tamen est, quòd non omnes leges humanæ obligant in conscientia sub poena peccati mortalis. Ratio est, quia leges prohibentes venationem, aut piscationem sine tertij præiudicio, aut prohibentes delationem quarundam vestium; aut armorum tempore nocturno; non videntur obligare sub poena peccati mortalis; ergo non omnes leges humanæ obligant in conscientia præsertim sub mortali peccato, *Fill. n. 16. Bon. loc. c. n. 2. Suar. l. 3. c. 27. Nauarrus*, & alij.

21 Non solùm leges præceptiuæ, sed etiam

poena-

pœnales obligant sub pœna mortalis, aut venialis iuxta grauitatem, aut leuitatem materiæ, nisi contrarium constet ex contraria mente legislatoris. Ratio est, quia lex pœnalis continet præceptum; ergo lex pœnalis obligat in conscientia. *Bon.loc.c.§.2.n.3.Fill.tr.21.c.11.q 7.nu.413. Layman lib. 1.tr.4.cap.15.n.5.*

22 Ex hoc colligitur, præceptum recitandi horas sub pœna amissionis fructum. aut legem soluendi vectigalia sub pœna amissionis mercedis obligare in conscientia, & sic de alijs.

23 Superior legitimus potest cum inferiore dispensare, & eum facere immunem ab obligatione legis, perseuerante adhuc obligatione respectu aliorum. Ratio est, quia obligatio legis humanæ per voluntatem superioris legitimi inducitur, qui præcipit; ergo etiam per voluntatem superioris legitimi tolli potest, iuxta illud: Res, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, communiter Doctores præsertim *Bon. q.2. punct 1.num.3.*

24 Si lex non prohibet aliquid, an intelligatur esse concessum id quod non est prohibitum.

Respondeo, quòd duplex habetur argumentum *cap. inter corporalia de translatione*. Vnum scilicet, quòd intelligitur prohibitum omne, id quod non est concessum. Alterum, quòd intelligitur concessum omne id, quod non est prohibitum, & vtrumque argumentum habetur in glossa, quæ & soluit dicens: Primum habere locum in iudicijs, & contractibus strictis iuris, vt in arbitrijs, & priuilegijs, & rescriptis. Secundum verò in iudicijs, & contractibus bonæ fidei, in beneficijs scilicet, & absolutionibus, in edictis prohibitorijs, in quibus quilibet admittitur, qui non prohibetur. *Syluest. verbo lex, n.21.*

De Peccatis, &c.

1 PEccatum diuiditur in originale, actuale, habituale, mortale, & veniale. Peccatum originale contrahitur ipsa conceptione carnis humanæ. Peccatum actuale est dictum, factum, concupitum contra legem Dei æternam, secundùm August. *lib.* 22. *contra Faustum c.* 27. vt supra diximus de legibus. Secundùm verò Ambrosium est præuaricatio legis diuinæ, & inobedientia præceptorum cæleſtium. Peccatum habituale est quædam macula, quam post se relinquit peccatum actuale, hæc propositio patet ex Ezechiele 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris, & hæc macula peccati actualis consistit in duobus.* Primò in malitia actus præteriti, perseuerante mortaliter per modum habitus. Secundò in priuatione gratiæ habitualis; Sicut enim gratia habitualis est quædam pulchritudo, & sanctitas animæ, ita peccatum actuale sibi vendicat nomen maculæ, quatenus animam priuat splendore. Quamobrem communiter Doctores dicunt. Peccatum mortale habituale consistere in priuatione gratiæ, *ita S. Th.* 1.2.*q.*86.*ar.* 1.*&* 2. *Sotus, n.*4.*dist.* 15.*q.*1. *art.*2. & alij.

2 Datur peccatum mortale, & veniale, quæ sunt verè, & propriè peccata. Hæc propositio est de fide. Quod detur peccatum mortale, patet ad Romanos 1. *Qui talia agunt digni sunt morte.* Quod detur veniale etiam clarè patet Ecclesiast. 10. *Non est, qui non peccat.*

3 Peccatum mortale est causa æternæ mortis, sed veniales secus, & dicitur veniale, quia est dignum venia.

4 Datur etiam peccatum contra Spiritum San-

Sanctum, quod est definitum *à D. August. in libro de verbis Domini*, quod sit impœnitentia finalis quando quis perseuerat in peccato mortali vsque ad mortem.

5 Peccatum Spiritus Sancti dicitur irremissibile vt habetur Matth. 12. *Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum non remittetur ei in hoc sæculo, neque in futuro sæculo*, sed tamen ista propositio non sic intelligenda est, quòd nullo modo remitti poteſt. Hæc propositio falsissima est; cùm non sit peccatum, quod vera contritione non condonetur, vt patet *de pæn. & remissionib. dist. 1. can. dicunt, & can. nemo, dist. 7.* sed quia secundùm suam naturam meritum habet, quod non remittitur, sicut aliqua infirmitas quæ secundùm suam naturam est incurabilis, per quam aufertur, id per quod morbus curari potest; non tamen per hoc præcluditur via diuinæ omnipotentiæ, vt sanare possit illam infirmitatem, ita etiam peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile, quia ex se tollit illa merita, per quæ fit remissio peccatorum, sed per hoc non præcluditur via diuinæ omnipotentiæ, & misericordiæ.

6 Tribus modis committi potest peccatum, cogitatione, verbo, & opere,

7 Ad peccatum mortale requiritur plena, & perfecta deliberatio, aut expressa aduertentia malitiæ, periculi, aut saltem certa dubitatio expressa. Ratio est, quia si quis non considerat periculum mali, aut non dubitat de aliqua mala cogitatione, iudicatur laborare inaduertentia, seu obliuione inuincibili, & inculpabili, quæ æquiparatur ignorantiæ inuincibili. Quamobrem non sufficit, vt quis dicatur comittere peccatum contra præceptum ieiunij, quia in die ieiunij comedit, aut cœnat, sed requiritur,

vt aduertat illam comestionem, aut cœnam esse malam, aut probabiliter; ideò quis punitur, quia amplectitur peccatum, & qui agit inaduertenter, non dicitur amplecti peccatum; igitur ad peccatum requiritur malitia, seu aduertentia. *Reginald. l. 11. cap 3. nu. 32. Bon. de peccatis disp. 2. q. 2. pun. 3. n. 3. Fill. tr. 21. cap. 6. n. 50. Syluest. Caietanus, & alij.*

8 Ad peccatum requiritur consensus. Ratio est; quia non dicitur peccatum, nisi sit voluntarium; sed voluntarium dicitur illud, cui voluntas consentit; ergo non dicitur peccatum, nisi adsit consensus.

9 Quomodo possumus cognoscere, an adfuerit consensus perfectus, & deliberatus ad mortale, aut imperfectus, & insufficiens?

Respondeo, tres regulæ in hac materia dari possunt. Prima si homo se cognoscit affectum, & animo dispositum ad peccatum, vt licet illud peccatum faciliter committere posset, non committeret, vt plurimum iudicari debet non adfuisse consensum deliberatum, & ad mortale sufficientem. Secunda regula est, si ille, qui dubitat, sit persona bonæ vitæ, conscientiæ timoratæ, vt dissentire soleat peccatis, vt plurimum iudicari debet etiam non habuisse plenum consensum, & plenam aduertentiam; licet commiserit aliquam negligentiam in expellendis tentationibus. Tertia, quando quis dubitat, an fecerit aliquid, aut in somno voluerit, est signum imperfecti consensus, neque est signum sufficiens sola perseuerantia delectationis. *Bon. dis. 2. q. 2. pun. 3 num. 19 Filliuccius tract. 21. cap. 6. qu. 10 num. 25.*

10 Peccatum mortale differt à veniali. Ratio est; quia mortale priuat gratia, & charitate, & affert mortem spiritualem animæ, sed veniale non

non priuat charitate, & gratia, neque affert mortem spiritualem animæ.

12 Essentia peccati venialis effici non potest essentia peccati mortalis, quia sunt duæ species distinctæ, vt leo fieri non potest equus, neque è contra, attamen veniale disponit ad committendum mortale. Iuxta intentionem, qua aliquis dicit illud peccatum veniale; ita intelligenda est illa sententia Diui Augustini: Nullum peccatum adeò veniale, quin fiat mortale dum placet. *S. Bonauent. in 4 dist 7. communiter Doctores.*

12 Aduertendum est, quòd quando quis facit aliquid, quod non peccatum, putans, ex conscientia erronea esse peccatum, peccat, nisi deponat conscientiam erroneam. Ratio est, quia qui credit aliquid esse peccatum, & adhuc vult illud committere, censetur habere sufficientem voluntatem ad peccatum; cùm velit illud, quod iudicat esse peccatum, iuxta illud, ad Roman. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*, idest omne illud est peccatnm, quod non est secundùm conscientiam, vt exponit Chrysostomns, Ambrosius relat. *à Bonacin. pun. 6. nu. 1. 3. Filliuc. tract. 21. cap. 4. qu. 2. & 3. Regin. lib. 13. num 69.*

14 Peccat etiam ille, qui operatur cum conscientia practicè dubia. Ratio est, quia ille, qui operatur cum dubio peccandi, exponit se periculo peccandi, de quo dubitatur, & qui se exponit periculo peccati peccat: Ecclesiast. 3. *Qui amat periculum peribit in illo. Bonac. pun. 7. nu. 3. Filliuc. tr. 21. c. 4. qu. 8. Sanch. in opere morali, l. 1. c. 10. n. 1. Regin. l. 13. n. 81.*

15 Non sunt tot peccata, quot sunt obiecta; circa quæ vous, & idem actus, eodem tempore dirigitur. Ratio est, quia quando est vnicum tantum obiectum, circa quod dirigitur vnicus,

actus, est vnicum peccatum; ergo etiam est vnum peccatum, quando vnus, & idem actus simul dirigitur circa plura obiecta eiusdem rationis. Quamobrem, qui intendit occidere aliquam familiam, non committit tot peccata, quot sunt homines illius familiæ. *Nauar. in sua summa c.6. n.6.* Idem proferens blasphemiam in duodecim Apostolos, non dicitur committere duodecim peccata. Idem posset dici de illo, qui vno, & eodem actu percutit plures Clericos, vnam tantummodo censuram incurrit. *Bonac. de peccatis, dis.2. q.4. pun.2. n.2. Fill. tr.21. c.8. qu.12. n.230. Nauar. in summa c.6. n.8.*

16 Multæ sunt causæ, quæ excusant à peccato. Prima est impotentia adimplendi præceptum. Ratio est, quia nemo ad impossibile tenetur, *l. impossibilium ff. de regulis iuris*. Secunda est non posse ieiunare toto die, sed tantùm ad vesperas; consequenter non peccat ille, qui ieiunare non potest; si manè ientaculum sumat. Tertia est, quando quis ob infirmitatem, aut aliam rationem non potest recitare totum officium; tenetur saltem ad illam partem, quam commodè satisfacere potest; dummodo tamen sit pars notabilis. Quarta est, quando quis audire non potest totum sacrum; tenetur saltem audire illam partem, ad quam non est impotens; dummodo etiam sit pars notabilis. *Bonac. q.8. pun.1. n.1. Nauar cap. quando, de consecratione dist.1. cap.11. num.16.*

17 Violentia absoluta excusat à peccato. Ratio est, quia nullum peccatum est peccatum, nisi sit voluntarium *vt supra diximus*; sed peccatum non potest dici voluntarium factum cum violentia absoluta, quia non consentit ille, qui aliquid facit per violentiam absolutam; ergo, &c. ita communiter Doctores.

18 Sed

18 Sed aduertendum est, quòd duæ resistentiæ requiruntur ad hoc violentiæ genus, per quod homo excusatur. Prima ex parte voluntatis, idest, vt voluntas ipsa, posita aduertentia nolit hanc violentiam inferri. Secunda, ex parte facultatis exterioris, idest, vt ille, cui violentia infertur, violentiam propulsset quantum potest; fugiendo, & vociferando, vel aliquid aliud faciendo. Quamobrem si fuit raptus ad committendum homicidium, & non faciat resistentiam inferenti quantum potest, non potest excusari ab homicidio, quia non dicitur pati absolutè violentiam, ita communiter Doctores præsertim, *Bon. in dicta qu. punct.* 2. *n.* 2.

19 Metus aut probabile periculum damni grauis excusat à legis humanæ transgressione, regulariter loquendo, & consequenter à peccato. Ratio est, quia non supponitur legem humanam obligare cum tanto onere, & plusquam obligat lex diuina. Diuina enim lex præcipit confessionem præmittendam esse ante sumptionem Eucharistiæ, tamen non obligat simpliciter in omnibus casibus; ergo metus, & periculum grauis damni excusat à transgressione legis humanæ, & consequenter à peccato. *Bon. disp.* 2. *qu.* 8. *pun.* 2. *n.* 3. *Sanch. in opere morali l.* 1. *c.* 18. *num.* 4. *Laym. lib.* 1. *tr.* 24. *n.* 5. *& alij*.

20 Ignorantia inuincibilis excusat à peccato, & consequenter etiam à pœna imposita ob culpam. Ratio est, quia vt paulò antè diximus non est peccatum; nisi sit voluntarium, peccatum voluntarium dici non potest cum ignorantia inuincibili; ergo ignorantia inuincibilis tam iuris, quàm facti excusat à peccato. *Bonac. loc. c. nu.* 12. *Reginald. lib.* 11. *num.* 13. *Filliuccius tract.* 21. *cap.* 11. *q.* 5. *nu.* 405.

21 Dicitur ignorantia inuincibilis, illa, quæ

vinci non possit, quando v.g. quis nihil vnquam cogitauit, vel dubitauit de aliqua lege, vel nunquam lex in mentem venit; quis enim vincere potest ignorantiam, de qua nihil vnquam cogitauit?

22 Peccatum per ignorantiam minui potest, vt ex mortali fiat veniale. Ratio est, quia peccatum mortale ex suo genere fieri potest veniale ob imperfectam aduertentiam; vt communiter Doctores dicunt; ergo fieri potest etiam veniale per ignorantiam, *Bon. dis. 2. q. 8. pun. 3. n 21. Reginald. lib. 1. num. 19. Suarez de Sacramentis dis. 81. sect. 3.*

DE PRÆCEPTIS Decalogi.

1 DEcem sunt præcepta Decalogi. Primum vnum cole Deum. Secundùm ne iures vana per ipsum. Tertium sabbata sanctifices. Quartum habeas in honore parentes. Quintum non occisor eris. Sextum non mæchaberis. Septimum non furtum facies. Octauum nec testis iniquus. Nouum non alterius nuptam. Decimum nec rem cupies alienam.

Omne, quod committitur contra aliquod ex decem præceptis, obligat ad mortale, nisi excusaret aliqua causa istarum trium causarum. Prima defectus deliberationis. Secunda paruitas materiæ. Tertia est defectus pleni iudicij, vt in illis, qui perturbati reperiuntur, & somnolenti; licet enim tale iudicium sufficere possit ad inducendos eos ad veniale; non est tamen sufficiens ad integram rationem, quæ in morali requiritur. *Nauar. de præceptis Decalogi c. 11. num. 2. Ioannes maior in 3. lib. sent. dis. 37. qu. 14.*

3 Differentia, quæ eſt inter præcepta affirmatiua, & negatiua eſt hæc. Affirmatiua enim non obligant ſemper, & ad ſemper, ſed negatiua obligant ſemper, & ad ſemper.

4 Qui peccatum committit, ex quo alia ſequerentur, non committit plura peccata, ſed vnum, vt v.gr. qui aliquam perſonam indignam eligeret ad aliquod officium, vbi ob malum regimen oriuntur multa ſcandala, committeret vnum tantùm peccatum. *S. Bonauentura 4. lib. ſent diſp. 8. ſuper litteram Magiſtri qu. 2, Nauarr. loc. cit. num. 4.*

De Adoratione.

5 Adoratio nihil aliud eſt, quàm exhibitio reuerentiæ propter excellentiam illius, cui exhibitur. S *Thom. 2. 2. q. 84. art. 1.*

6 Adoratio triplex eſt. Alia latriæ, Alia duliæ, & altera hyperduliæ. Latria Deo debetur ob increatam excellentiam. Dulia debetur Sanctis ob creatam perfectionem. Hiperdulia debetur Beatæ Virgini, quæ ob excellentiam omnes ſanctos præcellit.

7 Humanitas Chriſti per ſe conſiderata, præciſa perſona Diuini verbi, adoranda eſt adoratione hyperduliæ propter excellentiam creatam; & propter gratiam, qua omnes ſanctos præcellit.

8 Sacramentum Euchariſtiæ adorandum eſt abſolutè, & non ſub conditione, quando dubitatur, an ſit facta conſecratio, vel non. Ratio eſt, quia prudenter credere poſsumus conſecrationem fuiſse factam: qui autem prudenter agit, non peccat; ſufficit tamen adorantem ita aſsectum eſse, vt non adoraret, ſi non eſset conſecratus panis, ita *Bonaſin. de primo præcepto Decalogi*

 pun. 2.

*pun.2.n.*8.*Caiet.*2.2.*q.*1.*ar.*3.*Vasqu.disp.*108.*c.*12. & multi alij apud citatos Doctores.

9 Non committit speciale peccatum necessarium in confessionem explicandum, qui fornicatur, vel furatur, dum habet reliquias ad collum appensas; Ratio est, quia huiusmodi peccata non repugnat directè cultui reliquiarum, ita vt pœnitens explicare teneatur hanc circumstantiam. *Bon. disp.* 3. *punct.* 4. *nu.* 8. *Sanchez lib.* 2. *c.* 40. *num.* 28. *Fillincc. tract.* 20. *cap.* 7. *q.* 7. *n.* 129. *Laym. & alij.*

De Fide, & Spe.

10 Fides, nihil aliud est, quàm substantia sperandarum rerũ, Theologicè sumpta.

11 Quilibet credere, tenetur explicitè articulos fidei, non autem alia; sed solùm implicitè; nec tamen est necesse cuilibet explicitè credere omnes articulos fidei, sed quantum sufficit ad dirigendum in vltimum finem; Vnde tenetur quilibet Christianus explicitè credere Deum esse; & prouidentiam eius, & mysteria Christi, præcipuè, quæ publicè in Ecclesia solemnizantur, *S. Th.* 2.2. *qu.* 2. *art.* 7.

12 Simplices errantes in subtilitate fidei non peccant, si non pertinaciter adhæreant peruersæ doctrinæ in particulari contra fidem vniuersalis Ecclesiæ, *S. Thom. loc. cit. Syluester, verbo Fides num.* 7.

13 Ecclesia vniuersalis in his, quæ sunt fidei, errare non potest. Ratio est, quia pro hoc Christus in Euangelio orauit ad Patrem. *Ego pro te rogaui Petre, &c.*

14 Non peccat contra præceptum fidei negatiuum, qui metu mortis, vel carceris vescitur inter hæreticos carnibus feria sexta, vel die Sabbati.

bati. Ratio eſt, quia eſus carnium non eſt ſignum ex ſua natura proteſtatiuum hæreſis, vel falſæ ſectæ, & Eccleſia non obligat cum tanto incommodo, modò non adſit ſcandalum. *Bonac. diſp.3.qu.2.pun.3.nu.23.Filliucc.nu.84.Azorius l. 9.c.27.quæſit.4.*

15 Beneficiarij curam animarum habentes, aut Canonicatum, vel dignitatem in Eccleſia Cathedrali tenentur intra duos menſes à die captæ poſſeſſionis publicam profeſſionem fidei facere coram Epiſcopo, vel eius Vicario generali; Immò obtinentes Canonicatum, vel dignitatem in Eccleſia Cathedrali tenentur facere profeſſionem etiam coram Capitulo; alioquin non faciunt fructus ſuos; dummodo tamen non eſſent impediti legitima cauſa, vt colligitur ex *Conc.Trid.ſeſſ.24.c.12.* & ex Bulla Gregorij XIV. quæ incipit: *Onus Apoſtolica*. Tenentur etiam facere profeſſionem Epiſcopi, Archiepiſcopi, adepto Epiſcopatu.

16 Tres ſunt ſpecies infidelitatis. Paganiſmus, Iudaiſmus, & Hæreſis. Pagani dicuntur, qui quomodocumque peccent contra fidem, quam numquam habuerunt, & promiſerunt; tenentur tamen eam amplecti ex fidei præcepto; Iudæi dicuntur, qui ſimplici profeſſione fidem promiſerunt, antequam Chriſtus adueniret; ſecundùm falſam opinionem eorum exiſtimantium Chriſtum nondum veniſſe. Hæretici dicuntur, qui profeſſione ſolemni promiſerunt in Baptiſmo.

17 Adeſt etiam præceptum ſpei affirmatiuum, quo obligamur aliquando actu ſpei elicere. Hæc propoſitio clarè patet ex Pſalmo 33. *Beatus vir, qui ſperant in eo*, & iſta ſpes eſt virtus ſupernaturalis, qua ſperamus beatitudinem obtinendam; poſito diuino auxilio.

De Charitate, &c.

18 CHaritas nihil aliud est, quàm rectissima animi affectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum.

19 Ordo seruandus est in charitate: nam primò Deum diligere debet homo, plusquam proximum, & seipsum, & super omnia. Secundò seipsum, & suum corpus, & suas res, plusquam proximum, & eius corpus, aut res. Tertiò proximum plusquam corpus proprium siue propriam vitam, & hoc quantum ad salutem animæ eius. Et quarto plus meliores, quam coniunctiores nobis, & hoc quantum ad speciem dilectionis; vt scilicet maius bonum velimus magis Deo coniunctis. Quintò magis coniunctos, quàm extraneos. Sexto inter coniunctos, plus parentes, quàm filios. Septimò plus patrem, quàm matrem. Octauo plus parentes, quàm vxorem propter maiorem coniunctionem. *S.Thom.2.2.q.15.ar.3.*

20 Ex hoc sequitur charitatem obligare ad subueniendum extremæ necessitati spirituali proximi cum vitæ periculo, aut facultatum. Ratio est, quia sicut Christus posuit animam suam pro nobis; ita etiam nos debemus illam ponere pro salute proximi. *S Th.2.2.q.26.ar.2.Bon. disp.3.qu.4.pun.4.num.2. Reginald.lib.4.cap.25.*

21 Non solùm quis tenetur iure diuino, sed etiam naturali sub leuare proximum, dum laborat extrema necessitate. Ratio est, quia naturalis ratio hoc dictat, & præceptum diligendi proximum, clarè demonstrant communiter Doctores cum *S.Th.2.2.q.32.ar.5.Bonac.loc.cit.pun.6. num.2. & 3.*

22 Facienda est eleemosyna omnibus indi-

gentibus, siue iusti sint, siue iniusti, siue fideles, siue infideles, siue sint amici, siue inimici. Hæc propositio patet ex iam dictis, quia tenemur subleuare proximos, & omnes tam fideles, quàm infideles sumus fratres in Domino.

23 Sub mortali tenemur corrigere omnia peccata mortalia. Ratio est, quia quodlibet peccatum mortale est materia necessaria correctionis, cùm per quodlibet peccatum mortale salus proximi periculo exponatur; ad correctionem venialium non tenemur, neque sub veniali, nisi talia sint, quæ disponere possint ad mortalia. *disp.3.q.4.pun.7.num.3.Syluest. verbo correctio n.1. Reginald.l 4.c.25.n.334.*

De Superstitione, & Diuinatione.

24 SVperstitio est quædam irreligiositas, seu vana, vel falsa religio, qua colitur creatura cultu diuino, vel Deus modo indebito.

25 Datur aliud genus superstitionis vniuersale, & magis commune, cùm cultus, qui Deo debetur, datur dœmoni, aut alteri quàm Deo, & appellatur idolatria, & ab hoc peccato non excusatur metus mortis, quia tribuere cultum Dei rei creatæ, & vanæ, per se est intrinsecè malum. Ita communiter Doctores, præcipuè *Bon.q.5.pun.2.n.4.Filliuc. tr.24.c.2.*

26 Dantur etiam aliæ species falsi cultus quæ consistunt in diuinatione, quæ quidem diuinatio nihil aliud est, quàm prænunciatio rerum occultarum, facta ope dæmonis, quæ naturaliter cognosci non possunt.

27 Diuinatio ex suo genere est peccatum mortale, siue fiat cum expressa, siue cum tacita inuocatione dæmonis. Ratio est, quia per diuinationem initur societas cum dæmone perpe-

tuo Dei hoste, & in hoc non datur paruitas materiæ; si diuinatio seriò fiat. *Bon.disp.3.pun.3. nu.7.Regin.lib.17.nu.170.*

28 Omnes artes Ariolorum Arupiscum, & Incantatorum sunt detestatæ ob quandam societatem dæmonum. Hinc prohibita est iudiciaria Astrologia, præterquam circa agriculturam, nauigationem, & contrauenientes puniuntur, etiam quoad asserentes, id secretò non affirmare, sicut etiam retinentes libros, tractantes de his, & ista prohibitio ligat in foro conscientiæ, etiam si protestentui se id certò non affirmare. Ita *Sixtus V. constit. 27. anno* 1585, quam latè declarauit, *Turreblanca in suo tractatu de matrim.* & confirmauit Vrbanus VIII. sic etiam prohibita scientia Paulina, scientia Salomonis, & aliæ, quæ per quasdam suspiciones ab aliquibus exequuntur, vt de omnibus apud Turreblancam.

29 Pœna autem sortilegiorum est, quòd ab Ecclesia eijciantur, & perpetuo anathemate feriantur.

30 Maledcorum diuersa est pęna, nam si quis ausus fuerit blasphemare publicè Deum, vel aliquem Sanctum, & pęnitentiam recusauit agere, viuens ab ingressu Ecclesiæ arcebitur, & mortuus carebit Ecclesiastica sepultura.

31 Sacrilegi verò similibus pœnis, & aliquando pœnis acrioribus puniuntur pro qualitate sceleris, quibus quoque pœnis sunt obstricti, sacrilegis consentiens, & sacerdotes ipsis impœnitentibus, & satisfacere nolentibus ministrantes absolutionem sacramentalem, & alia sacramenta, vel interuenientes sepulturæ eorum, vel recipientes ab eis eleemosynas.

32 Sacrilegium committi potest tribus modis, vel ratione rei, vel ratione loci, vel ratione personæ. Ratione rei, cùm quis sacrum de

sacro vel sacrum de non sacro; vel non sacrum de sacro aufert. Ratione loci, cùm violatur immunitas Ecclesiæ, vel Cæmeterij; ideò sacrilegium est opprimere hospitalia, loca pia, & similia. Ratione personæ, cùm quis in Clericum, vel monacum violentas manus injicit, vel si immiscet carnaliter cum persona Deo dicata, scilicet cum moniali.

De vana Obseruantia, & maleficio.

33 Vana obseruantia est superstitio, qua adhibentur media inutilia ad præstandum aliquid, quod illa media nec à natura, nec à Deo nullam habent virtutem: ita *S. Thom. 2. 2. q 96 art. 1. & 2.* vt quando quis intendit includere dæmonem in annulo, aut lusores, mutant loca ad euitandam malam fortunam, quamuis aliqui excusent lusores à mortali, quia non videtur peccatum perfectum superstitionis.

34 Maleficium est, cùm quis arte dæmonum facit, vel dicit aliqua ad nocendum alijs.

35 Non est licitum maleficium alio maleficio dissoluere, si non potest fieri sine ope dæmonis, si verò potest fieri modo licito, solui potest maleficium alio maleficio, faciendo ea, quæ præstari possunt sine ope dæmonis, v.g. dissoluendo ligaturas, aut eas remouendo à sepulcro; hoc enim non est intrinsecè malum; *ita Bon. pun. 5. nu. 7. Filliucc. tr. 24. cap. 8. qu. 4. nu. 192.*

36 Tenetur quis reuelare Prælato, vel Inquisitoribus, Magum, aut maleficum, quando quis scit esse Magum aliquem, vel maleficum, quia semper hi reputantur de fide suspecti. Vide de hac materia, *Bon. loc. cit. Toletum lib. 4. cap. 16.* & multos alios apud Doctores citatos.

De Blasphemia.

37 Blasphemia nil aliud est, quàm dicere tacitè, aut verbis aliquid contra Deum, & suos sanctos, aut attribuere ei quod non conuenit, aut negare, quod ei conuenit, aut attribuere creaturis, quod est proprium Dei. *S. Thom.* 2.2.*qu.*13.*art.*7. communiter receptus.

38 Blasphemia est peccatum mortale grauissimum. Ratio est, quia est contraria confessioni fidei, & diuinæ bonitati, videtur derogare voluntatem Dei *S. Th. loc. cit. art.* 1.2. *&* 3. tamen si quis ex passione subito prorumperet in verba contumeliosa, non aduertens, neque considerans significationem verborum, non peccaret mortaliter, sed si aduertit esse verbum blasphemiæ, peccat mortaliter, licet subito ex passione in illud verbum prorumperet, & statim pœniteret illud dixisse. *S. Tho. in dicta quæstione, art.* 2. *ad tertium.*

39 Blasphemia alia est hæreticalis, alia simplex; hæreticalis est illa, quæ opponitur directè articulis fidei, vt v.g. Deus est ingratus, nego fidem, aut puritatem Beatæ Virginis, vel quid simile contrarium fidei. Simplex dicitur illa, quæ directè non opponitur articulis fidei; vt si quis dicat, sit Deus maledictus: Illa enim verba, quæ proferuntur contra Deum per modum optandi, non dicuntur blasphemiæ hereticales, sed simplices, quia per se considerata non continenti falsitatem contra fidem. *Bonac. de blasphemia pun.* 1. *n.* 4. *Fill. tr.* 25. *c.* 2. *q.* 4 *n.* 17. *Sanch. in sua summa lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 36.

40 Non differt specie blasphemia in Deum à blasphemia in sanctos, sed est eiusdem speciei maior; aut minor pro grauitate, aut leuitate materiæ.

materiæ. Ratio est, quia sicut blasphemia in Deum habetur, & in sanctos; ita habetur iuramentum per Deum, & per sanctos; so iuramentum per Deum, & per sanctos non differt specie: ergo quælibet blasphemia est eiusdem speciei: *Caietanus, verbo blasphemia, Bon. l. c. pun. 4 n. 1. Fill. tr. 25. c. 1. q. 7 n. 51. Lessius lib. 2. c. 45. dubio 5. num. 33 in fine.*

41 In confessione explicanda est qualitas blasphemiæ; licet aliqui dicant contrarium, quia non mutat speciem. Ratio nostra est, quia sicut debet explicari quantitas furti, & damni, vt supra diximus de sacramento pœnitentiæ; ita etiam explicanda est qualitas blasphemiæ, nam hæc non solùm est circumstantia peccati; sed aliquid, quod ad obiectum spectat: ita *Bon. loc. c. num. 2. Reginald. num. 201. Fill. tr. 25. c. 1. qu. 7. nu. 26. Laym. num. 12.*

42 In blasphemia tamen in sanctos non est necesse exprimere sanctum. Ratio est, quia blasphemiæ in sanctos sunt eiusdem speciei, & diuersitas personæ non aggrauat peccatum, regulariter loquendo; vt cogat pœnitentem istam circumstantiam confiteri. *Bon. loc. cit.*

De secundo præcepto Decalogi, nempe de Iuramento.

1 IVramentum est vocare Deum in testem: *S. Thom. 2. 2. qu. 89.*

2 Tres comites requiruntur in iuramento veritas, iudicium, & iustitia, idest quò sit verum quod iuratur, & quòd sit iustum, & sit Deo factum cum debita reuerentia, & est mortale communiter, quando deficit veritas, & tanta iustitia ei, quod iuramento confirmatur, sed est veniale, si deficit solùm iudicium, aut reuerentia:

Fil-

Filliuc. tr. 25. cap. 2. qu. 3 nu. 45. & sequent. Bonac. de secundo præcepto Decalogi, disp. 4. q. 1. pun. 3. nu. 4. & alij communiter.

3 Licitum est iuramentum, vt clarè patet ex Psal. 62. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo.*

4 Duplex est iuramentum, vnum assertorium, aliud promissorium. Assertorium est illud, quo solemus affirmare, vel negare præterita, vel præsentia, vt iuro per Deum Caium fuisse vulneratum à Titio, *cap. si verò de iureiurando.* Promissorium verò est illud, quo promittimus dare aliquid in futurum, vt per Deum dabo tibi decem aureos, ædificabo tibi domum, *ea contingat, de iureiurando.*

5 Iuramenti materia debet esse licita, & non peccaminosá; nam qui promittit rem illicitam iuramento, & non potest illam adimplere sine peccato, non tenetur illam adimplere. Ratio est, quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, nec ad malum obligare potest; *secundùm regulam iuris in 6.* & communiter Doctores.

6 Iuramentum factum contra primum iuramentum, aut contra primam promissionem validam non obligat. Ratio est, quia iuramentum secundum, aut secunda promissio est de re, quæ seruari non potest sine peccato; sed iuramentum, aut secunda promissio, quæ sine peccato adimpleri non potest, non obligat, ergo secunda promissio, vel secundum iuramentum non obligat. *Bonac. pun. 6. num. 1. Sanchez cap. 9. Filliuc. nu.* 185.

7 Aduertendum tamen est, quod illæ obligationes, quæ sunt factæ ante primam obligationem iuratam, sunt validæ, nisi contrarium aliunde constet; nam venditio facta contra primam promissionem iuratam non vendendi, est valida, matrimonium contra sponsalia iurata est validum.

lidum. *Bonac.loc.cit.n.2. de leg.traditionibus, C. de pactis l. quoties, C. de rei vendicatione.*

8 Non nascitur obligatio ex iuramento facta sine animo obligandi. Ratio est, quia Deus accipit iuramentum, prout ex corde procedit. *can. humana aures* 22.*q.*5. ergo huiusmodi iuramentum non obligat. *Sanch.in summa cap.*10.*num.*8. *Syluester, verbo iuramentum* 4.*q.*7. *Bonac. pun.*7. *nu.*7.*Filliucc.tr.*25.*cap.*6.*qu.*2.*nu.*144.

9 Ex iuramento facto cum animo non adimplendi nascitur obligatio ex vi iuramenti. Ratio est, quia sublato inferiori, non tollitur, quod prius est; sed in iuramento animus exequendi est posterior animo se obligandi; ergo sublato animo exequendi, non tollitur animus obligandi & consequenter neque tollitur obligatio, quæ nascitur ex iuramento facto cum animo obligandi. Sanchez *lib.*3. *in summa cap.*10.*num* 5.*Bonac. dicto pun.*7.*nu.*5.*Filliucc.tr.*25.*cap.*6.*q.*4.*nu.*150. *Lessius cap.*42 *dub.*8.*nu.*4.

10 Iuramentum factum per metum grauem; licet aliqui dicant distinctè, quòd obligat, *Syluest. verbo iuramentum* 4. *num.* 7. quem sequitur Ioannes Andreas, Panormitanus melius distinguit, & dicit, quòd obligatorium in conscientia, si ille qui iurauit intendebat se obligare: si non intendebat, non obligatur. Ratio est, quia Deus, (vt paulò antè diximus,) accipit iuramenrum, prout ex corde procedit, *dicto can. humana aures*, 22.*qu.*5.sed in foro iudiciali iuramentum factum per metum grauem non obligat, quia non præsumitur aliquem iurasse animo adimplendi: communiter Doctores.

11 Iuramentum licitè peti potest ab illo, quem credimus iuraturum falsum; dummodo tamen adsit iusta causa, illud petendi. Ratio est, quia non petitur, nec intenditur periurium, sed iura-

iuramentum, quòd quis facere potest licitè sine mendacio. S. *Th. q. 98. a. 4. Caietanus, & alij apud Lessium lib. 2. c. 43. dub. 10 n 49. Bon. p. 2. n. 1.*

12 Magis obligat votum, quam iuramentum. Ratio est, quia obligatio voti causatur ex fidelitate, quam Deo debemus, sed iuramentum communiter fit ob bonum proximi. *S. Th. 2. 2. q. 89.*

13 Iuramentum in conscientia obligat præcisè ad factum, quando quis promittit aliquid, quod in facto consistit; licet in foro ciuili non obliget præcisè ad factum, sed soluendo interesse liberatur, sed quando quis promittit factum alienum, tenetur facere quantum in se est. *Syluest. verb. iuramentum 4. nu. 21. & probatur ex cap. qualiter pœnis.*

14 Qui dolosè iurat aliquid, aliter intelligens quàm ille cui iuratur, intelligit, non existente legitima causa vtendi tali dolo, peccat mortaliter, si non iurat secundùm communem intelligentiam illius, cui iuratur. Ratio est, quia quando ille, qui iurat, vtitur tali dolo, & alter non, adimpleri debet secundùm intentionem illius, cui iuratur, *can. quacumque, art. 22, qu 1. Innoc. & alij in cap. verus, de iure iurando,* sed quando ille, qui iurat, est in bona fide, & alter vtitur dolo tunc adimpleri debet secundùm intentionem iurantis. S *Thom. 2. 2. q 89. ad quartum.*

15 Iuramentum in dubio ita explicandum est; vt seruata proprietate verborum, vt quantum fieri potest, minus obliget. Ratio est, quia vbi tractatur de obligatione contrahenda, strictè facienda est interpretatio, nisi constet contrarium ex intentione illius, qui iurat. *cap. 1. de iure iur in 6. l. quidquid astrigendæ. ff. de verb. obligat. Abbas in cap. Clerici de verbor. signif.*

De Voto.

16 Votum est promissio deliberata Deo facta de bono meliori.

17 Ad votum non sufficit propositum, sed requiritur promissio, & plena deliberatio. Ratio est, quia votum est quædam lex priuata, qua quis Deo obligatur; sed nullus iudicatur velle se obligare, nisi habeat plenam deliberationem illius, quod facit; ergo qui non habet plenam deliberationem non peccat, violando votum. *Bonac. de voto n. 3. Nauar. c. 12. n. 17. Leff. l. 2. cap. 4. dub. 1. num. 2. Filliuc. & alij.*

18 Duplex est votum, simplex, & solemne. Simplex consistit in quadam nuda promissione, vt quando quis simpliciter promittit non ludendi, aut non contrahendi matrimonium. Solemne fit per professionem legitimam factam in approbata Religione, vel per susceptionem Ordinis sacri. *cap. 1. de voto in 6.*

19 Votum factum ob metum grauem, qui cadit in constantem virum vt metus mortis, est ipso iure nullum, sed votum factum ob metum grauem incussum à causa extrinseca est validum. Ratio est, quia istud votum sponteneè fit, & matrimonium, & alij contractus ob similem timorem non inualidantur; ergo neque votum. *Bon. pun. 3. n. 3. Fill. tr. 26. c. 1. n. 10. Nauar. cap. 12. num. 12. Sanch. cap. 3. num. 4.*

20 Ex hoc sequitur validum esse votum factum ab illo, qui votum emisit ad euitandum naufragium, dum in mari existat.

21 Votum factum de re indifferenti non obligat. Ratio est, quia res indifferent non est res bona secundùm suam naturam; & votum non nendi die Sabbati in honorem Beatæ

nald.l.18.n.276.Fill.tra.26.c.5.q 5. nu.86.& alij apud Sanchez lib. 1. de matrim.disp.9.nu.11.

25 Opera facta ex voto sunt maioris meriti, quam illa, quæ non fiunt ex voto. Ratio est, quia ille, qui sine voto facit, vnicum consilium adimplet, idest faciendi; qui verò ob votum facit, adimplet duo consilia, nempè vouendi, & faciendi, *S.Th.2.2.q.78.art.6.& omnes in 4. dist. 38.& gloss.singularis in Clementina 1.de reliquijs. & venerat. sanct.*

26 Quælibet creatura rationalis, sanæ mentis emittere potest votum, nec peccat ille, qui votum emittit de illo, quod non est in sua potestate, quia in voto intelligitur hæc tacita conditio si superiori placuerit. *S. Thom. dicta quæst. art.8.*

27 Qui vouit quolibet die veneris ieiunare; tenetur eo die ieiunare, & à carnibus abstinere, etiamsi in eum diem incidat dies Natiuitatis Domini; dummodo tamen illum diem vouens expressè non exceperit. Ratio est, quia non solùm habentur hæc verba in *c. fin. de obseruation. ieiunij*. Adstricti voto, aut regulari obseruantia prohibentur carnes comedere die veneris, aut sabbati, in quem incidit Natiuitis Domini; licet eius carnium eo die alijs fidelibus permittatur; sed etiam quia vouens se obligauit generaliter pro quolibet die veneris. *Bona.dis.4.qu.1.pun.4. n.9 Reginal.lib.8.n 390.Filliuc.tr.26.& alij apud Sanch. in summa lib.4.c.11.n 60.*

De Commutatione, Dispensatione, & irritatione Voti.

28 Pontifex irritare potest omnia vota fidelium, Episcopus suorum subditorum, Domini vota realia seruorum, Tutores, & cura-

tores omnia vota realia vsque ad vigesimum quintum annum: Patres familias omnia vota filiorum, quæ præiudicant regimini domus. Fallit tamen in voto terræ sanctæ: nam hoc votum pater annullare non potest, *c. ex multa, de voto*; Neque maritus, & vxor emittere possunt votum alteri præiudiciale, hæc propositio extenditur etiam ad vota facta ante matrimonium quia quantum ad hoc sunt pares. Fallit tamen in voto terræ Sanctæ, quod vir facere potest sine consensu vxori, *dicto cap. ex multa*; vxor tamen hoc facere non potest sine licentia mariti, quia non potest sic discurrere sine periculo castitatis. Fallit etiam in modica peregrinatione, etiam sine voto, quia vir sine licentia vxoris facere potest, quia in regimine vitæ mulier est subiecta viro non autem è contra; Prælati, & Superiores omnia vota Religiosorum irritare possunt excepto voto strictioris Religionis: communiter Doctores, præcipuè *Syluest. verbo votum 5.n.2. Bonac.punct.7.nu.26.Filliucc,tract.26. cap.8.q.9.n.240 Reginald.n.321.*

29 Ecclesiæ Prælati auctoritatem habent dispensandi, & communicandi vota. Summus verò Pontifex, aut qui ab ipso auctoritatem specialem habet, dispensare potest in quatuor sibi reseruatis secundùm morem curiæ, scilicet in voto perpetuo continentiæ, & consequenter Religionis, & in tribus votis scilicet peregrinationis Terræ Sanctæ, Apostolorum Petri,& Pauli, & S. Iacobi in Compostella, ita de facto seruatur, licet in iure non sit cautum, nisi de voto pro subsidio Terræ Sanctæ, *c. ex multa de voto*, & omnia ista quatuor vota sunt Pontifici reseruata, vt constat *ex extrauag. Sixti IV. in cap. & si dominici, de pœnit. & remiss.*

30 Aduertendum tamen, quod Prælatus com-

commutare non potest vota sine iusta causa. Ratio est, quia sicut Prælatus non potest præcipere malum, ita neque bonum impedire, *Syluest. verbo, votum 4. n.6.*

31 Commutare votum in aliquod maius, vel æquiualens cum causa potest quilibet Confessarius; immò & ipse pœnitens secundùm aliquos.

32 Hic nascitur difficultas, an Summus Pontifex dispensare possit in voto soleni continentiæ.

Respondeo, quod quantum ad votum solemne solemnizatum ordinis sacri susceptione communiter Doctores dicunt, quod potest, quantum ad votum solemne solemnizatum professione Religionis approbatæ. Aliqui dicunt, quod etiam potest, vt de facto fuit dispensatum cum aliquibus: Ego autem adhæreo opinionibus *S. Th. q. 88. ar. 11 Syluest. verb. votum 4. nu. 5.* & aliorum apud *Sanch. in opere morali lib. 4. c. 10. nu 75.* asserentium Papam in hoc voto dispensare non posse. Ratio colligitur non solùm ex Leuitici vltimo vbi habetur: *Illud, quod est semel Deo dicatum, non debet conuerti in profanos vsus; sed etiam ex cap. cum ad monasterium de statu monachorum*, vbi hæc sunt formalia verba: *Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali; vt neque Summus Pontifex contra eam indulgere possit.*

De Tertio præcepto Decalogi sanctificandi dies festos.

1 Omnia festa fidelium Christianorum, & etiam dominicæ sunt introducta de iure canonico, & nullum de iure diuino, & consequenter humana potestate abrogari possunt, in alium diem commutari, vt tenet *S. Th. 2. 2. qu.*

122.*art*.4.*Bon. de tertio pracepto Decalogi q. vnica n*. 4.*Thom. Valdensis Carmelita de sacram.ca*.14. & allegat dictus Thomas ad hoc effectum S. Iacobum, & Remigium; licet aliqui teneant, quod Dominicæ sunt introductæ de iure diuino.

2 Præceptum obseruandi festum non præcipit cultum diuinum interiorem, qui consistit in cogitando diuina mysteria, sed tantùm exteriorem, qui consistit in audiendo sacro, & cessando ac operibus seruilibus, vt benè docet *Caietanus* 2.2.*q*.122 *art*.4.

3 In diebus festiuis non prohibentur omnia opera, sed solùm seruilia, & sunt illa, ad quę deputati sunt serui. *S.Th.dicta qu*. 122. *art*. 3. *ad tertium*, vbi etiam dicit, quod sunt septem genera operarum seruilium, quę licitè possunt exerceri diebus festiuis. Primum est, illud, quo Deo seruimus in diuino cultu. Secundum est exercitium cuiuslibet operis spiritualis, vt est docere verbis, aut scriptis. Tertium, opus necessarium ad salutem propriæ personæ. Quartum necessarium ad salutem corporalem proximi. Quintum, necessarium ad euitandum damnum pręparatum, tam proprium, quàm proximi. Sextum, opus necessarium, quo præparatus est eius. Septimum, Piscatio cum licentia Prælati Ecclesiæ, *cap. licet de ferijs*.

4 Quinque opera non seruilia sunt prohibita in diebus festiuis ob legem canonicam, Mercatus, Iudicium ciuile, aut criminale, & iuramentum; hoc tamen intelligitur non existente necessitate; Hæc piohibentur per *cap. primum de ferijs*, & per aliud capitulum prohibentur omnis processus, & actus iudiciales, exceptis tamen illis, qui ob pietatem.

5 Opera, quæ ab anima procedunt permittuntur, & licitè fieri possunt in die festo, exceptis

ptis quibuſdam caſibus in iure expreſſis, de quibus diximus, ita S.*Th. in dicta qu* 102.*art*.4.*Bon. pun*.2.*nu*.6.*Regin Syluester*, *& alij*.

6 Ex hoc ſequitur: Primò licitum eſſe aduocato in die feſto operam dare ſtudijs, ſcribere, & informare iudices in ſcriptis. Secundò licitum eſſe doctoribus in die feſto conſilia dare etiam ſi hoc faciant ob lucrum. Tertiò licitum eſſe Ciuibus conuenire ad conſilia, & eligere perſonas ad officia in diebus feſtiuis, *Caietan.in d.q.D.Th. Bonac. locis citatis n*.8.*&* 9.

7 Opera corporalia, quæ propriè ſunt ſeruilia prohibentur in die feſto, vt fodere terram, arare, & facere quid ſimile: Hæc propoſitio clarè patet ex Leuit.23. vbi ſunt hæc verba; *Omnes opus ſeruile non facietis in illo*; ſed opera corporalia, quæ ſunt communia tam ſeruis, quàm dominis, nobilibus, aut ignobilibus licitè fieri poſſunt qualibet die. Quamobrem licitum eſt facere iter; dommodo tamen non addantur circumſtantiæ adnexæ operibus ſeruilibus, vt ſi cum magno labore imponenda ſint onera iumentis, quæ ducuntur, aut deferunt animalia onerata de vno loco ad alium locum; nam hoc per ſe eſt opus ſeruile, ſed transferre animalia de vno ad alium locum ſine oneribus, non eſt opus ſeruile.

8 Licitum eſt etiam vt inſtrumentis muſicis, ludere, venari, ſcribere, aucupari, etiam ſi hoc fiat ob lucrum. Hæc enim opera ex ſe non ſunt ſeruilia, nec opus ſeruile fit, quia ob lucrum ſit, ſi de ſe non ſit ſeruile, Tertiò videtur etiam eſſe licitum ſcribere, aut tranſcribere ex officio, etiam lucri cauſa; nam actus ſcribendi, & tranſcribendi ſecundùm ſe non videtur eſse opus ſeruile, ſed potius liberale, vt bene docet. *Bon. diſ*.5.*q. vnica*, *pu*.2.*nu*.25.*Nauar.c*.13 *nu*.14.*Fill. tr*.29.*c*.1.*q*.4.*n*.3.*Lay.c* 2.*n*.5.*Syluest. & alij*.

9 Quartum non est licitum depingere in die festo, quia est iudicandum opus seruile; nam communiter fit ab illis qui alijs inseruiunt. *Bon. loc.cit.Filliuc.n.*168.*Sanch.c.*26. *Emmanuel Sà, verbo, festum.*

10 Quintò dicimus cum *Caietan.dicta q.*122. *ar.*4.*Nauarr oc.*13.*n.*9. quòd nec facere, nec consentire in faciendo barbam die festo esse peccatum mortale, cùm sit res parui momenti, nec veniale si aliqua causa interuenisset; Immò neque esset mortale, si consumeretur longum tempus in faciendo barbam. Ratio est, quia non solùm consuetudo legibus derogat, & habet vim legis, vt communiter Doctores dicunt, sed etiam quia superior videt, & tolerat, & non videtur velle inijcere vinculum, *Bonac.disp.*5.*qu. vnica, pun.*3.*n.*21.*in fine, Filliuc. tr.*27. *c.*11. *num.*227. *Laym l.*4.*tr.*7.*c.*2.*n.*3.

11 Multæ sunt causæ, ob quas quis excusatur, si daret se operibus seruilibus die festo. Prima necessitatis; vt paupertatis, & damni in agricolis tempore messis. Secunda metus magni damni, vt sunt serui. Tertia est obseruantia loci in quo celebratur dies festus. Quarta est paruitas materiæ; & hoc relinquendum est arbitrio viri prudentis, quando dicitur paruitas materiæ, aut pars notabilis. Quinta est timor amittendi magnum lucrum. Sexta est necessitas Reipublicæ, & salutis communis. Ideò excusantur bello decertantes, muros ędificantes belli causa, parentes necessaria ad bellum. *Bonac. disp.*4. *q. vnica, pun.*3.*n.*11.& 12. *Filliuc.nu.*173.*Suarez cap.*28.*n.*8.

12 Qui discedit à loco, vbi dies festus celebratur, non peccat mortaliter missam non audiendo, si ante meridiem perueniret ad locum, vbi dies festus non celebratur, & potest ibi opera

ra seruilia exercere, nec dicitur fraudem committere, qui iure suo vtitur. *Bon. loc. cit. num.* 18. *Sanchez in opere morali l.* 1. *c.* 11. *num.* 35. *Suarez l.* 7. *q.* 6 *num.* 13. *& alij*.

13 Vagi tenentur ad festa loci, in quo morantur. Peregrini, si permanenter habitant in illo loco, vbi celebratur festum, tenentur; si verò versentur tanquam in hospitio sine intentione habitandi in illo loco, aut constituendi domicilium, non tenentur. Ratio est, quia peregrinus non sortitur forum loci, per quem transit, vt probatur *per textum in l. hæres absens* §. *perinde. ff. de re iudicata*; & qui id illo loco moratur pro modico tempore, non dicitur moraliter permanere in illo.

De Quarto præcepto honorandi Parentes.

1 OMnes filij exhibere tenentur reuerentiam proprijs parentibus, & non reuerentia debetur exterior, sed etiam interior; vnde filij, conijcientes contumeliosa conuicia in parentes, peccant mortaliter, & tenentur etiam sub mortali, dum sunt sub patria potestate, illis obedire circa res domesticas, pertinentes ad suam educationem in rebus grauibus, & maioris momenti, in alijs venialiter. Ducere vxorem indignam contra voluntatem patris, est mortale & interdum etiam erit mortale, nolle ducere vxorem digna, quam parentes offerunt propter aliquod magnum bonum, quod ex tali matrimonio oriretur, dummodò tamen filius habeat animum ducendi vxorem. In rebus prauis filij non tenentur obedire parentibus. S. *Th.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *Filliucc. de* 4. *præcepto Decalogi c.* 1. *num.* 20.

2 Tenentur etiam filij subuenire parentibus, tam

tam in necessitate corporali, quàm spirituali; dummodo tamen subuenire possint. Ratio est, quia adimplere non possunt præceptum diligendi parentes, nisi eis tempore necessitatis subueniant. *S. Thom 2.2. qu. 100. art. 2. Bonac. disput. 6. q. vnica, pun. 5 nu. 3. Filliuc. tr. 28. cap. 1. q. 4* & alij apud citatos Doctores.

3 Filius ingredi non potest religionem, si parentes existunt in extrema, vel graui necessitate, sed debet eis subuenire; modò concurrant hæ conditiones. Prima, vt necessitas sit grauis, vel extrema. Secunda, vt filius remanendo in sæculo possit subuenire tali necessitati, & ingrediendo non possit. Tertia, vt non sit alius, qui possit, & velit subuenire. Quarta, vt filius, remanendo in sæculo non sit in graui, vel probabili periculo peccandi mortaliter, à quo liberetur per ingressum religionis. Hæc propositio habet locum non solùm, si necessitas sui patris sit præsens; verùm etiam si futura probabiliter credatur. Militat enim eadem ratio. *Bon. p. 5. n. 4. Filliuc. tr. 29. c. 1. q. 5. n. 9. Sanch. in summa l. 4. c. 2. n. 5.*

4 Si filius fuerit ingressus religionem, & emiserit professionem, & parentes existant in extrema necessitate, tenetur filius egredi ad subueniendum necessitati parentum: tenetur etiam inuito Prælato. Ratio est, quia hoc tenetur facere propter extremam necessitatem extranei; nam si extraneo lapso in puteum solus religiosus subuenire possit, teneatur subuenire etiam inuito Prælato. *Bonac. loco cit. nu. 7. Valentia, Corduba*, & alij apud *Sanchez loc. cit.*

5 Propter parentes omittit possunt præcepta vt audire sacrum, ieiunare quando parentes reperiuntur in extrema, vel graui necessitate. Ratio est, quia quando concurrunt duo præcepta, quæ eodem tempore adimpleri non possent; illud

lud eſt obſeruandum, quod maius vinculum, habet, ſed maius vinculum habet, ſubuenire parentibus, quàm audire ſacrum, & ieiunare; ergo in caſu noſtro poſſunt, & debent omitti præcepta; Maior patet. Minor probatur; maius vinculum habet ius naturale, quam poſitiuum, quia ius naturale mutari non poteſt; ſed ſubuenire parentibus eſt præceptum iuris naturalis; ſiue vt aliqui volunt iuris gentium; & audire ſacrum, & ieiunare eſt præceptum poſitiuum, ergo magis ſubueniendum eſt parentibus, quàm ſeruare præcepta. Item habemus in *cap. fin. de ferijs*, quòd ſolemnitates, quas mandant Epiſcopi in proprijs diœceſibus ſeruari, ſunt ſeruandæ: niſi neceſſitas, aut pietas proximi contrarium ſuadeat, quia neceſſitas non eſt ſub lege, igitur ſi neceſſitas proximi, & pietas excuſat, quanto magis neceſſitas, & pietas parentum? Dicit etiam *gloſſa in dicto cap. quod in operibus miſericordiæ non eſt facienda eſt diſtinctio dierum*.

6 Filij poſſunt parentibus denegare alimenta in omnibus illis caſibus, in quibus parentes iure poſſunt debitis alimentis filios priuare; *l. vltima, C. de alendis liberis*, & iure ciuili ob quatuordecim cauſas parentes repellere poſſunt filios ab hæreditate, & alimentis, vt habetur *in auth. vt cum, de appellatione cognoſc. §. cauſas*.

7 Filij nunquam occidere poſſunt parentes, niſi eſſent hoſtes Patriæ, vel Reipublicæ proditores. *Filliuc. tract. 28. cap. 1. num. 19. Azorius in c. 13. q. 13.* & alij ab ipſis relati.

8 Tenentur parentes curam habere filiorum, & illos inſtruere bonis moribus per ſe, vel per alios, & conſequenter eos corrigere. Tenentur ſubminiſtrare filijs neceſſaria ad vitã ſi poſſunt, contra autem facientes, peccant mortaliter. *Filliuccius loco citato cap. 2. num. 22. & 23. Bonacina*

punct. 6. num. 6. Nauar. cap. 14. num. 12. & alij communiter.

9 Tenentur etiam præstare parentes alimenta filijs spuris de iure canonico, & in hoc potiùs est seruandum ius canonicum, quàm ciuile; vt potè conforme æquitati naturali, *cap. cum habetur, de eo qui duxit vxorem, quam polluit, & cap. per venerabilem qui filij sint legit gloss. ibi & D D.* Immò Clerici filijs, vel filiabus spurijs possunt etiam ex fructibus quæsitis ex beneficijs ecclesiasticis relinquere alimenta necessaria. Ratio est, quia alimenta sunt necessaria de iure naturæ. *Filliuccius loco citato num. 31. Nauar. de spoliat. Clericorum, §. vltimo n. 8. cons. de testam.*

10 Pater iure alimentorum tenetur dotare filiam illegitimam spuriam, & idem esset, si Clericus esset, & hoc esse seruandum de iure canonico; secus de iure ciuili. *Filliucc. dicto tract. 28. cap. 2. n. 42. Abbas in c. cum haberet de eo qui duxit n. 5. Couar. de matrim. cap. 8 § 6. num. 11. part. 2 Nauarrus* & alij apud citatos Doctores.

11 Parentes mortaliter peccant, exponendo filios hospitali, nisi iustam causam haberent exponendi, vt si parentes existant in graui necessitate. Ratio est, quia videntur filios derelinquere contra naturalem, & parentum pietatem *Bonac dicto punct. 6. §. 1. num 6. Syluester, verb. adulterium quæsito 6. Reginald. lib. 10. num. 30 Nauar. cap. 14. num. 17.*

12 Mater alere tenetur filios, & filias vsque ad finem tertij anni; post triennium verò educatio vsque ad emancipationem pertinet ad patrem; Hoc tamen intelligendum est, quando pater est diues, aliàs tenetur, posita impotentia patris. Ratio est, quia in hoc casu restat iuris humani dispositio, & in defectum matris tenentur aui, & alij ascendentes, *l. penult. ff. de liberis agnoscen.*

Bonac.

Bon.d.pun.6.§.1 n.3.Filliuc.c.2 nu.43. Syluester, verbo alimenta , §.2.Reginald. Nauarr. & multi alij apud citatos Doctores.

13 Maritus denegans alimenta vxori grauiter peccat . Hæc propositio intelligenda est ; modò maritus vxorem alere possit , aut vxor non recesserit propria culpa à mortali consortio,aut is,qui dotem promisit, non sit in mora culpabili soluendi dotem ; Si verò maritus alere non possit vxorem , non tenetur ei præstare alimenta , quia nullus obligari potest ad id , quod facere non potest *Bonac.disp.6.qu.vnica,punct.7. num.3.Sanch.lib.9.disp.3.Regin.num.*48.

14 Magis tenetur maritus subuenire parentibus , & filijs , quam vxori , quando sunt constituti in extrema necessitate, & non potest omnibus subuenire . Ratio est, quia est maior obligatio erga parentes , cùm ab ipsis acceperimus esse.Item erga filios est maior coniunctio, quàm erga vxorem,cum sint filij pars patris;& ex eius visceribus extracti ; vxor verò non est aliquid substantiæ viri:Neque obstat illa scriptura, *quod maritus,& vxor sunt duo in carne vna* ; nam hoc procedit circa actus coniugales,& circa administrationem domus inter coniuges.*Bon. l.c.nu.*10. *Surdus de aliment.tit.7.q.*14.*Tolet.l.5.c.1.Sanch. lib.9.de matrim.disp.4.num.*26.& multi alij apud citatos.

15 Quando concurrunt pater , & filius , & non potest præstare quis alimenta patri, & filio, est præferendus pater in alimentis . Ratio est, quia quando sumus in officio charitatis , illis est subueniendum , à quibus maiora beneficia recepimus , sed maiora beneficia recepimus à patre , ex quo habuimus esse , vt paulò antè diximus ; ergo est præferendus pater in alimentis . Prætereà quando concurrunt duo creditores : il-

le est præferendus, qui est antiquior: sed pater est antiquior; ergo præferetur filio. Ita *S.Tho.2. 2.q.26.art.9. ad tertium* , & hæc est communis opinio; vt refert *Viuianus in select. variarum opinionum 556.*

16 Domini, & alij superiores habere curam subditorum tenentur; alioquin grauiter peccant, dum, quantum in ipsis est, curam non habent; vt serui confiteantur, abstineant à malo, & adimpleant diuina præcepta, & ecclesiastica. Ita *Bon. pun.8. num.1. Nauarrus cap.14.num.2. & alij communiter.*

17 Frater tenetur alteri fratri, vel sorori præstare alimenta si aliundè non habeat; immò tenetur dotare sororem indigentem: nam dos succedit loco alimentorum. *Bonac. loco cit. num. 12. Panorm. cap. peruenit, de arbitris*, vbi de communi sententiam iuris peritorum testatur *Reginald. lib.20. num.49.*

18 Subditi tenentur præstare obedientiam superioris, & non solùm probis, sed etiam improbis; non tenentur tamen superioribus obedire, quando constat id, quod præcipitur esse peccatum etiam veniale. Ratio est, quia debet esse præceptum hominis conforme præceptis Dei, *cap. litteras de restitutione spoliat. Filliuc. tr. 28. cap.5. n.90. Bon. dicto punct.8. nu.13. S.Tho.2.2. qu.103. art.2.*

De Quinto præcepto Decalogi non occidendi.

1 HOmicidium est hominis occisio idest corporis animati; etiam si esset in vtero matris; vnde dicitur homicida mulier prægnans, quæ procurat abortum, recipiendo medicamenta, vel aliquid aliud vt abortetur, si effe-

ctus

ctus fuit sequutus , si verò effectus non fuit sequutus; licet peccet, non dicitur tamen homicida:communiter Doctores.

2 Infunditur anima in embrionem si est masculus post quadragesimum dies, si est fœmina post octuagesimum, iuxta glossam communiter receptam in *cap. I. de præsumptionibus, can si quis per negligentiam, de consecratione, dist. 2.*

3 Aduertendum tamen est, quòd contra procurantes abortum, præsertim animatum est lata sententia excommunicationis à Sixto V. in constitutione, quæ incipit: *Effrenatam*, quæ pœna est confirmata à Gregorio XIII. sed talis pœna excommunicationis hisce temporibus à lege communi non est reseruata; sed quilibet confessarius, ad hoc specialiter deputatus ab ordinario loci, potest in conscientia absoluere, vt clarè patet ex decreto eiusdem Gregorij XIII. *in concilio Prouinciali 7. citato de Sacramento Pœnitentiæ.*

4 Dantur multi casus, in quibus permissum est aliquem occidere, Primò ob auctoritatem Iudicis, vt dicit Scriptura *Exodi 22.* Secundò in bello iusto. Tertiò pro defensione propriæ vitæ, defensio sit cum moderamine inculpatæ tutelæ: & hoc licitum est ex omni iure, quia quisque habet ius ad defendendam propriam vitam, & qui vtitur iure suo, nemini infert iniuriam. Pro defensione verò rerum suarum licitum est etiam inuasorem occidere, si res illæ tales sint, vt absque illis vita corporalis commode conseruari non possit; Communis enim opinio est licere occidere inuasorem, quando aliud remedium non sit; si verò sint res tales, vt etiam sine ipsis commode viuere possit, tunc non videtur licitè occidi posse. Ratio est, quia in ordine charitatis præferenda est vita corporalis

ralis bonis temporalis , *cap. suscipiens , cap. perfodiens , de homicidio , Filliucius cap.3. num. 46. Syluester , verbo homicidium 1. quæst. 4.* & alij apud citatos Doctores , & omnes isti casus conueniunt , præterquam tertius ; nam qui occidunt hominem pro propria defensione , neque peccant, neque sunt irregulares, in alijs verò casibus licet non peccent , sunt tamen irregulares secundùm glossam singularem acceptam quasi ab omnibus , *quæ est penultima in Clementina , de homicidio.*

5 Addo etiam, quòd licet sit manifestũ , quod maritus occidere potest mulierem in adulterio deprehensam in foro externo, in foro tamen cõscientiæ illam occidere non potest sine peccato. *Nau. c. 15. nu. 3. can. inter hæc, vbi glossa.*

6 Non debent dari medicamenta fœminæ prægnanti, ad procurandum abortum, ad euitandum prægnantis periculum . Ratio est , quia spiritualia præferri debent temporalibus , nam ex parte infantis adest periculum animæ , quæ est nobilior corpore ; ex parte prægnantis adest periculum corporis. Hoc tamen est intelligendum, si fœtus est animatus , secus si est inanimatus , tunc debent dari ad euitandum periculum prægnantis, quando nullum esset remedium . *Filiiuc. tr. 29. c. 6. n. 104. Less. n. 63. Syluester, verbo medicus, num. 4.*

7 Nunquam est licitum proprium homicidium , nisi diuina accedat auctoritas ; imò nec etiam licet se mutilare ad euitandum peccatum . Ratio est , quia tale medium non est necessarium ad vitandum peccatum, ita definitum est in *Concilio Nicano 1. c. 1.* & licet aliqui sancti viri id fecerint ; vt de adolescente , qui linguam sibi amputauit , & proiecit in faciem petulantis fœminæ ; id tamen egerunt vel ex ignorantia in-

cul-

culpabili, vel ex diuina inspiratione. *Filliuc. cap. 4 num. 67.*

8 Peccat mortaliter, qui casu occidit, aut percutit aliquem sine intentione, si fuit in culpa non adhibendi diligentiam, quam homines prudentes adhibere soleant in similibus occasionibus; vt non sequatur mors, aut damnum in persona alicuius; vt accidit in illo, qui proijcit saxum in via, in qua soleant homines transire, & antequam proijceret, non adhibuit diligentiam, admonendo eos, qui transeunt. Addo quòd ad hoc, quòd homicidium casuale sit peccatum mortale nec ne, parum refert, si illud opus, ex quo sequitur mors, sit licitum, vel illicitum; nam in vtroque casu erit peccatum mortale, si interuenerit culpa non adhibendi debitam diligentiam; quo ad irregularitatem multum refert, si illud opus, ex quo sequuta est mors, aut mutilatio, sit licitum, vel illicitum; nam si illud opus, ex quo sequuta est mors, erat illicitum, adhibita diligentia, vel non, incurritur in irregularitatem; si erat licitum, & adhibita diligentia, non incurritur; si non est adhibita, incurritur: Hæc propositio patet ex *c suscepimus, c. de cætero, de homicidio, Caietanus 2. 2. q. 64. art 7.*

9 Peccat mortaliter, qui minuere vult vitam abstinentijs, quas ipse scit, & aduertit esse immoderatas, etiam si hoc faceret sine intentione minuendi eam aduertens tamen ipsam minuere. Iuxta textum Diui Hieronymi in *c. non mediocriter, de consec. dist. 5. & D. Th. & Caiet. 2. 2. q. 147. art. 1.* licet id faciat ad melius seruiendum Deo ob sua peccata. Non est tamen peccatum mortale, imò neque veniale, si id faciat, credens probabiliter in hoc non esse imprudens iuxta dictum commentatorem in dicta quæstione.

10 Da-

10 Damnatus ad mortem, cùm possit fugere commodè, si non fugit, non peccat. Ratio est, quia id non est directè se perimere, sed indirectè tantùm; idque ex iusta causa fieri potest, nempè ad sustinendam iustam sententiam mortis. *S. Thom. 2. 2. qu. 69. art. 4. Gaietanus, idem Fill. tract. 29. cap. 4. num. 75. Azorius cap. 3. qu. 7. Lessius num. 28.*

11 Illicitum est omne duellum susceptum, ad ostendendam gloriam, vel odij exagerationem, vel ob alias causas, nisi in aliquo casu illud acceptare necessarium esset, ad effugiendam mortem, certò imminentem. Hæc est communis opinio. Confirmatur etiam ex iure canonico, quod prohibuit duella generaliter, vt probatur *ex c. Henricus, de clerico pugnante in duello, & ex Trident sess. 25. c. 10. de reformatione*, & dicitur duellum, quasi bellum inter duos.

12 Multæ sunt pœnæ impositæ contra pugnantes in duello. Prima est excommunicatio latæ sententiæ, Papæ reseruata. Secunda, priuatio sepulturæ ecclesiasticæ, si decesserint in conflictu. Tertia, priuatio dignitatum, & beneficiorum ecclesiasticorum, si fuerint personæ ecclesiasticæ. Quarta, inhabilitas ad illa, & alia omnia. Quinta, interdictum pro locis, in quibus scientibus dominis, initum est duellum, & dictis sententia excommunicationis etiam extenditur in concedentes locum ad monomachiam, ac pariter impugnantes, necnon Patrinos, consulentes, suadentes, & spectatores; vt clarè constat ex decreto Gregorij XIII. *Fill. tr. 29. n. 165. Suar. disp. 23. sectione vltima, nu. 11. Nauar. c. 27. n. 150.* & alij apud *Sanc. n. 26.*

13 In prædictam excommunicationem non incidunt prouocantes ad duellum, effectu pugnæ non sequuto. Ratio est, quia dictus Grego-

rius

rius XIII. solos socios excommunicat, etiamsi duellum non sequatur, modò per ipsos non steterit, quo minus sequeretur. At de prouocantibus ad duellum dicit: Qui monomachiam commiserit. Non dicitur enim monomachiam committere prouocans, quando effectus pugnæ non est subsequutus; istis tamen non obstantibus, prouocantes, etiam effectu non sequuto per Bullam Clementis VIII. saltem incurrere in excommunicationem, & hic est stylus Curiæ, qui legem facit; vt benè refert *Fill. l. c. n. 170. Bon. de excommunic. disp. 2. q. 6. punct. 1. nu. 29.*

14 Spectatores verò transeuntes casu per locum, vbi fit duellum non incidunt in excommunicationem, quia Bulla loquitur de spectatore ex proposito, vel industria. *Fill. loc. c. n. 177. Bon. loc. c. n. 3.*

15 Omnes militantes occidere possunt, nisi sint à lege prohibiti; vnde Clerici in sacris constituti, & monachi iure Ecclesiastico prohibentur pugnare; in minoribus verò possunt ex consuetudine, quæ canones abrogat. Possunt tamen tam Clerici in sacris constituti, quàm monachi pugnare de licentia Papæ in casu necessitatis, vel ad consequendam insignem victoriam, immò in huiusmodi etiam casibus possunt, non expectata licentia Pontificis. *Filliuccius tract. 29. cap. 9. nu. 197. Caietanus qu. 40. art. 2. Couar. Clem. si furiosus p. 2 §. 3. num. 2.* Possunt tamen Clerici alios ad bellum hortari ad pugnandum fortiter absque intentione determinata particulari. *Filliuc. loc. c. S. Th. 4. ar. 2. ad secundum, & tertium Nauar. c. 26. num. 211.*

16 Qui occidit Episcopum, aut Cardinalem vltra pœnam peccati mortalis incidit in pœnam excommunicationis, reseruatam in Bulla Cœnæ, saltem si sit homicidium contra

pro

proprium Episcopum. Idemque multo magis dicendum de excessu, qui fieret contra Summum Pontificem. *Fill.dicto tr.29.c.6.n.113.*

18 Si quis fieri mandauit homicidium, & ante occisionem reuocauit mandatum expressè, vel tacitè, sciente mandatario, si mandatarius occidat, non peccat mandans, nec illi imputatur homicidium; Si verò consilium dans reuocet consilium, adhuc ipsi imputabitur, si alius ex suo consilio occidat, quia reuera eius consilium influit in homicidium; si verò fuit reuocatum consilium, & alius occidit non ex illo consilio, tunc non imputabitur consilium danti, ita communiter Doctores, præsertim *Syluester*, *verbo homicidium 1.quæsito 7.Filliuc.dicto tr.29.c.5.n.95.* Quomodo autem reuocare debeat consilium, ne consulens sit particeps homicidij, quod sequeretur: vide *Filliuc. de irregul. ex delicto c.2. quæst.3.*

19 Homicidium proditorium addit specialem malitiam, vnde grauiùs punitur à legibus, vel rectè auget notabiliter in eadem specie, consequenter in confessione videtur exprimendam esse hanc circumstantiam. *Filliuc.tr.29.c.6.n.115.Azor cap.8.*

20 Quamuis non sit excommunicatus, qui subita iracundia occidit Clericum deprehensum in fraganti crimine, peccantem cum matre, filia, vxore, vel sorore, non tamen excusatur à peccato homicidij *Bon.de censf.d.2.q.4 p.4.n.5.*

De Scandalo.

POtest adiungi hic homicidium spirituale proximi, quando quis scilicet verbo, aut facto inducit aliquem ad peccandum, in quo consistit peccatum scandali.

21 Scan-

21 Scandalum est offensio, vel occasio ruinæ spiritualis proximi, & est duplex, actiuum, & passiuum. Actiuum est, quando dictum, vel factum alterius est alicui causa peccandi per se; vt quando quis publicè facit peccatum, vel quod habeat similitudinem peccati, & tunc propriè dat occasionem ruinæ. Passiuum verò est, cùm quis præter rationem, & ex sua malitia sumit occasionem peccandi ex opere alterius, v.g. si mulier ornata erat ad sacrum, & alter in hoc sumat occasionem, illam desiderandi, & peccandi.

22 Scandalum actiuum semper est peccatum in scandalizante, quia vel est peccatum, vel habet speciem peccati, & consequenter est dimittendum pro charitate proximi, & non dimittens contra charitatem agit, & peccat. Similiter scandalum passiuum semper est peccatum in scandalizato, quia est ruina spiritualis; tamen qui est causa scandali passiui, non tenetur abstinere ab illo opere, si illo opere non potest priuari sine suo incommodo, licet sequatur scandalum alterius, sed hoc peccatum eius malitiæ imputatur; si tamen potest sine suo incommodo priuari illo opere, tenetur abstinere. Ratio est, quià semper ex charitate tenemur euitare ruinam proximi, ita communiter Doctores.

23 Propter scandalum non sunt dimittenda bona spiritualia, si sunt de necessitate salutis, quia nullus debet peccare neque mortaliter, neque venialiter, vt peccatum alterius impediat: Ratio est, quia nemo tenetur compensare damnum proprium cum bono alieno, vt ait, (ni fallor) Augustinus. Si verò non sunt de necessitate salutis, si scandalum procedit ex malitia, vt scandalum Pharisæorum, cùm scilicet aliqui impedire volunt bona spiritualia, scandalum concitando,

tando, contemnendum est; si verò sit pusillorum, id est ex ignorantia, vel infirmitate procedens, opera spiritualia interdum sunt differentia, vbi periculum non imminet; si verò duret, iam videtur Pharisæorum esse, & consequenter non sunt dimittenda bona spiritualia propter illud. Bona verò temporalia si nobis sunt commissa ad conseruandum sicut bona Ecclesiæ Prælatis committuntur, non sunt propter scandalum dimittenda: Vnde Beatus Thomas Cantuariensis repetijt res Ecclesiæ cum scandalo Regis. Si verò sunt talia, quorum sumus domini dispensando; si scandalum sit Pharisæorum non sunt omittenda, quia daretur malis occasio delinquendi, si verò pusillorum sunt dimittenda, ita *Syluester, verbo scandalum, num. 3. & 4. S. Thom. in 4. vide etiam Bonacina de Peccatis disp. 2. quæst. 4. punct. 2. §. vnico*; Præceptum verò iuris positi, qui non obligat aliquem cum scandalo. *cap. 2. de noui operis nunciat. & cap. nihil de præscript.*

De Sexto Præcepto non Fornicandi,

1 LVxuria, de qua loquimur in præsenti est appetitus inordinatus venereorum.

2 Septem sunt species luxuriæ. Quarum prima est fornicatio simplex, quæ committitur inter personas solutas, quæ non sunt adstrictæ alicuo vinculo, nempe matrimonij, vel Religionis. Secunda appellatur adulterium, quod committitur inter personas vxoratas, & non vxorata, vel inter duas vxoratas. Tertia dicitur incestus, vel committitur inter parentes, & affines. Quarta appellatur stuprum, & est propriè illicita virginum defloratio. Quinta dicitur raptus; cùm puella violenter, & contra eius, vel parentum

volun-

voluntatem abducitur. Sexta dicitur contra naturam, & est actus venereus, repugnans non solum rationi rectæ, sed etiam ipsi ordini naturali actus venerei, qui conuenit humanæ speciei, qui scilicet est, vt sit inter masculum, & fœminam eiusdem speciei in vase, & statu debito; & hoc peccatum diuiditur in sodomiam, quæ fit inter masculum, & masculum, vel inter fœminam, & fœminam; in bestialitatem, & fit quando coitus est cum re alterius speciei, & voluntariam pollutionem, quæ est grauior omnibus peccatis naturalibus, & fit, quando quis sine coitu sponte pollitur. Sacrilegium est peccatum luxuriæ, quo persona Deo sacrata, vel locus per actum venereum fædatur. Omnium prædictorum supremum est bestialitas, maximum contra naturam, medium sodomia, infimum mollities; postea maior incestus, deinde adulterium, postea stuprum, infimum autem est fornicatio. Hæc autem aggrauantur omnia sacrilegio. S.*Tho.* 2.2.*q.*154.*Syluest. verbo luxuria, num.*8.

3 Dicitur etiam peccatum contra naturam, quando quis habet rem cum aliqua muliere, procurans, vt illa non concipiat. *S.Tho. loc.c.& Caietanus.*

4 Qui rem habet cum aliqua virgine sine dolo, & fraude illius, quia ipsa se offert ad hoc, vel quia precibus suis acquieuit, ad nihil tenetur quoad forum conscientiæ, etiam si realiter esset virgo. Ratio est, quia volenti, & consentienti, non fit iniuria, *vt in regul.iuris in 6.* In foro tamen externo iste talis, qui eam deflorauit, tenetur eam dotare, vel ducere in vxorem, si sint æqualis conditionis, etiam si eam non inuenisset virginem, & negat illam fuisse virginem, sed non probat fuisse talem, idest non fuisse virginem,

quia

quia leges semper iudicant illam fuisse virginem, & deceptam, vt affirmant Panorm. & communiter Doctores *in cap. 1 & 2. de adulterijs*.

5 Vxoratus cognoscens vxoratam duo peccata committit, consequenter est explicanda ista circumstantia in confessione. Ratio est, quia in vno actu adulterij in casu prædicto sunt duæ iniuriæ, numero distinctæ, quæ á singulis coniugatis irrogantur duobus coniugibus proprio, & illi coniugi, cui admiscetur, immò si coniux sodomiticè iungatur cum mare, vel fœmina, debet exprimere in confessione statum coniugij, quia militat eadem ratio nempe violat fidem illi datam, ideò semper erit adulterium. *Fill. tr. 30. cap. 4. n. 88 & 92.*

6 Fœminæ vxorata, quæ habuit filium ex adulterio, aut supposuit partum fingens se esse grauidam, recipiens filium alienum scienter ab alijs, absolui potest hoc non manifestando, licet faciat damnum patri putatiuo, nutriendi filium alienum, vt respondit Innocentius III. *in capit. offic. de pœnit. & remiss.* hoc tamen intelligendum est, quando timet, ne maritus eam occideret, aut peccaret contra eam odio mortali, si de hoc veniret in cognitionem; immò sufficit timor amittendi honorem, & suam existimationem. Ratio est, quia nullus tenetur restituere bona inferioris ordinis cum iactura bonorum superiorum, nam bona honoris sunt maioris ordinis quam non sunt bona fortunæ; Melius est enim bonum nomen, quám diuitiæ multæ, vt habetur *Eccles. 41. & Prou. 22. ita Caietanus 2. 2. q. 63. art. 6 ad secundum, Sotus in 4. dist. 15. qu. 2.* post quintum argumentum in responsione articuli *Nauar. cap. 6. num. 43.*

7 Concubitus cum dæmone, licet semper sit eiusdem speciei, potest tamen esse ex parte affe-

ctus

ctus diuersæ speciei; nam si quis cum dæmone coeat in specie mulieris affectu fornicario, vel adulterino præter peccatum bestialitatis, & superstitionis, erit etiam peccatum fornicationis, aut adulterij, & sic de alijs. *Fill. dicto tr.* 30. *c.* 8. *n.* 162. *Caiet.* & alij.

8 Oscula, tactus, amplexus, &c. secundum suam speciem, & rationem non sunt peccata, sicut fornicatio, & mendacium; tunc enim sunt peccata quando fiunt ex libidine, vel propter delectationem libidinosam, vel ex amore libidinoso. *Filliuc. loc cit. num.* 187. *S. Thom.* 2. 2. *qu.* 154. *art* 2.

9 Libros legentes turpes, & tractantes ex professo de obscenis amoribus, non peccant mortaliter; ob enim solam curiositatem, & delectationem quodammodo speculatiuam non excedit veniale; si verò sit periculum probabile labendi in delectationem, erit mortale, & Confessarius huiusmodi libros permittere non debet ex regula 7. Indicis librorum prohibitorum. *Sanch. n.* 45. *Nau. c.* 23. *n.* 28 & 30. *Fill. cap.* 4. *num.* 213.

De septimo præcepto non furandi.

1 FVrtum ita definitur: Est contrectatio rei alienæ fraudulosa inuito domino, lucrifaciendi gratia; hoc tamen intellige rei alienæ mobilis, & corporalis.

2 Omne furtum ex sua natura est peccatum mortale nisi excuset paruitas materiæ. Ratio est, quia est contra iustitiam, & contra ius diuinum, S *Th.* 2. 2. *q* 59.

3 Hic nascitur difficultas, quænam paruitas excuset à peccato mortali, quia hoc a nullo iure est communiter determinatum; & dico hoc re-

mit-

mittendum esse arbitrio hominis prudentis;nam illæ res, quæ á lege sunt indecisæ, decidi debent secundùm iudicium hominis prudentis, vt probatur ex *cap.de causa,de officio deleg.& lib.1.ff.de iure delib.*

4 Quænam quantitas notabilis dicatur ad hoc vt committatur peccatum mortale; & dico quòd licet Doctores in hoc non concordent; tamen *Nauarrus cap.16.nu.3.de praeceptis Decalogi*, dat consilium, & tenet, quòd dicitur, quantitas notabilis summa trium iuliorum, immò vnius iulij, & etiam medietatis secundum conditionem illius, cui furatur, & ista est communis opinio.

5 Surripiens modica paulatim, quando peruenerit ad notabilem quantitatem, tenetur restituere; nam licet non peccet in hoc casu mortaliter surripiendo, peccat tamen retinendo: non tenetur tamen restituere sub mortali totam quantitatem ablatam, sed illa tantùm, qua restituta, non retinet ampliùs notabilem quantitatem. Ratio est, quia qui retinet rem paruam non peccat nec tenetur sub mortali,ad restitutionem, quia obligatio restituendi sub mortali oritur ex notabili quantitate alterius detenta, *ita Bon.disp.2.q.8 pun.2.nu.6.Fill.n.46, Sanch.Sotus, Petrus Nauar.apud cit.DD.*

6 Excusant á peccato mortali indeliberatio, & defectus iudicij, quæ duo excusant in omni materia peccati, vt paruitas materiæ: excusat etiam á peccato veniali ignorantia probabilis, quando quis ignorabat non fuisse rem propriam: immò necessitas non solùm propria, sed etiam aliena, & potest quis in necessitate subtrahere pro se, & alio, quia tunc omnia reducuntur ad ius naturale, quod vult omnia esse communia. *S.Th.2.2 q.69.Syuester verbo furtum n. 1.*

7 Po-

7 Poteſt quis ſibi furtiuè ſatisfacere de rebus debitoris? quando debitum ſibi habere non poteſt in iudicio: dummodo tamen debitum ſit certum, & liquidum, & non adſit ſcandalum, & non immineat periculum vitæ, vel famæ perſonæ, quia hoc eſſet tentare Deum. *Sylueſt. verbo, furtum nu. 17. arg. c. 1. pro te vxoris, Innoc. no. olim, de reſtitut. ſpoliat.* qui facit contra ſupradicta, licet peccet, tamen non tenetur ad reſtitutionem.

8 Quatuor ſunt ſpecies furti: Quarum prima dicitur ſacrilegium, quod eſt furtum rei ſacræ. Secunda dicitur peculatus, quod eſt furtum de republica. Tertia dicitur abigeatus, ideſt furtum de grege ab hoc diſperſo. Quarta eſt plagiatus, ideſt furtum hominis liberi venditi ſcienter, vel empti, *l. 1. ff. de plagiarijs.*

9 Aduertendum tamen eſt, quod ijſdem ſpeciebus additur rapina, & eſt quando in furto interuenit violentia. Iſtæ circumſtantiæ furto ſimplici ſupperaddunt notabilem malitiam, ob quam in confeſſione ſunt explicandæ. *Reginald. lib. 13. c. 1. qu. 2. nu. 12. S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 6. ad ſecundum.*

10 Qui res ſacras furatur ab Eccleſia, licet committat ſacrilegium, non eſt tamen excommunicatus, niſi cum furto fregerit oſtium, feneſtras, aut armaria, *cap. conqueſti, de ſent. excomm. cap. conqueſtus de foro competent.*

11 Tenentur in conſcientia fures ad reſtitutionem rerum furto ablatarum, & ad damnum, quod patitur ille, cui factum eſt furtum; dum ſit illa re priuatur: ita communiter. Et iure canonico qui inter furandum occiſi ſunt priuantur orationibus fidelium, *cap. fures de furtis*, & clericus conſtitutus in ordine ſacro, qui furtum commiſerit, legitimè conuictus fuerit, debet à iudice eccleſiaſtico deponi, & quando perſeuerat

in tali peccato crescente contumacia, debet excommunicari: hæc excommunicatio proferri non potest, nisi ab Episcopo secundùm *Trident. sess.25.c.3. Reginald. lib.24.q.4.n.24.*

12 Aduertendum tamen est, quòd excommunicatio ad hunc effectum non fertur ad puniendum, cùm furtum sit præteritum, sed ad obtinendam restitutionem damni, per ipsum dati, à quo excusantur siue ob impossibilitatem, siue ob condonationem creditoris, qualis præsumitur in marito respectu vxoris, in parentibus respectu filiorum, siue ob compensationem factam, seruatis debitis, & legitimis conditionibus, *vt dictum est supra n.7. Reginal. loc. cit.*

De Octauo præcepto non dicendi falsum testimonium.

IN hoc præcepto prohibentur iniustitia, & iniuria, quæ verbis fit contra proximum per falsum testimonium.

1 Mendacium ita definitur à *Diuo August lib. 1. contra mendacium cap* 42. est falsa significatio vocis cum intentione fallendi, vel dicendi falsum.

2 Omne mendacium est peccatum, quia intrinsecè est malum: immò est malum, vt licitè fieri non possit, licet fiat ob bonum finem, vt ob finem conseruandi propriam, aut alienam vitam, ita S.*Thom.2.2. qu.10.art.3.*S*ylueſter verbo, mendacium n.2.can ne quis arbitretur* 21.*q.* 1.B*on. disp.*10.*q.*1 *pun.2.n.2.*

3 Aduertendum tamen est, quòd non omne mendacium est peccatum mortale, & quando aliqui dicunt, quòd omne mendacium est peccatum mortale iuxta illam scripturam; *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, intelligitur de

men-

mendacio pernicioso, non de iocoso, aut officioso; hoc enim mendacium nemini affert grauem iniuriam, & iudicatur materia leuis; hoc tamen etiam intelligendum est, dummodo non addatur iuramentum; tunc enim est peccatum mortale periurij *Bon. l. c. n. 3. S. Th. dicta q. 110. art. 4.*

4 In hoc loco arguunt aliqui, & dicunt constat mendacium non esse peccatum, allegando illam scripturam *Genesis* 26. vbi habetur quod Isaac dixit Rebeccam esse sororem, & Abraham *Genesis* 12. dixit Saram suam sororem esse, cum esset vxor; ergo mendacium non est peccatum.

Respondeo, quòd isti non commiserunt mendacium, sed potiùs adhibuerunt ambiguas locutiones, & dum adest iusta causa, licitum est ambiguè loqui. Quamobrem Abraham loquutus est ambiguè; accipiendo nomen sororis pro consanguinea, sicut etiam aliquando accipi potest nomen fratris pro consanguineo: vt colligitur ex *Genesis* 13 *Fillic. tr. 40. c. 2. q. 3 Bon. l. c. dicto n. 3. Lessius l. 20 c. 48. dub. 6* S *Th,* & alij.

5 Qui vtitur igitur verbis ambiguis, aut aequiuocis non peccat peccato mendacij: licet audiens intellecturus sit iuxta falsum sensum. Ratio est, quia non loquitur contra mentem propriam, & verba debent deseruire intentioni, & non intentio verbis: sed hoc intelligendum est, quando non tenetur loqui iuxta sensum audientis, vt in iudicio verò, & iusto. Potest hic afferri exemplum filij hominis, qui iuxta Marcum dicit, se ne scire diem iudicij; quod secundùm Doctores, ideò dicit, quia illud non scit, ad reuelandum nobis: Pater verò illum scire dicitur, quia de hoc filio dedit notitiam: tamen istae caelationes cauendae sunt, vbi sequi potest scandalum. *Bon. loc. cit. n. 7. Syluest. verbo mendacium num. 6. Filliuc. & alij.*

De Vltimis duobus præceptis.

ISta duo præcepta cùm resolui possunt ex dictis de matrimonio, & infra dicendis de contractibus, & restitutione: ideò hic non immorabor, & ad dicta vos remitto, & ad dicenda.

De præceptis Ecclesiæ.

1 QVinque sunt præcepta Ecclesiæ. Primum de sacro diebus festis audiendo. Secundum de ieiunijs obseruandis. Tertium de non comedendo carnem in certis diebus. Quartum de confessione, & communione semel in anno faciendis. Quintum de decimis soluendis.

2 Circa prædicta præcepta hic remanet tractandum de ieiunio, & de decimis, quia de præcepto audiendi sacrum diebus festis, & de Eucharistia sumenda in Paschate, & de confessione facienda semel in anno, iam latiùs egimus supra in materia de Eucharistia, & de pœnitentia.

De Ieiunio.

1 IEiunium accipi potest quatuor modis. Primò pro abstinentia à vitijs, vt benè docet D. Augustinus *tract. 13. in Ioann.* vbi dicit: Verum ieiunium est ab omnibus vitijs esse alienum. Secundò pro abstinentia à quolibet comestibili, & potabili sumpta, & hoc dicitur ieiunium naturale, quod frangitur, quoties aliquis cibus; vel potus ad stomachum transmittitur, sed qui aliquid degustat, vel accipit, & illud ad stomachum non traijcit, sed statim eijcit, non frangit ieiunium naturale, & hoc ieiunium requiri-

tur

tur in sumendo Eucharistiæ sacramentum. Tertiò pro ieiunio ecclesiastico, quæ præcipitur vnica tantùm comestio in die: id est à media nocte vsque ad mediam noctem futuram. Quarto pro temperantia, quæ in hoc consistit, vt non sumatur cibus vel potus, quam ratio naturalis dictat: ideò contra hanc temperantiam committitur peccatum, quando quis dat causam ebrietati scienter. *Bon. de præceptis eccles. q. 1. n. 1. Regin. l. 4 n. 125. Filliucc. tr. 27. c. 1. n. 6.*

2 Qui cænat die Iouis, si dubitat, an sit audita hora noctis duodecima, potest comedere carnes. Ratio est, quia habet libertatem edendi, nisi sit duodecima, secus si die sabbati cænaret, quia in hoc casu adest obligatio, non manducandi, nisi sit duodecima. *Sanch. relatus ab Escob. de ieiunio cap. 3.*

3 Ieiunium ecclesiasticum est abstinentia voluntaria à cibo, iuxta præceptum Ecclesiæ vel consuetudine acceptum.

4 Qui sæpè sæpiùs in die ieiunij vinum bibit, non frangit ieiunium, nisi id in fraudem faciat, nempè sumendo vinum in die ieiunij pro sustentatione, & per hoc cessat afflictio, quam ieiuniũ inducit; tunc enim, quia facit in fraudem legis, non solùm peccat mortaliter, sed etiam amittit meritum ieiunij, *Reginald. lib. 4. nu. 152. Abulensis in cap. Matth. q. 16. in responsione ad primam*, & alij quibus adhæret, *Azorius lib. 7. cap. 16. ad finem*; licet aliqui contrarium sentiant, id est, non peccat, etiam si hoc faciat in fraudem. *Filliucc. Nauarr. & Bonac.*

5 Vnica tantùm comestio in die præcipitur, hæc propositio patet ex vsu, & omnium consuetudine; Adest etiam consuetudo, quod vesperè sumitur ientaculum, & non solùm est licitum, si sumatur pro substentatione naturæ, sed etiam

ex sensualitate. Ratio est, quia sufficit terminos consuetudinis non excedere. *Bon. disp. vltima q. 1. pun. 3. n. 2. Regin. l. 4. c. 14. n. 164. Filliuc. tr. 29. cap. 1. q. 2. n. 21.*

6 Quantitas refectiunculæ metienda est secundùm conditionem personarum, & regionum constitutionem; ideò inspicienda est circumstantia personæ, an sit senex, an iuuenis, an regio sit frigida, an sit calida, an labor, quo detinetur sit magnus, ideò in hac materia non potest dari regula; quænam quantitas sumenda est; Vnusquisque igitur recipiet, quod suæ complexioni prosit, & cauebit excessum, ne tanta quantitas cibi sumatur, per quam ientaculum in cœnam transeat. *Bon. l. c. n. 2. Laym. n. 9. Reg. Fill. & alij*: immò Filliuccius, & Caietanus admittunt in vigilia Natiuitatis maiorem quantitatem cibi sumere licitum esse: hoc tamen intellige vbi adest consuetudo, vt benè ait *Bon. loc. cit.*

7 Hinc sequitur peccare mortaliter eum, qui sæpè sæpiùs in die ieiunij vescitur, nisi excuset paruitas materiæ; nam parum pro nihilo reputatur; ideò sumens duos ficus, aut quid simile non peccat mortaliter, immò non à mortali, sed etiam à veniali excusatur, qui ob vrbanitatem; vel preces amici sumit quid exiguum in die ieiunij, vt fieri solet inter amicos, dum amicus alium amicum visitet; Cauendum tamen est; ne sæpiùs modicum cibi sumatur in die ieiunij sine legitima causa; nam multa modica facere possunt, ita vt vnam notabilem quantitatem sufficientem constituant ad peccatum mortale. *Reginald. l. 4. n. 174. Filliuc. n. 37. Bon. disp. vltima, q. 1. pun. 3. n. 4. Abulensis in cap. 6. Matthæi q. 165. versiculo dicendum.*

8 Peccat solùm venialiter, qui manè sumit ientacullum, quod recipi solet vesperi, dilato

pran-

prandio ad veſperas, ſi hoc faciat ſine iuſta cauſa. Ratio eſt, quia non ſoluit ieiunium quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm variat circumſtantiam; præſertim ſi refectiuncula ſumatur circa horam prandij, immò licitè, & ſine peccato ob legitimam cauſam hanc circumſtantiam variari poſſe, ſic enim eſt in vſu, & obſeruatur à perſonis probis,& hoc fieri poteſt ſtudij cauſa, & itineris cauſa agendi. *Bon.n.6.Leſſ.dub.2. Fill.tr.17.c.2.q.5.n.27.& ſeq.Leym.l.4.tr.8 c.1.n.19*

9 Qui ob negotia interrumpit ieiunium nondum completo prandio, poteſt, abſoluto negotio, perficere, & reaſſumere prandium,& hoc videtur eſſe verum etiamſi interuenerit longa temporis mora, hoc tamen intelligendum eſt, ſi interrumpit animo continuandi,ſecus ſi animo non continuandi; tunc enim non poteſt prandium reaſſumere; & perficere, poſtquam interceſſerit longa mora, ſed ſi interuenerit modica mora, qui omiſerit menſam animo non continuandi, poterit tunc, mutata voluntate, continuare. Ratio eſt, quia moraliter iudicatur vnica comeſtio; Idem dicendum eſt de illo, qui poſt prandium iterum parum comedit, tamen ſi hoc faciat ſine legitima cauſa, peccat ſolùm venialiter,ſi parua materia ſit. *Bon. nu.10. Leſſ.lib.4. cap.2.dubio 2.n.11.Filliuccius nu.41.Regin.lib.4. num.177.*

10 In die ieiunij prandium faciendum eſt circa horam meridiei, ita obſeruatur ex communi conſuetudine fidelium, & qui notabiliter anticipat prandium in die ieiunij ſine legitima cauſa, verb.grat.per vnam, vel duas horas ante meridiem non peccat mortaliter, ſed ſolùm venialiter: iuxta probabiliorem ſententiam. Ratio eſt, quia non mutat ſubſtantiam ieiunij, ſed illius circumſtantiam, quæ non videtur eſſe ſuffi-

ciens ad peccatum mortale. Item hora comedendi non est de essentia ieiunij; quod non sit de essentia probatur; nam quæ sunt de essentia, non possunt mutari; sed hora comedendi mutari potest, vt clarè constat, ex canonibus, quia olim in die ieiunij prandebant post vesperas: ergo, &c. *Bona.punct.4.num.3. Filliuccius tr. 27. cap.4.qu.3.nu.66.Lessius cap.2. dubio 2.num. 13. Laym.lib.4.tr.8.cap.1.num.11. Toletus lib. 6.c.2. Angelus qu.2.*

11 Ieiunia fidelium sunt indicta ab ecclesiastica potestate, nullum à Iure diuino, vel naturali fuit impositum; nam licet ieiunium Quadragesimæ ob antiquitatem sit anteponendum, & strictiùs obseruandum, iuxta S.*Tho. 2.2 qu.147. ar.fin.* nihilominus est de iure ecclesiastico, & non de iure diuino, (vt dicunt Lutherani) secundùm communem opinionem *in cap.quod, de consecratione dist. 1. Bonac.pun.6.nu.1. Reginald. lib.4 nu.130.Filliucc tr.27.cap.5.q. 1.nu.77.Lessius lib.4.c.2.dubio 3.nu.30.& multi alii apud citatos Doctores.*

12 Omnes fideles, completo vigesimo primo anno, tenentur seruare ieiunia præscripta ab Ecclesia; hæc propositio clarè patet ex communi vsu fidelium. Ratio est, quia adolescentes ob abundantiam caloris, & crescentem ætatem crebriter cibo indigent, & Ecclesia non vult illos obligare ante vigesimum primum annum, S.*Th. 2.2.q.177.art.4.Bonac.pun 8.nu.1. Syluester verbo ieiunium num.18.*

13 Peregrini, & aduenæ non tenentur seruare ieiunia locorum, per quos transeunt, nisi decreuerint permanere maiori parte anni in eo loco. *Bonacina puncto 6. num.6 Reginald.lib.... numer.136.Filliucc. tract.27 cap.6.quæsito 2.nu. 206. Sanchez* & alij, nam tunc tenentur seruare

ieiunia,

ieiunia, & consuetudinem dictorum locorum, vt probatur ex *can. illa autem*, *dist.* 21. vbi habetur illud celebratum responsum. S. *Augustini datum à Diuo Ambrosio*. Cùm Romam venio, sabbatum ieiunio, cum Mediolani sum non ieiunio; vnde duos versus extant, quos citat glossa ibidem.

Si fueris Romæ, Romano viuito more.
Et si sis alibi, viuito sicut ibi.

14 Causæ, quæ excusant ab obligatione ieiunij reduci possunt ad tria capita. Primum est impotentia. Secundum labor. Tertium pietas. Sub primo capite continentur infirmi, & conualescentes, & alijs similes. Sub secundo continentur fœminæ grauidæ, aut lactantes, quibus necessarius est cibus pro se, & fœtu, non possunt tamen licitè comedere carnes. Continentur etiam sub hoc capite multus laborantes qui sustentare volunt se, & suos; & non possunt seruare ieiunium sine maximo detrimento notabili eorum status. Hic etiam addendum est quod Eugenius IV. anno 1440. fecit circa hoc magnam modificationem, indulgens, quòd artifices, siue rustici laboriosa opera exercentes, siue sint diuites, siue pauperes non teneantur seruare ieiunium sub præcepto, vt benè refert *Syluester verbo. Ieiunium*, *nu.* 13. Sub tertio capite continentur senes septuagenarij, quia vt plurimum sunt infirmi, immò plures Doctores tenent, quod sexagenarij eximantur ab obligatione ieiunij: huius sententiæ Doctores videri possunt apud *Nauar. cap* 21. *nu.* 16. Ego cum alijs existimo non esse exemptos, dummodo constet non esse infirmos, vel debiles. Ratio est, quia non sunt exempti à lege à muneribus personalibus; vt probatur per textum *in l. fin. C. qua ætate lib.* 10. ergo neque à ieiunio, vt benè ait *Syluester*

ster vbi supra quæsito 9. Layman cap. 3. nu. 2. Bonac. puncto vltimo, num. 4. Reginald. num. 209. Si verò dubitetur an sint habiles, & robusti non tenentur seruare ieiunium, quia ieiunando se exponerent periculo grauis incommodi, & Ecclesia in hoc casu non videtur obligare. Item sub hoc capite continentur pauperes, qui ob paupertatem carent cibo sufficienti ad vnicam refectionem; immò esset licitum illis edere carnem, si inuenire non possent alium cibum. Ratio est, quia Ecclesia non obligat cum graui incommodo. *Bonac. n. 5. Syluest. dicto quæsito 9. Tolet. l. 6. c. 4. nu. 4. Fill. & alij apud citatos Doctores.*

15 Qui ieiunium non seruat, putans habere iustam causam non ieiunandi, non peccat, si non ieiunat, si realiter sit iusta causa, & sufficiens. Ratio est, quia bona fides excusat, *ita Bon. n. 10. Regin. lib. 4 n. 222. Fill. tr. 27. cap. 5. q. 1. num. 29.*

16 Obtinens priuilegium manducandi carnem in die ieiunij, si illud priuilegium obtinuit ob debilitatem naturæ, non tenetur ieiunare, si verò ob nauseam, aut damnum piscis tenetur ieiunare, & non potest pluries vesci in die ieiunij. Ratio est, quia hoc priuilegium iudicatur odiosum, quasi contra legem communem, consequenter strictè explicandum est, ita *Bon. pun. 2. disp. vltima q. 1. n. 3. Less. dub 6. n. 45. Regin. l. 4. n. 168 Nau. c. 12. n. 22 & alij*, & ita fuit obseruatum hic Romæ anno 1657. ob suspicionem contagiosam, quæ illo tempore accipebat; Regnante Papa Alexandro VII.

17 Existente casu necessitatis manducandi cibos prohibitos in die ieiunij, non est petenda licentia, loquendo generaliter, dummodo tamen necessitas sit certa, & euidens. Ratio est, quia obligatio legis propter necessitatem aufertur;

(dixi

(dixi regulariter) quia si sequi potest scandalum, tunc petenda est licentia. & etiam si dubitatur de sufficientia necessitatis, & hæc licentia petenda est ab Episcopo, aut à Parocho, si haberi non potest aditus ad Episcopum. *Syluester verbo, ieiunium n.2. Bon. loc. cit. nu.5. Regin. Lessius, & alij.*

De Decimis.

1 DEcima est omnium bonorum mobilium licitè quæsitorum pars dicima Deo data diuina constitutione debita, vt colligitur ex *cap. 1. de decimis.*

2 Decimæ quo ad sustentationem sunt de iure diuino, quoad quotam sunt de iure humano; nec obstat *c. pastoralis, & c. tua nos, de decimis*, vbi dicunt, quòd decimæ sunt soluendæ ex lege Diuina; nam illa capitula loquuntur, & intelligenda sunt quoad imitationem, & exemplum Diuinæ legis antiquitus datæ. *Riccius decis. 605. nu. 5. Reg. lib 99 n. 84. Bon. disp. vlt. q. 5 pun. 1. n. 3. Fill. tr. 27. cap. 7. qu. 6.*

3 Tres sunt species decimarum, prædialis, personalis, & mixta. Prædialis, aut realis est decima pars fructuum, qui recipiuntur à possessionibus, vt ab oleo, vino, & leguminibus. Personalis est decima pars fructuum, qui proueniunt ab industria personæ, vt à mercatura, venatione, ludo, & alijs similibus. Mixta est illa, quæ pars ab industria, pars à possessionibus prouenit, vt sunt fructus animalium, caseus, & lana. *Bonac. pun. 2. n 12. & 13 Less. dub 3 n. 12. Toletus l. 6. c. 10. num. 4.*

Personales decimæ soluendæ sunt ab omnibus illis, qui recipere debent sacramenta; hæc propositio colligitur *ex cap. transmissa de deci-*

 mis,

mis. Ratio est, quia decimæ sunt institutæ in subsidium illorum, qui sacramenta administrant. Prædiales verò soluendæ sunt ab omnibus illis, qui possessiones possident, non tamen titulo spirituali, vt v.g. Clerici soluere tenentur decimas de possessionibus patrimonialibus, sed non de beneficialibus. S. *Thom.* 2.2 *qu* 87.*art*.4. *cap. à nobis de decimis*.

5 Mixtæ solui debent iuxta consuetudinem acceptam locorum, *c. ad apostolicam, de decimis in fine*.

6 Qui decimas non soluit, aut primitias debitas ob legem, aut legitimam consuetudinem, & qui soluere impedit, non solùm debet excommunicari, sed neque absolui non facta plena restitutione, secundùm *Trid. sess.* 25. *de reform. cap.* 12. *& can statuimus* 17. *qu.* 2. Hæc propositio est intelligenda, modò non adsit impotentia restituendi. Ratio est, quia non est verisimile Concilium obligare velle ad impossibile. Religiosi, qui prædicant, aut audiunt confessionem, & non hortantur ad solutionem decimarum, sunt excommunicati. *Clement. cupientes, de decimis. Bonac. pun.* 7. *nu.* 2. *in fine*, & communiter Doctores.

De Censuris Ecclesiasticis.

1 CEnsura est correctio non simplex, sed ecclesiastica, & est triplex, excommunicatio, suspensio, & interdictum.

2 Excommunicatio est censura, priuans hominem baptizatum solùm communione sacramentorum, aut sacramentalium, & fidelium, & est duplex, maior, & minor. Minor priuat participatione passiua omnium sacramentorum. Maior priuat participatione actiua, & passiua sacra-

cramentorum, iuxta communem sententiam canonistarum *in rub. de sent. excom. & Theologorum in 4. dist.* 18. & licèt dispositiones poenales in casu dubio intelligantur de minori poena, vt *in cap. in poenalibus, de regulis iuris*, nihilominus si Iudex aliquem excommunicet sine expressione de minori, aut maiori, de maiori est intelligenda, *cap. per, de sent. excom.*

3 Excommunicatio duplex est, vna data à lege, altera ab homine. Data à lege est, quando canon, constitutio, aut statutum excommunicat, qui faciet tale, aut qui non faciet. Data ab homine est illa, quam iudex pronunciat generaliter contra facientes, vel non facientes tale, inter quas datur maxima differentia, quia illa, data ab homine, cessat, mortuo conditore, aut ablato ab illo officio, qui eam tulit, iuxta glossam *in cap. à nobis, de sent. excom.* acceptam à communi opinione canonistarum, nam si Episcopus excommunicauerit aleatores, mortuo ipso, aut priuato illo officio, cessat illa excommunicatio; hoc tamen est intelligendum, dummodò illi eam non incurrerint, tenente adhuc Episcopatu, nam si eam incurrerint, petere debent absolutionem ab illo, qui succedit. Sed lata à lege non spirat, ea mortuo, *c. fin. de offi. io delegati, Reginal lib. 9. c. 6 qu* 8. *Bonac. de censuris, num.* 5.

4 Excommunicationes aliæ sunt latæ, aliæ ferendæ. Latæ sententiæ sunt, quæ ipso iure incurruntur absque iudicis declaratione. Ferendæ sententiæ sunt quæ non incurruntur, nisi præcedente iudicis declaratione; vt clarè patet ex *c. eis, de sent. excom. in 6.*

5 In sententia canonis incidunt omnes, & singuli, qui Clericum, etiam prima tonsura initiatum, vel monachum professum, vel nouitium conuersum, licèt non sit clericus, percutiunt.

Idem

Idem dicendum est de monialibus, & nouitijs earum, vt habetur *in c. Monachi*, eodem titulo, & absolui non possunt nisi à Summo Pontifice; vel Legato à latere. Monachi verò ad inuicem se percutientes absolui possunt ab Abbate, ne habeant occasionem euagandi, vt Romam veniant pro absolutione.

6 Aduertendum tamen est, quòd si percussio, aut iniuriam illata Clerico, non sit enormis, sed leuis, absoluere potest Ordinarius, & dicitur leuis, vt si pugno, palma, manu, pede, digito, aut etiam lapide quis percutiatur, dummodo nulla macula relinquatur. *Nauarr. de percussione Clericorum nu* 21. In hoc tamen semper est attendenda qualitas personarum, tam dantis, quàm recipientis, ideo arbitrio viri prudentis remittitur, quando dicatur leuis, aut grauis iniuria.

7 In eandem excommunicationem incidit mandans, vel fauorem, vel consilium prębens, ad percutiendum, vel ratum habens, dummodo eius nomine gestum fuerit, secus si eius nomine gestum non fuerit, *cap. ratihabitationem de reg. iuris in 6.*

8 In eandem excommunicationem incurrit percutiens clericum volentem, & consentientem. Ratio est, quia hoc priuilegium est concessum statui clericali, & non potest clericus illud renunciare; vt habetur exprefse *in c. contingat de sent. excom.* Immò clericus seipsum percutiens incurrit maiorem excommunicationem, dummodo tamen seipsum non percutiat ex ira. Ratio est, quia ista percussio est iniuriosa statui clericali. *Bonac. de excom. extra bullam, disp.* 2. *q.* 3 *pun* 6. *sect.* 2 *n.* 7. *Nauarr. cap.* 27. *n.* 78. *Reginal. l.* 1. *n.* 222. & alij apud dictos Doctores.

9 In eandem excommunicationem incidit, qui Clericum coniugatum percutit, qui matri-

monium

monium contraxit cum virgine, quamuis habitum, & tonsuram deseruerit, si pęnitentia ductus eam postea reassumpserit. *Bonac. loc. cit. sect. 3. nu. 2, Syluester verbo excommunicatio 6. nu. 4. Filliucc. tract. 25. c. 1. q 4 n. 8*

10 Incurrit etiam excommunicationem, qui Clericum percutit, degradatum verbaliter tantùm. Incurrit etiam, qui percutit Clericum irregularem, aut excommunicatum toleratum, aut vitandum, aut affectum alia censura. Ratio est, quia adhuc dicitur percutere Clericum, quia per censuram, aut degradationem verbalem, aut irregularitatem non amittit priuilegium canonis. *Bonac. num 5. Filliucc. tract. 15. cap. 1. q. 4. nu. 9. Nauar. c. 27 n. 79.*

11 Dantur multi casus, in quibus percutiens Clericum excusatur ab excommunicatione. Primus est, quando percutiens facit ad sui defensionem necessariam, non excedendo moderamen inculpatæ tutelæ. Secundus, quando quis percutit Clericum ignorans esse Clericum. Tertius, quando quis percutit, vel occidit Clericum inuentum turpiter ad agendum cum matre, filia, vxore, vel sorore, dummodo percutiat incontinenti, & non ex interuallo. *cap. si vero, de sent excom.* Iste tamen talis non excusatur à peccato, vt supra diximus de homicidio. Quartus est, quando quis percutit Clericum post dimissum habitum clericalem, qui se immiscuerit sæcularibus negotijs. Quintus est, quando quis percutit Clericum coniugatum publicè per se, exercentem officium cauponis, & macellarij, & non desistit ab illo officio intra terminum ab Episcopo præscriptum. Ratio est, quia Clericus coniugatus amittit priuilegium Clericale non desistendo ab officijs prędictis, secus non sit coniugatus, & gerat habitum, & ton-

& tonsuram: *Clementina 1. de vita, & honestate Clericorum.* Sextus; quando quis percutit clericum bigamum; nam bigamus omnia priuilegia clericalia amittit, *cap vnico de bigamis*: dantur alij casus; in quibus quis excusatur ab excommunicatione, quos ob breuitatis causam omitto.

12 Qui percutit laicum incedentem in habitu, & tonsura, quem credebat esse clericum non incidit in excommunicationem. Ratio est, quia nemo ligatur sua opinione: ita communiter Doctores.

13 Exercentes auguria, sortilegia, inuocando diabolum, aut præbentes eis auxilium, consilium, non incurrunt excommunicationem ipso facto, dummodo non sentiant aliquid contra fidem. Ratio est, quia nulla ex afferri potest, quæ contineat excommunicationem, ipso facto impositam, & si afferri potest aliqua lex, quæ continet hanc excommunicationem; illa tamen non est vsu accepta, vt benè docet. *Bonac. de excom. in particul. extra bullam disp. 2. qu. 2. punct. 37. Filliucc. tr. 14. c. 6. q. 11. nu. 97. Lessius l. 2. c. 43. dub. 5. n. 29. Toletus*, & alij ab ipsis relati.

14 Excommunicare possunt regulariter omnes qui habent iurisdictionem Ecclesiasticam ordinariam, aut delegatam; laicus, & fæmina excommunicare non possunt, quia iurisdictionem non habent *c. decernimus, de iudicijs, &c. nona, de pœnit. & remiss.* Summus Pontifex tamen de potestate absoluta dare potest facultatem fœminis, & laicis, vt excommunicare possint. Ratio est, quia non est contra legẽ diuinam, aut naturalem; *Bonac loc. cit. punct. 2. num. 4. Filliuccius tract. 11. cap. 2. qu 8. Reginald. num. 116.*

15 Maior excommunicatio ferri non potest, cùm non sit culpa peccati mortalis, & conse-

quen-

quenter nemo incurrit excommunicatione, latam à canone generali, aut particulari, nisi mortaliter peccet, & idem dicendum quoad hoc de excommunicatione generali ab homine publicata, *c. nullus, & can. nemo* 11. *q.*3.

16 Ad incurrendam excommunicationem requiritur effectus completus præterquam in simonia, prout dicemus in proprio quæsito. Ratio est, quia quando sumus in materia odiosa, strictè facienda est interpretatio, & verba debent intelligi cum effectu, vt est communis axioma Iuristarum, *Bonac. punct.*3.*nu.*12

17 Solus homo baptizatus est capax excommunicationis, habens superiorem, ideò excommunicari non possunt infideles nec Pontifex, neque collegium, neque vniuersitas, *cap. Romana*, §. *vniuersitatem de sent. excom.*

18 Effectus excommunicationis maioris his versibus continentur.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.
Si pro delictis anathema quis efficiatur.

Os, ideſt, negatur loquutio, osculum, receptio, aut missio literarum.

Orare, ideſt, negatur dicta participatio sacramentorum, officiorum diuinorum, & omnium aliarum precum in Ecclesia dicendarum.

Vale, ideſt, negatur salutationes mutuæ, etiam quæ per litteras fiunt, aut mouendo labia, aut quid simile.

Communio, ideſt, negatur participatio in faciendo aliquid cum excommunicato, habitando in eadem domo, aut tractando cum illo, aut faciendo quid simile.

Mensa, ideſt, negatur comestio in eadem mensa, quies in eodem lecto, etiamsi sit domus aliena.

In quinque casibus, qui his versibus continentur,

nentur, communicari potest cum excommunicato.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.
Hæc anathema faciunt, nec possit obesse.

Vtile, ideſt, poteſt quis communicare propter vtilitatem excommunicati, vt prædicando, admonendo, vt reſipiſcat, aut poteſt eſſe vtilitas ex parte participantis in temporalibus, vt petendo ab eo debitum.

Lex, ideſt, mulier communicare poteſt cum marito, cùm à lege teneatur cum ipſo communicare.

Humilis, ideſt, filij familias, & ſerui vrbani, & ruſtici, qui ante excommunicationem erant ſubiecti, communicare poſſunt cum patre, & patrono.

Res ignorata, ideſt, qui communicat cum excommunicato, ignoranter, modò non ſit ignorantia craſſa, excuſatur ab excommunicatione.

Neceſſe, ideſt poteſt quis communicare cum excommunicato ob magnam neceſſitatem tam propriam, quàm excommunicati, aut alterius, qui indiget.

19 Participans cum excommunicato, maiori excommunicatione innodato, eſt ſolùm peccatum veniale, ideſt ſolùm peccat venialiter, qui participat cum excommunicato. *S. Th. & alij in 4. diſt.* 18 *Hoſtienſis in ſua ſumma de ſent. excom. §. fi. Ioannes Andreas in c. ſacras, de his, quæ vi, & metus cauſa.*

20 Dantur multi caſus, in quibus, quis peccat mortaliter, communicando cum excommunicato. Primus eſt participatio in ſacramentis vel diuinis Officijs. Secundus eſt contemptus clauium, idem fit per frequenter locutionẽ. Tertius eſt præceptum ſpeciale iudicis. Quartum eſt par-

participatio cum excommunicato à Papa. Quintus est communicatio in delictis cum excommunicato, immò in hoc casu incidit in eandem excommunicationem. Ratio est, quia quælibet actio istorum est specialiter prohibita, ita DD. cit.

21 Excommunicati, cum quibus non possumus communicare sunt duplicis generis, idest publici percussores clericorum, qui nulla tergiuersatione cælari possunt, & illi, qui sunt specialiter denunciati, & declarati, & non quilibet excommunicatus notorius est euitandus, vt constat ex extrauagante Martini V. & confirmata ex *Concilio Lateranense sub Leone X. sectione* 11. & qui semel fuit excommunicatus, & declaratus, est semper euitandus, donec constet ipsum esse absolutum, nisi persona non fuisset talis, cui danda esset fides, affirmans esse absolutam. *glos in c. proposuit, de clerico excommunicato.*

22 Diximus supra, quod ille, qui fert sententiam excommunicationis, habere debet iurisdictionem ecclesiasticam ordinariam, aut delegatam; nam non incurrit excommunicationem, qui commiserit delictum sub pœna excommunicationis illo tempore, quo superior, qui sententiam tulerat, incidit in excommunicationem, & fuit denunciatus excommunicatus. Quapropter si Iudex diebus elapsis tulerit sententiam cum hac conditione, qui commiserit furtum sit excommunicatus, si furtum committitur eo tempore, quo ille iudex fuit declaratus excommunicatus; fur, furando eo tempore, non incurrit excommunicationem. Ratio est, quia illo tempore potestatem non habet legitimam excommunicandi, cùm sit denunciatus excommunicatus, & consequenter fuit iurisdictione priuatus; nam excommunicatio ferri non potest, à non habente

bente

bente iurisdictionem. *Bonac.disp.2.qu.2.punct.5, num.10.Filiuc.tract.11.cap.3.qu 9.nu.70.Suarez tom.5.disp.3.sect.4.& alij communiter.*

23 Quilibet sacerdos absoluere potest excommunicatum minori excommunicatione, si absoluere potest à peccatis, *cap.per tuas, cap.nuper, de sent.excommun.*

24 Excommunicatus maiori excommunicatione, modò à lege non reseruata, absolui potest à proprio Prælato, *dicto cap. nuper.*

25 Excommunicatus ab homine absolui potest ab ipso solo, aut eius successores, aut à superiore, aut delegato, nisi quòd delegatus Papæ, qui excommunicare potest, & infra annum absoluere à lata sententia definitiua, elapso tamen anno absoluere non potest, *c.conquerenter, de sent. excommun. & communiter ibidem.*

26 Qui absoluere potest ab excommunicatione lata à lege, absoluere potest ab excommunicatione lata generaliter ab homine, *iuxtam decisionem singularem Ioannis de Imola, in cap. graue, de prabendis, collat. 4. relata per Felinum in cap. pastoralis, §. praterea, de officio ordinarij, Ioannes Andreas, & Cardinalis in dicto cap. graue.*

27 Excommunicati à lege, siue ab homine, qui ob infirmitatem, aut aliud iustum impedimentum fuerint absolu'i ab illo, qui extra illum casum non poterat, cessante impedimento, præsentari se debent quàm primum commodè possunt apud quem poterat iuridicè eos absoluere; alioquin incidunt in eandem excommunicationem, sed absolutus à reseruatis non tenetur se præsentare, cessante impedimento; iuxta communem opinionem Theologorum, vt notat *Syluester, verbo confessio 1. num.21.*

28 Omnes leges, quæ præcipiunt fieri satisfactionem ante absolutionem in articulo mortis, intel-

intelligendæ sunt, si excommunicatus satisfacere potest, si non potest, sufficit dare cautionem. Ratio est, quia ad impossibile nemo tenetur, *l. impossibilium, ff. de reg. iuris, Pelinus in c. pastoralis, § praterea, collat. 3. de officio ordinarii*.

De Censuris in Bulla Cœna contentis.

29 EXcommunicationes reseruatæ Pontifici in Bulla Cœnæ sunt viginti.

30 Prima est contra omnes hæreticos cuiuscumque nominis, cuiusuis sectæ sint, & contra eos, qui fidem præstant, & contra receptatores, & fautores, & contra legentes eorum libros sine speciali licentia sedis Apostolicæ, aut imprimentes, aut apud ipsos retinentes.

31 Secunda est contra appellantes ad futurum Concilium à sententijs ordinarijs, & mandatis sedis Apostolicæ; & è contra ad id præstantes consilium, auxilium, aut fauorem.

32 Tertia est contra piratas cursaros, latrunculo maritimos, contra eorum fautores, receptatores, & defensores.

33 Quarta est contra furantes bona naufragantium christianorum, inuenta in maria, aut in littore maris.

34 Quinta contra imponentes noua pedagia, aut gabellas in eorum terris, aut eas augent, aut recipiunt, aut faciunt instantiam, vt imponantur, aut augeantur,

35 Sexta est contra falsificantes, lacerantes, facientes, aut falsè scribentes litteras Apostolicas, aut Vicecancellarij.

36 Septima est contra deferentes arma, aut transmittentes ad infideles alia necessaria in damnum, & incommodum christianitatis, aut Reipublicæ.

37 Octa-

37 Octaua est contra impedientes, aut inuadentes eos, qui victualia conducunt, aut alia necessaria ad vsum curiæ Romanæ.

38 Nona est contra occidentes per se ipsos, aut per manus alterius spoliant, mutilant, capiunt, aut impediunt illos, qui ad curiam Romanam accedunt, aut ab ea discedunt, aut in ea commorantes spoliant, capiunt, vel faciunt quid simile.

39 Decima est contra lædentes, occidentes, mutilantes, tenentes, prædantes Romipetas, aut peregrinos, accedentes ad Vrbem deuotionis causa.

40 Vndecima est contra offendentes, mutilantes, persequentes, carcerantes, detinentes, persequentes Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos sedis Apostolicæ, vel Nuncios, seu in hoc fauorem, auxilium, consilium præbentes.

41 Duodecima est contra omnes impedientes, aut fauorem dantes, percutientes, spoliantes bonis per se, aut per tertiam personam illos, qui accedunt ad Romanam curiam pro negotijs prosequendis, aut pro litteris, & gratijs impetrandis.

42 Decimatertia est contra appellantes à grauamine, aut futura exequutione litterarum Apostolicarum, legatorum, Auditorum, præsidentium, aut alias recurrunt ad curias laicales, & ad potestatem Ecclesiasticam, & contrahentes.

43 Decimaquarta est contra reclamantes alibi per se aut per aliam personam propria auctoritate prætextu alicuius exemptionis, aut alterius gratias, nec non remouentes causas beneficiales decimarum, aut aliarum rerum spiritualium

lium à iudicibus ecclesiasticis, etiam si illi, qui committunt tale delictum, fuerint præsidentes cancellariæ, conciliorum, parlamentorum, consiliaris, ordinarij, aut extraordinarij cuiuslibet Principis sæcularis, etiamsi sint indignitate constituti Regali, aut Imperiali, aut sint Episcopi, aut Archiepiscopi, aut Abbates.

44 Decimaquinta est contra trahentes, aut trahere facientes personas ecclesiasticas, capitula, conuentus, collegia ecclesiarum quarumcumque coram se ad suum tribunal vltra dispositionem iuris canonici.

45 Decimasexta est contra impedientes quolibet modo Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores, & omnes alios quoscumque Iudices Ecclesiasticos ordinarios, ne vtantur eorum iurisdictione ecclesiastica, secundùm quod determinant canones, & constitutiones Ecclesiasticæ, & præsertim Tridentinum.

46 Decimaseptima est contra vsurpantes, iurisdictionem, aut fructus, redditus pertinentes ad sedem Apostolicam, & cuiuslibet personæ ecclesiasticæ ratione ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, aut sequestrantes quauis causa sine licentia Summi Pontificis.

47 Decima octaua est contra imponentes decimas, talis, & alia grauamina sine licentia Summi Pontificis, Clericis, & alijs personis ecclesiasticis, ac eorum, & ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, etiam si præfulgeant Imperiali, aut regali dignitate.

48 Decimanona est contra Iudices sæculares, notorios, scribas, exequutores, subsequutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesia-

clesiasticas sine licentia expressa Sum. Pontificis.

49 Vigesima est contra inuadentes almam Vrbem, & alia loca, &c.

50 Reperiuntur aliæ excommunicationes reseruatæ Summo Pontifici, non contentæ in Bulla Cœnæ, quarum Prima est percussio grauis clericorum.

51 Secunda est perseuerantia in excommunicatione delegati post annum.

52 Tertia est participatio cum excommunicato à Papa in diuinis scienter, dummodò participans sit Clericus, & excommunicatus sit nominatim, & iudicialiter declaratus.

53 Quarta est spoliatio Ecclesiæ, idest, fractura portarum, aut fenestrarum post denunciationem.

54 Quinta est violatio immunitatis ecclesiasticæ circa confugientes.

55 Sexta est violatio clausuræ monialium ob malum finem.

56 Septima est contra Religiosos, qui administrant sacramentum Extremæ vnctionis, aut Eucharistiæ, tam laicis, quam clericis sine licentia speciali Parochi; Idem si absoluunt excommunicatum à canone; præterquam in casibus in iure expressis.

57 Octaua est contra illos, qui dispensant in votis vltramarinis S. Petri, & S. Pauli, S. Iacobi in Compostella, castitatis; & religionis, & contra illos, qui à casibus reseruatis absoluunt.

58 Nona est contra illos, qui simoniæ vitium commiserint in ordinibus, aut beneficijs in curia, aut extra, publicè, aut priuatè, etiam si essent constituti in qualibet dignitate, & contra mediatores, & procuratores in dicta simonia.

59 Decima est contra religiosos, qui è Monasterio egrediuntur, quæ quidem excommunicatio

catio ipso facto incurritur, & extenditur ad illos, qui licentiam præbent egrediendi, & ad receptantes in casibus, in quibus non permittitur religiosis è Monasterio egredi; immò dicti religiosi egredientes, & superiores licentiam præbentes egrediendi priuantur dignitate, administrationibus, officijs, & inhabiles fiunt ad illa, & quæcumque alia in futurum, vt constat ex motu proprio Pij V. incipiente: *Decori, & honestati*, & nemo absoluere potest istam excommunicationem, nisi Summus Pontifex, aut ab ipso delegatus, dummodo tamen excommunicatio publica sit, vt constat ex motu proprio dicti Pij V.

60 Vndecima est peregrinatio Terræ sanctæ deuotionis causa sine licentia Summi Pontificis, vt dicit S. Antonius referens ista verba: Accedens ad sepulchrum Domini deuotionis causa sine licentia Papæ, est excommunicatus, & eius absolutio Papæ reseruatur, vel eius Pœnitentiario.

61 Duodecima est lata sententia excommunicationis ipso facto incurrenda à Pio IV. anno 1562. in bulla 63. quæ incipit: *Intelligendis Ecclesiarum Prælatis*, *§. litteras*, contra illos, qui mandant, recipiunt litteras, aut scripta cuiuslibet generis, aut nuncium, aut notam, aut signum illis, qui conclaui existunt, aut ex conclaui illis, qui foras existunt, & in hac pœna excommunicationis incurrit quælibet persona, licet sit in dignitate constituta Cardinalatus, quæ pœna excommunicationis est Summo Pontifici reseruata: præterquam in articulo mortis; vt clarè patet ex dicta Bulla Pij V. vltra dictam pœnam puniendi sunt secundùm qualitatem delicti.

62 Decima tertia est contra omnes illos, qui extrahunt, aut extrahere faciunt reliquias à Ca-

tacumbis, Cryptis, Cœmeterijs existentibus intra, vel extra Vrbem. Ista excommunicatio edita est ab Eminentissimo Cardinali Mellino de mandato Summi Pontificis Pauli V. anno 1613. die 24. Augusti, vbi sunt hæc formalia verba. *Che persona alcuna di qualsiuoglia stato, e conditione dell' vno, e l'altro sesso, tanto ecclesiastica, come regolare, ò secolare, non ardisca, nè presuma, nè possa estrarre in alcuna delle grotte, catacombe, ò cimiterio dentro, ò fuori di Roma, ne da quelle estraere reliquie, anche in minima particella, nè in ciò dare aiuto, ò fauore, arbitrio da incorrersi ipso facto, e d'applicarsi come nel seguente capitolo, & anco di scommunica* latæ sententiæ, *della quale li transgressori non possono essere assoluti: se non da Sua Santità, eccetto, che in articolo di morte, alle esecutioni delle quali pene si procederà irremissibilmente.*

63 *E tutte le pene sopradette tanto corporali, come pecuniaria di scommunica* latæ sententiæ *incorrono ipso facto tutti quelli, ad instanza de' quali si cauerà, ò si acconsentirà di far cauare reliquie da detti cimiterij, ò saranno complici, e tutti quelli, che riceueranno reliquie, sapendo essere cauate da detti luoghi di qualsiuoglia grado, e conditione, ancorche fussero tali, de' quali si douessero far mentione particolare, dalle quali pene, e censure non possono essere assoluti, se non da Sua Santità, come di sopra. Dichiarando, che li regolari, che contraueranno al presente editto oltre alle predette pene, incorrono anco ipso facto nella priuatione di voce attiua, e passiua, & inhabilità alle dignità, e gouerni delle loro religioni, dalle quali non possono essere assoluti, & habilitati se non dalla Santità di Nostro Signore.*

De onere, & obligatione denunciandi sub pœna censura facta ex vi Matrimonij.

1 QVi denunciare tenetur esse debet subditus illi, qui sententiam fert, consequenter qui non est subditus non ligatur excommunicatione lata contra non reuelantes. Ratio est, quia actus iurisdictionis exerceri non potest in non subditum: communiter Doctores, præcipuè *Bonat. de onere, & obligat. denunciandi punct. 151. num. 2.*

2 Hic nascitur difficultas, an Ciuis Romanus, qui se ad aliam diœcesim transtulit intentione ibi permanendi maiori tempore anni; aut ibi perpetuò habitandi, incurrat excommunicationem, latam contra non reuelantes intra terminum præscriptum, non elapso adhuc tempore termini in monitorio concesso.

3 Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia remanet subditus; mediante delicto; & propter citationem monitorij perpetuatur iurisdictio, *cap. proposuisti, de foro compet. Bonac. loc. cit. num. 2. Sayrus lib. 1. quæst. 1. punct. 11. nu. 6. & seq. Suarez tom. 5. disput. 5. sect. 5.*

4 Quando ex denunciatione graue periculum nascitur, & euidens denuncianti tam in vita, quàm in bonis, non tenetur denunciare: Ratio est, quia lex non obligat cum tanto incommodo, dummodo tamen delictum non redundet in damnum & detrimentum Reipublicæ; nam bonum publicum præferri debet priuato, *Bonacin. loco cit. §. 3. num. 2. Filliuc. tract. 14. c. 2. qu 5. & 6. Nauar. cap. 25. nu. 50.*

5 Hinc sequitur furem, aut socium delicti non teneri ob vim monitorij manifestare delictum proprium, nisi fuerit iuridicè interroga-

tus, & dicitur iuridicè interrogatus, quando præcessit infamia, vel semiplena probatio, aut alia indicia manifesta, in his casibus tenetur respondere Iudici iuridicè eum interroganti. *Bonacin. de octauo præcepto Decalogi disp.* 10. *quæst.* 3. *punct.* 2. *n.*... *Reginal. lib.* 21. *num.* 134. *& seq. Filliuccius num.* 162 *& seq. Lessius lib.* 2. *cap.* 31. *disp.* 3. *num.* 10. Tenentur tamen restituere rem alienam sub pœna excommunicationis.

5 Mulier non tenetur denunciare maritum, quia sunt duo in carne vna, neque filius furtum, aut delictum patris, quia reputantur vna, & eadem persona, & damnum patris redundat in filium, & regula generalis est, quòd nemo denunciare tenetur, quando ex denunciatione nascitur magnum damnum denuncianti, vt supra diximus; communiter extenditur ad sorores, & generos, & fratres vsque ad quartum gradum, sed *Syluester, & Angelus, verbo, fama*, extendunt hanc doctrinam ad familiam, quia interest Reipublicæ, vt euitentur dissensiones, & discordiæ inter familiares.

6 Non nascitur obligatio denunciandi illas res, quas realiter ignoramus. Ratio est, quia edicta loquuntur de illis, qui verè, & realiter sciunt. *Reginal. lib.* 21. *n.* 13. *Bonac.* §. 4. *n.* 1. *& can. inter verbo,* 11. *q.* 3.

7 Nemo tenetur ex vi edicti reuelare illas res, quas scit sub secreto naturali, vt quando quis sciuerit per viam consultæ, vt petendo cõsilium ab aduocato. Ratio est, quia secretum est de iure naturæ, & in hoc casu qui reuelat, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, etiam si reuelet illum, de quo præcessit infamia, vel semiplena probatio, *Bonac* §. 5. *n.* 1. *&* 2 *Fill. tr.* 14. *c.* 2. *q.* 8. *n.* 39. & alij apud *Regin. loc. cit. n.* 47.

8 Non obligat edictum ad denunciandum iu-

ſtum detentorem, & compenſatorem, etiam ſi in ſententia excommunicationis exprimeretur iuſta compenſatio. Ratio eſt, quia non ſolùm continet hæc ſententia errorem intollerabilem, ſed etiam excommunicatio non incurritur, niſi propter peccatum mortale contra obedientiam; ſed ille, qui compenſat, retinendo rem acceptam in compenſatione, non peccat contra obedientiam cenſuræ; ergo in hoc caſu edictum obligare non poteſt, *Bonac.§.6.nu.1. Filliucc.tr.* 14.*c.*1.*n.*28.*Leſſius lib.*2.*c.*12.*dubio* 10.*nu.*6.

9 Qui non denunciat intra tempus præſcriptum in edicto, elapſo illo tempore, tenetur denunciare quàm primum commodè poteſt. Ratio eſt, quia terminus non apponitur ad terminandam obligationem denunciandi, ſed ad ſollicitandam: & ideo termino elapſo, non ceſſat obligatio *Reginald.l.*24.*n.*63.*Filliuc.quæſt.*11.*nu.* 42.*Bon.*§.9.*nu.*1.*Nauarrus cap.*5.*n.*45.

10 Quilibet ſub pœna peccati mortalis denunciare hæreticum à lege communi tenetur. Ratio eſt, quia ita colligitur ex *cap.* 2. *de hæreticis*, *& ex bulla* 18. Innocentij IV. anno 1254.

11 Ampliatur cum communi ſententia, etiam ſi eſſet delictum occultum. Ratio eſt, quia vnuſquiſque magis tenetur conſulere bono communi, quàm famæ perſonæ priuatæ, *cap.ratio nulla, de præbendis,l.actione,* §. *labeo*, *ff. pro ſocio Bonac.* §.10 *punct.*2.*num.*1.*Farinac. de hæreticis qu.*197. §.2. *& multi alij apud citatos Doctores*.

12 Hæreticus mentalis abſolui poteſt à quolibet confeſſario approbato. Ratio eſt, quia propter hæreſim mentalem non incurritur excommunicatio, & hæreſis eſt reſeruata ſolùm ratione excommunicationis, *Bonacina de cenſuris in bulla cœnæ contentis punct.*2.*n.*3.*Aragon.*2.2.*q.*11 *art.*3. *& alij communiter*.

De Suspensione.

1 SVspensio, de qua hic loquimur, est censura ecclesiastica, quia interdicitur aliquod officium, vel exercitium competens personæ ecclesiasticæ, aut in totum, aut in partem, aut in perpetuum, vel ad tempus.

2 Suspensio triplex est, vna est ab officio solùm, alia est à beneficio tantùm, & alia est ab officio, & beneficio simul. *Glossa in cap. cupientes, de pænitent.*

3 Aliquæ suspensiones sunt à lege impositæ, aliquæ ab homine. A lege ipso facto incurruntur, & sunt multæ, quas dicta glossa tangit: Ego ob breuitatis causam omitto illas, quæ raro occurrunt.

4 Prima est contra Sacerdotem; Diaconum, & Subdiaconum concubinarium notorium, donec se emendat *c. si quis* 81. *dist.* & sicut ipso facto incurritur in suspensionem ab fornicationem notoriam, ita pariter aufertur ipso iure ob emendationem: *iuxta gloss. receptam in dicto can. si quis.*

5 Secunda est contra Clericos per tres annos à beneficijs, eligentes in Episcopum illegitimum, non habentem legitimam ætatem, scientiam, & bonum testimonium. *cap cum in cunctis. § finali de electione.*

6 Tertia est contra omnes promouentes ad ordines sacros sine legitima ætate, aut extra tempus præscriptum, vt constat ex extrauag. Pij V. quæ incipit: *Ex sacramentorum.*

7 Quarta est contra Clericum, qui prouocat, aut accettant duellum. *Syluest. verbo, suspensio, num. 6. §. 11. Nauar. tamen tenet contrarium, quia textus in c. sacro de sentent. excommun.* dicit solum, quòd deponi debet.

8 Quin-

8 Quinta est contra Iudicem Ecclesiasticum à suo officio, aggrauantem contra iustitiam parti ob amorem, aut propter odium, aut propter aliquid aliud, *cap. 1. de re iudicata in 6.*

9 Sexta est contra admittentes ad diuina officia, aut sacramenta, aut sepulturam ecclesiasticam excommunicatos, interdictos publicos, & notorios; & istæ personæ intelliguntur suspensæ ab ingressu Ecclesiæ donec satisfaciant. *cap. Episcopum de priuilegijs in 6.*

10 Septima est contra Clericos omnes recipientes ordines sacros ficto patrimonio, vel beneficio; immò extenditur ad Episcopum, ordinantem Clericum religiosum sine titulo illius ordinis, in quò fit votum tantùm temporale religionis, vt constat ex constitutione Pij V. *fol.*207.

11 Octaua est contra religiosos, præsumentes mulieres in monasterio introducere; nam isti sunt suspensi à diuinis officijs, priuati beneficijs ecclesiasticis, & fiunt inhabiles ad illa; vt constat ex Bulla Pij V. quæ incipit: *Regularium*, & ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit: *Vbi gratia*, vbi excommunicantur fœminæ, ingredientes monasteria virorum, aut è conuerso sub prætextu facultatum iuxta stylus sacræ Pœnitentiariæ. Vide de hac materia *Nauarr. cap.* 27. *num.* 150. *Bonac. de suspensione* §. 4. *nu.*18.

12 Omnes, qui excommunicare possunt, suspendere possunt, sed non omnes, qui excommunicari possunt, suspendi possunt, sed solùm personæ Ecclesiasticæ. Ratio est, quia suspensio non cadit in laicis, vt affirmant communiter Doctores.

De Interdicto.

1 INterdictum est censura ecclesiastica quo homo priuatur perceptione quorundam sacra-

sacramentorum, diuinis officijs, & ecclesiastica sepultura; ita colligitur *ex cap. non est nobis, de sponsalibus*.

2 Triplex est interdictum, locale, personale, & mixtum. Locale est illud, quo interducitur tantùm locus, ne possint Incolæ, aut extranei audire in loco diuina officia, licet personæ illius loci interdicti, quæ causam non dederunt possint alibi audire diuina officia. Personale est illud, quo prohibetur populus, aut aliæ personæ particulares audire diuina officia. Mixtum vtrumque comprehendit, id est locum, & personas. *Bonacina de interdicto punct.* 1. *num.* 1. *Syluester, verbo, interdictum* 1. *quæsito* 2.

3 Tempore interdicti localis; aut si vniuersale, aut particulare administrari possunt sacramenta baptismi, & confirmationis solita solemnitate. *cap. quorum de sentent. excommunic. in* 6. *cap. Alma mater eodem titulo*.

4 Est licitum tempore interdicti localis debita solemnitate administrare sacramentum Eucharistię, existentibus in probabili periculo mortis, *cap. permittimus de sentent. excomm. cap. quod te, de pœnit. & remiss.* Immò hodie est licitum administrare Sacramentum Pœnitentiæ tempore interdicti cuilibet interdicto tam sano, quàm infirmo cum duobus limitationibus. Prima est, vt recipiens non sit excommunicatus. Secunda est, vt non fuerit in causa culpabili, ob quam fuit factum interdictum, aut non sit specialiter interdictus; ita determinatur *in dicto cap. Alma mater*. Antiquitus tamen conferebatur tantùm morientibus, & peregrinis. *cap. quod in te, de pœnit. & remiss.*

5 Item celebrari potest ad conficiendum sacramentum Eucharistiæ ianuis apertis, si administranda est infirmo Eucharistia. Item in magnis fe-

festiuitatibus celebrari possunt missæ, & diuina officia publicè, & solemniter cum sono campanarum ianuis apertis alta voce, admissis interdictis, sed non excommunicatis, dummodo tamen interdictum sit locale generale, non speciale. Sacramentum tamen extremæ vnctionis administrari non potest, nisi ex speciali priuilegio sit permissum. *Bonac. vbi supra. §. 3. num. 4. Filliuc. tract. 18. cap. 1. q. 3. cap. quod in te, de Pœnit. & remiss. & communiter alij.*

6 Reliqua sacramenta Eucharistiæ, ordinis; & matrimonij administrari non possunt tempore interdicti, excepto sacramento Eucharistiæ morientibus; vt diximus paulò anteà: communiter Doctores, & præcipuè *Bonac. dicto §. 2.*

7 Interdictum tàm locale, quàm personale priuat etiam ecclesiastica sepultura; *communiter in Clement. 1. de sepulturis*, & clarè patet *ex cap. quod in te, de pænit. & remiss.*

8 Interdictum ecclesiasticum ferri non potest in aliquam Ciuitatem, vel populum ob debitum pecuniarium, vt v. gr. propter contumaciam domini, aut Episcopi illius loci commissam; in retinendo debitum alienùm, ità fuit declaratum à Bonifacio XIII. in constitutione, incipiente: *Prouidè ascendentes.*

9 Violantes interdictum generale, aut speciale peccant mortaliter. Ratio est, quia faciunt cōtra prohibitionem Ecclesiæ in materia graui. *Bonac. pun. 7. nu. 1. & 2. Filliucc. n. 54. Innoc. in c. tanta, de excessibus prælat.* & alij apud *Syluest. verbo, interdictum, quæsito 6.* licet Syluester, & alij dicant laicos peccare tantùm venialiter, modò absit contemptus, aut scandalum, exceptis quibusdam casibus, de quibus per *Nauar. num. 181.*

10 Laici aliquem cogentes celebrare diuina officia in loco interdicto, aut vocantes alios in-

terdictos, vt intersint diuinis officijs, quæ celebrantur in loco interdicto, aut prohibentes, ne exeant interdicti, postquam fuerint admoniti, subijciuntur pœnæ excommunicationis; ita etiã excommunicantur personæ interdictæ, recusantes exire post huiusmodi admonitionem: à qua absolui non possunt nisi à Summo Pontifice, vt probatur *ex Clemen.* 1. *&* 2. *de senten excommun.*

11 Interdictum ad tempus latum, elapso illo tempore, cessat. Ratio est, quia lex non obligat, neque ligat vltra intentionem legislatoris. *Bonacin. punct. vltimo num.* 1. *Filliuc. num.* 114. *Reginald. lib.* 32. *tract* 3. *num.* 53. *Sayr. cap.* 15. & licet aliquid dicant, quòd sicut non cessat excommunicatio, adimpleta conditione, aut elapso tempore, & requiritur absolutio, ita etiam in interdicto, & suspensione.

Ad hoc respondeo: ita obseruatur in praxi, & est in vsu, idest in interdicto, & in suspensione non requiritur absolutio, elapso termino, aut adimpleta conditione, sed in excommunicatione requiritur absolutio. *Bonac. loc. cit. Filliuc. cap.* 3. *q.* 7. *nu.* 48. *Nauar. c.* 27. *num.* 161.

12 Aduertendum est, quòd interdictum locale non cessat si ædificium loci interdicti fuerit destructum, aut refectum. Ratio est, quia non solùm ædificium est interdictum, sed etiam solum tamquam fundamentum ipsorum. *Bon. dicto punct. vlt. num.* 2. *Regin. n.* 59. *Filliuc. nu.* 118.

De Irregularitate.

1 Irregularitas est impedimentum canonicum ex facto, vel defectu proueniens, quo quis promoueri non potest, & promotus exercere non potest.

2 Irregularitas non solùm impedit ordinum susce-

susceptionem, sed etiam primæ tonsuræ. Ratio est, quia licet prima tonsura, si nomen istius sumatur strictè, non sit ordo, sed dispositio ad ordines, nihilominùs in iure canonico nomine ordinis, intelligitur, vt probatur ex *cap. cum contingat, de ætate, & qualit.* ideò quando in definitione irregularitatis dicitur: Irregularitas est impedimentum canonicum, quod impedit susceptionem ordinum, nomine ordinum intelligitur etiam prima tonsura; vt communiter sumitur in iure canonico, à quo est introducta irregularitas, *Bon. disp. 3. qu. 1. punct. 1. num. 4.* Idem tenuit *Rota Romana anno* 1583. *coram* Seraphino, & idem senserunt consultores Pœnitentiariæ Mediolanensis; vt benè refert. *Bonac. loc. cit. & in tract. de beneficijs §. de irregularitate.*

3 Irregularitas duplex est, vna nascitur ex defectu, aut indecentia, quæ absque culpa contrahitur, altera ex facto, aut delicto, vt ex homicidio.

4 Irregularitatis multæ sunt species, quæ proueniunt ex delicto. Prima nascitur ex defectu animi, & hæc cadit in illis, qui carent vsu rationis, & illiteratis. Secunda ex defectu corporis, & hæc cadit in habentibus notabilem defectum in corpore. Tertia ex defectu natalium, & hæc cadit in illegitimis natis. Quartum ex defectu ætatis, & libertatis, & hæc cadit in non habentibus legitimam ætatem, & non habentibus libertatem, vt sunt serui, coniugati. Quarta ex defectu sacramenti, vt est bigamia, & dicitur quis bigamus, qui plures vxores habuit. Sexta ex defectu leuitatis, idest, homicidio licitè patrato, vt sunt iudices, ita communiter Doctores.

5 Quare Ecclesia determinauit illum esse bigamum, & irregularem, qui cum fœmina ab alio cognita contraxit, sed non sit bigamus, qui matrimonium contrahit cum virgine, licet ipse

sæpiùs commiserit fornicationem.

Respondeo, quia non solùm defectus virginitatis arguit maiorem indecentiam in sponsa, quàm in homine, sed etiam quia motus non specificatur à termino à quo, sed à termino ad quem; ita matrimonium non specificatur ab eodem contrahente, qui sæpiùs fornicatus fuit, sed ab altero contrahente, ad quem terminatur, qui est fœmina, cuius carò sæpiùs diuisa est; nam si fœmina fuisset capax ordinis, fieret bigama, accipiendo hominem fornicarium, sicut ille homo fit bigamus contrahendo, & consumando matrimonium cum illa, quæ ab alio est fornicata, *Bonac.punct.5.num.7.Filliuc.num.117.Suar.sect.3.num.9.Syluester, verbo irregularitas.*

6 Sunt aliæ species irregularitatis, quæ proueniunt ex delicto. Prima nascitur ex iteratione baptismi, & hæc cadit in illis, qui scienter reiterant baptismum. Secunda ex susceptione indebita, aut vsu ordinis, & hæc cadit in illis, qui habuerunt ordines aut exercuerunt indebitè. Tertia ex infamia, & hæc cadit in illis, qui à lege sunt declarati infames propter aliquod delictum. Quarta ex homicidio illicitè patrato, & hæc cadit in illis, qui commiserunt homicidium sine iusta defensione. Quinta ex defectu infidelitatis, & hæc cadit in omnibus infidelibus, ad fidem venientibus, qui promoueri non possunt ad ordines sine dispensatione Summi Pontificis: immò filijs hæreticorum sunt irregulares vsque ad secundam generationem per lineam virilem paternam; per lineam maternam vsque ad primam, modo parentes mortui sint in delicto hæresis. *cap. statuimus, de hæreticis.*

7 Ad incurrendam irregularitatem requiritur, vt sit baptizatus ille, qui mutilat, occidit, sit doli capax, & influit in homicidium, & mutila-

tionem extra casum necessitatis, & iustæ defensionis. Ratio est, quia non solùm leges loquuntur tantùm de illis, qui occidunt, aut mutilant post susceptionem baptismi, vt probatur *ex can. si quis viduam distinct. 50. & can. si quis post baptismum distinct. 51.* sed etiam quia infidelis non ligatur pœnis Ecclesiasticis. *Filliuc. n. 237. Bonac. de irregul. q. 4. n. 2. Reginald. lib. 30. num. 94. & alij communiter.*

8 Ex hoc sequitur non esse reum homicidij, & consequenter non est irregularis ratificans homicidium nomine suo factum, ipso tamen insciente; licet grauiter peccet. Ratio est, quia approbatio homicidij iam sequuti, non est iniuriosa, quia non influit in homicidium, cùm sit iam præteritum, & licet ratihabitio possit æquiparari mandato, vt est communis exioma: nihilominus non habet locum in casu nostro; quia pœnæ non incurruntur, nisi sint expressæ in iure: In iure canonico non reperitur expressum, quod ratificans homicidium incurrit irregularitatem, sicut reperitur expressum, quòd incurrit excommunicationem ratificans percussionem Clerici, nomine suo factam, ita *Bonacin. disput. 7. quæst. 4. punct. 8. num. 41. Reginald. lib. 30. num. 140. Fill num. 39. &* 41. & alij apud *Suar. disp. 44. sect. 3. num. 24.*

9 Cui ob infirmitatem, aut ex medicorum consilio amputata sunt virilia, expelli non debet ab ordinatione: *can. si quis à medicis, & can. si quis in infirmitate, distinct. 55.* Abscissi tamen ex propria voluntate promoueri non possunt ad ordines sine dispensatione, etiam si hoc non fecerint ad euitandum peccatum mortale, *cap. ex parte, de corpore vitiat.*

10 Accusantes, siue aliquem querelantes de iniurijs, expressè tamen non protestante, quòd

non

non agunt ad vindictam, neque ad pœnam sanguinis, si sequatur mors, sunt irregulares, siue Iudex iustè, siue iniustè ad mortem processerit. Ratio est, quia cooperantur ad mortem; ideò tacita protestatio non sufficit, sed requiritur expressa, *cap. 2. de homicidio in 6. Couar. in Clement. 1. de homicidio, & communiter.*

11 Non est irregularis, qui aliquem iustè ferit, & non occidit etiam si ab alijs fuisset occisus sine sua culpa, aut moritur ob defectum medici, aut propter suam malam curationem, aut propter infirmitatem, quæ ei superadditur; est tamen irregularis, qui iniustè ferit; nam posito, quòd non sit vulnus lethale est tamen causa, vt quis ei det mortem, aut cadat in infirmitate aliqua, ex qua moritur etiam ob malam curationem, aut culpam medici. Ratio est, quia quo ad hoc non datur differentia inter occisionem, & vulnerationem iniuste, si sequatur mors, etiamsi non esset culpa illius, vt duo capitula affirmant, *c. presbyteri, c. ad audientiam, de homicidio.*

12 Qui occidit ob defensionem suæ vitæ, honoris, & bonorum, non efficitur irregularis, non excedendo moderamen inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia occidens aliquem sine culpa non est irregularis, sed aliquem occidendo ob defensionē suæ vitæ, honoris, & rerum suarum, sine culpa occidit; ergo non incurrit irregularitatem. *Bon. pun. 6. n. 10. Fill. tr. 20. c. 5. qu. 6. nu. 146. Less. l. 2. c. 9. dub. 11. n. 13. Sayrus l. 8. c. 17. nu. 22.*

13 Committens homicidium casuale; si dat operam rei licitæ, adhibita diligentia; non efficitur irregularis, secus verò non adhibita diligentia, si dat operam rei illicitæ, adhibita diligentia, vel non, semper occidens est irregularis: Ex hac regula resolui possunt omnes quæstiones, quæ occurrere possunt circa hanc materiā;

Vide

Vide quæ supra diximus de homicidio. Hæc propositio probatur per *c. presbyterum, & c. continebatur secundùm vnum intellectum, & c. ad audientiam de homicidio.*

14 Est irregularis iubens, mandans, consulens, auxilians, & cooperans ad homicidium, vel mutilationem, sequuta occisione, vel mutilatione. Ratio est, quia influunt in homicidium, & mutilationem; dummodo tamen non fuerint reuocatum præceptum, mandatum, consilium expressè, vel tacitè, & mandatarius de hoc habuisset notitiam, cum hac tamen differentia, quod mandans sufficit, quòd reuocauerit mandatum expressè, vel tacitè, si illius reuocatio innotuerit mandatario; Consulenti verò non sufficit reuocatio tacitè, vel expressè, quia si non credat firmiter, quòd habeat locum reuocatio, tenetur indicare occidendo, vt sibi caueat, ne sit irregularis, mandans verò non. Ratio disparitatis est, quia mandatum datur in gratiam mandantis, consilium verò præstatur in gratiam consulti, & sic consultus agit nomine proprio, & non nomine consulentis; mandatarius tamen agit nomine mandantis. *Filliuc. n. 34. Syluester, verbo, homicidium 1. n. 11. Sayrus l. 7. cap. 3. nu. 6. Suarez dis. 44. sect. 3. num 3.*

15 Licitè potest, qui commiserit homicidium occultum, conficere Eucharistiam post debitam contritionem, & confessionem; antequam obtineat dispensationem, si nasci possit scandalum, & suspicio, quòd si ipse non sacrificaret, crederetur ipsum occidisse, & remaneret infamatus. Ratio est, quia lex naturalis, & diuina de defendendo propriam famam est altioris ordinis, quàm humana, in abstinendo à celebratione Missæ, cùm sit irregularis. Ita communiter, & præsertim *Nauar. in cap. 27. num. 239.*

19 Sum-

16 Summus Pōtifex dispensare potest in omnibus irregularitatibus quomodolibet incursis. Ratio est, quia Pontifex habet potestatem supremam super terram, & dispensare potest in omnibus impedimentis legis humanæ; Licet Summus Pontifex maxima cum difficultate dispensare soleat in homicidio voluntario; vt colligitur *ex Trid. ses. 14. c. 7.* illis verbis, *Ordine perpetuò careat.*

17 Episcopus dispensare potest in qualibet irregularitate, proueniente ex omni delicto occulto, præter quam ex homicidio voluntario etiam occultissimo, dummodo tamen tale delictum non sit deductum in iudicio, *cap. 6 sess. 24. & cap. 7. & eadem sess.*

18 Potest Episcopus dispensare in irregularitate, proueniente ex iusta mutilatione occulta. Ratio est, quia non solùm exceptio firmat regulam in non exceptuatis, vt probatur *ex cap. 2. de coniug. seruor.* sed etiam quia Tridentinum excipit tantùm homicidium voluntarium; ergo signum est Episcopum posse dispensare in irregularitate ob mutilationem occultam contracta, quamuis voluntaria, ita etiam determinauit Sacra Congregatio Cardinalium, *teste Suarez disp. 44. sect. 4. num. 35.*

19 Omne illud, quod non est publicum dici potest occultum, & publicum dicitur illud, quod est omnibus manifestum; iuxta *Bart. in l. 3. §. peti, de success. tutorum*, & ad hoc, vt Episcopus dispensare non possit, requiritur, vt sit notorium manifestum; sufficit tamen, vt sit tale vicinitati, Collegio, monasterio, & tunc dicitur notorium, quando erit maior pars collegij, vel monasterij, vel vicinatis, dummodo tamen reperiantur decem personæ in dicta vicinitate. Potest etiam Episcopus dispensare non quacumque irregularitate, quo ad solùm ordines minores, excepto

cum

cum homicidio voluntario, vt *in Trid. supra cit. Nauar. c. 27. n. 250. Panorm. & alij ob eodem citati in c. vestra, & de cohabitatione Clericorum.*

20 Aduertendum tamen est, quòd ad incurrendam irregularitatem, proueniente ex delicto requiritur culpa peccati mortalis. Ratio est, quia pœna commensurari debet delicto, vt probatur ex *c. felicis, de pœnis*; dum ergo irregularitas, quæ incurritur ob delictum sit grauissima pœna, incurri non debet ob leuem culpam, aliàs non erit proportionata delicto. *Bon. disp. 7. q. 1. punct. 3. n. 1. Filliuc. quæsito 7. n. 24. Reginald. lib. 30. num. 20. Nauarr. & alij.*

21 Irregularitas, quæ prouenit ex infamia, auferri potest tribus modis; Per dispensationem. Per baptismum; Per emendationem. Per dispensationem; solus Pontifex directè tollit irregularitatem; indirectè verò laicus Princeps tollendo infamiam, quæ oriretur ex iure ciuili, ita communiter Doctores.

De Pollutione Ecclesiæ.

1 SEx modis polluitur Ecclesia. Primus est, quando effùnditur sanguis humanus iniuriosè in Ecclesia, aut datur causa naturalis effusionis, aut mortis. Secundus casus est, quando effunditur semen humanum in Ecclesia voluntariè. Tertiùs est, quando in ipsa sepelitur infidelis. Quartus est, quando in ipsa sepelitur aliquis excommunicatus. Quintus quando Ecclesia consecratur ab Episcopo publicè excommunicato. Sextus, quando omnes parietes, vel maiores partes deijciuntur, *gl. in cap. ligneis de con. secr. Eccles.*

2 Aduertendum tamen est; quòd ad hoc vt Ecclesia reputetur polluta, requiritur, vt effusio san-

sanguinis,aut mortis fiat iniuriosè;nam non sufficit effusio naturalis naris, oris, aut quæ casu euenit,neque effusio facta ab infante,vel furioso ex eo, quia careant vsu rationis, & facere non possunt iniuriam, licet pati possint, neque effusio,quæ fit ob propriam defensionem; neque reputatur polluta, quando percussio extra Ecclesiam fuit facta; licet sanguis in ipsa effundatur, secus verò si vulnus factum fuit in Ecclesia, & vulneratus se recipit extra,antequam effunderetur sanguis in Ecclesia,nam tunc iniuria facta fuit in Ecclesia; ideò in hoc casu reputatur polluta; sufficit etiam ad hunc effectum suffocatio, aut occisio hominis in Ecclesia absque effusione sanguinis; emissio aliquarum guttarum sanguinis non polluit Ecclesiam, quia effusio significat abundantiam. Item polluitur Ecclesia, si in ea martyr occideretur propter fidem;nam illa actio est iniuriosa,& iniqua.*Nau.c 27.n.251. Archid. & glos.in c.1.de consecr.Ecclesiæ in 6.*

3 Non violatur Ecclesia,quando quis occiditur supra tectum Ecclesiæ; neque violatur locus sacer, quando copula habetur extra parietes Ecclesiæ,vel in sacristia,& cameris Ecclesiæ adhærentibus.Ratio est, quia illud spatium dicitur locus sacer qui spectat ad interius corpus Ecclesiæ à tecto interiori vsque ad pauimentum. *Bon.de sacrilegio in materia luxuriæ,q 4.punct. vlt. n.11. Fill.tr.30.n.135.Reginald.Nauarr.* & alij apud dictos Doctores.

4 Notandum tamen est, quòd nulla pollutio occulta impedit celebrationem in Ecclesia secundùm glossam, in dict.c.1.ex quia inferri potest, quod effusio sanguinis, aut seminis facta ab hinc octo diebus incipit hodie impedire, non autem ante:vt ait *Nauarr. c.27.n.251.*

5 Ecclesia consecrata, quando polluitur recon-

conciliari debet ab Episcopo, & cum aqua ab eodem benedicta, aut ab alio Episcopo; non consecrata reconciliari potest à solo sacerdote cum licentia superioris cum aqua ab eodem benedicta, *cap. aquam de consecrat. Ecclesia.*

De Immunitate Ecclesiastica.

1 IMmunitas ecclesiastica, late sumpta, non significat aliud nisi priuilegium, aut exemptionem, per quam Ecclesiæ subtrahuntur ab oneribus, quæ repugnant eius libertati, strictè sumpta, quod ad locum, de qua hic loquimur, est priuilegium, aut exemptio Ecclesiæ concessa, vt ibi existentes sit immunes à potestate laicali.

2 Immunitas ecclesiastica est concessa Ecclesijs fidelium, & alijs pijs locis à lege positiua, vt constat *ex cap. inter alia, de immunitate Ecclesia*, & ex constitutione Gregorij XIV. quæ incipit: *Cum alia.*

3 Immunitas ecclesiastica multos producit effectus. Primus, vt existens in Ecclesia capi non possit à laicali potestate: vt constat ex dicta constitutione Gregorij.

4 Hic nascitur difficultas, an delinquens, dum in Ecclesia moratur, custodiri possit à laicali potestate hoc fine, vt tradatur ecclesiasticæ personæ, donec declaretur an debeat gaudere.

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia in hoc non offenditur immunitas ecclesiastica, *Farinaccius de carceribus, q. 28. Tusc. verbo Ecclesia, conclusione 11. nu. 33.*

5 Secundus est, vt nullum apponatur impedimentum, per quod existenti in Ecclesia, aut in alio loco sacro non deferantur alimenta, & alia, quæ sunt necessaria ad vitam, *l. præsenti, C.*

de his, qui ad Ecclesiam confugiunt. Farinac. de carceribus, & carceratis, cap. 28. num. 9. Ratio est, quia si posset hoc modo impediri in loco sacro existens, esset adstrictus delinquens se dare potestati laicali, & succumberet morti, & consequenter redderetur inutile hoc priuilegium ecclesiasticæ immunitatis.

6 Hinc sequitur, delinquentem, existentem in loco sacro impediri non posse, quin ab Ecclesia exeat ad exonerandum corpus, dummodo statim reuertatur, *can. definiuit* 17 *qu.* 4.

7 Tertius effectus est, vt nullum damnum afferatur, aut violentia existenti in loco sacro, vt probatur ex Concilio Toletano XII. *cap.* 11.

8 Quartus effectus est, vt damnari non possit ad mortem, aut pœnam corporalem reus, dum in Ecclesia moratur, *c. inter alia de immunitate ecclesiæ*, vbi hæc sunt formalia verba: *Neque damnari debet ad mortem, vel ad pœnam corporalem*, *ex can. id constituimus* 17. *q.* 4. vbi sunt hæc verba: *De morte, & omni pœnarum genere sunt securi.*

9 Quintus effectus est, vt restituatur Ecclesiæ delinquens, extractus per vim. Ratio est *in can. minor*, *& can. antiquitus* 17. *q.* 4. vbi habetur, quod extrahens cogendus est sub pœna excommunicationis ad restituendum delinquentem.

10 Immunitas Ecclesiæ competit primò Ecclesijs, auctoritate Episcopi fundatis, & consecratis, præsertim si in ipsis celebrentur diuina officia. Ratio est, quia istæ vocantur Ecclesiæ, loquendo regulariter, & loca sacra Deo perpetuò consecrata, vt determinatur in *cap. Ecclesijs de immunit.*

11 Competit etiam hoc priuilegium Ecclesijs Episcopi auctoritate fundatis, etiamsi non sint benedictæ. Ratio est, quia hæc est materia

fauo-

fauorabilis, & consequenter extendenda est. *Farin.de carceribus q.28.n.34.Tuscus tom. 3. verbo Ecclesia concl 9. num.9.*

12 Eodem priuilegio gaudent Ecclesiæ dirutæ, nam non cessant esse loca sacra, hoc tamen intellige, modò non sint auctoritate Episcopi dirutæ sine spe eas reædificandi; Ecclesiæ enim dirutæ sine spe reædificandi eas, sicut amittunt indulgentias, ita etiam immunitatem. *Bonac.de primo præcepto decalogi punct.* 4. *num.*4. & multi alij ab eodem relati.

13 Non solùm hoc priuilegio gaudet corpus Ecclesiarum, sed etiam tota fabrica, vt tectum, partes parietum, campanile, sacristia, cœmeterium. Ratio est, quia principale trahit accessorium, & hoc locum habet etiam, siue sit cœmeterium coniunctum Ecclesiæ, aut disiunctum, siue consecratum sit, siue benedictum, siue etiam locus ob sepulturam alicuius Christiani cum diuinis officijs, & cum licentia Episcopi, & domini; nam tunc locus sacer reputatur, & religiosus. *Farinac.de carceribus,& carcerat. q.*28.*n.*14.*Bon. loc.cit. num.* 5.

14 Hoc priuilegium à lege communi extenditur ad confinia Ecclesiæ per 40. passus, si Ecclesia fuerit maior, aut basilica, si erit minor vsque ad 30. passus, *can.definiuit, can.sicut antiquitus* 17. *qu.* 4.

15 Simili priuilegio gaudent domus Parochorum, Canonicorum, & aliarum personarum Ecclesiasticarum propè Ecclesias existentes intra dicta confinia, licet in ipsis habitent laici. Priuilegium enim immunitatis directè fuit concessum locis, & non personis, *Bon.n.7.Decian.in tr. crim.lib.6.c.26.num.16.*

16 Monasteria, domus religiosorum, tam sæcularium, quàm regularium, & alia loca sacra,

cra, & religiosa immunitate Ecclesiæ gaudent. Hoc priuilegium extenditur ad omnem habitationem eorum, & ad viridarium. Ratio est, quia totus ille locus est sacer, & religiosus, & reputatur vna, & eadem res cum Monasterio. Item extenditur ad hospitale, dummodo sit fundatum auctoritate Episcopi, quia in iure locus sacer reputatur, *c. ad hæc, de religiosis domibus.*

17 Idem dicendum est de seminarijs, oratorijs confratrum affixis alicui Ecclesiæ, hæc enim sunt loca religiosa, & pia, *Bonac. pun. 4. n. 10. Peregrinus cap. 4. nu. 64.*

18 Domus aut palatium Episcopi immunitate Ecclesiæ gaudet, *can. id constituimus 17. qu. 4.* Pariter palatium Cardinalium.

19 Simili priuilegio gaudet sacerdos deferens sacramentum Eucharistiæ; ita vt reus ipsum amplectens capi non possit, neque molestari à laicali potestate, & hoc conceditur ob reuerentiam debitam corpori Christi. *can. multi 95. dist.* Bon. post alios *dicto punct. 4. n. 27. Suarez, & alij.*

20 Gaudet simili priuilegio capanna Ecclesiæ, ab ea tamen non distans, sed intra triginta passus existens, solummodo seruiens pro seruitio Ecclesiæ. *Barbosa in collectaneis bullarum in verbo Immunitas, in fine.*

21 Omnes Christi fideles cuiuslibet conditionis, & ordinis, exceptis quibusdam casibus in iure expressis, immunitate ecclesiastica gaudent. Ratio est, quia leges absolutè loquuntur, & sine aliqua distinctione, *c. inter alia, de immun. Ecclesiæ,* & nouiter Bulla Greg. XIV.

22 In Bulla dicti Gregorij continentur aliquæ personæ, quæ non gaudent immunitate ecclesiastica; & istæ sunt, latrones publici, viarum grassatores, qui publicas vias obsident, depopulatores agrorum, assassini, qui homicida, & mutilatio-

tiones membrorum in ecclesijs, aut eorum cœmeterijs committere non verentur, At qui commiserint homicidium proditorium, hæretici, apostatæ à fide. Apostata à fide pro hæretico habendus est, & qui commiserint crimen læsæ maiestatis.

23 Neque gaudet hoc priuilegio offendens personas Cardinalium, Episcoporum consecratorum, in eos violentas manus inijciendo, obsidendo, vel insequendo. *Martinus Italius de immun. Ecclesiæ lib. 5. cap. 5.*

24 Pariter non gaudent simili priuilegio fœminæ, occidentes eorum filios infantes, & prouocantes abortum malis medicamentis, & etiam committentes homicidium veneno: ita determinauit Sacra Congregatio, vt videri potest apud *Barbosam in collectaneis bullarum in verbo, Immunitas.*

25 Qui delinquit in Ecclesia, modò delictum non sit enorme, gaudet immunitate Ecclesiæ, & delictum enorme dicitur non solùm homicidium, & mutilatio: vt constat ex dicta bulla Greg. sed etiam adulterium, & raptus virginum. *Host. in cap fin. de immunitate Ecclesiæ*, licet aliqui dicant contrarium de adulterio, & de raptu virginum.

26. Hinc sequitur gaudere immunitate Ecclesiastica, qui furtum in Ecclesia committit. Qui verò furatur pixidem ab ecclesia cum particulis, credo non gaudere. Ratio est, quia hoc delictum sapit speciem hæresis, & in dicta bulla Gregorij habetur, quod committentes delicta, quæ speciem hæresis sapiunt, non gaudent immunitate Ecclesiastica.

27 Licet aliqui dicant, quòd Clerici, non gaudent hac immunitate; nihilominus Congregatio Cardinalium contrarium determinauit.

Ratio

Ratio est, quia esse non debent deterioris conditionis laicis, & hoc priuilegium est concessum loco, & non personæ. *Barbosa vbi suprà*.

28 Iudæi, Pagani hoc priuilegio gaudent, si ad Ecclesiam confugiant, petendo baptismum, vt fideles fiant, si verò confugiant ob occasionem delictorum non gaudent. *Boer.dec.* 100. In praxi tamen contrarium obseruatur, idest etiam in secundo casu gaudent, pro vt vidi hic Romæ ita semper fuisse obseruatum.

29 Percutientes imaginem Dei; Sanctorum, iurantes per pudenda Dei, blasphematores Dei, & Virginis, non gaudent immunitate Ecclesiastica. *Riccius decis.* 910. *Remigius in rubrica, facientes maleficia*.

30 Carcerati, qui sub iuramento de redeundo obtinuerunt licentiam eundi ad domum, vel missam audiendi, si iuste detinebantur non gaudent immunitate Ecclesiæ; si iniuste, gaudent: ita post reliquos *Remigius in rubrica, quando detur carcerato, Syluester verbo carcer.*

31 Ecclesia prouidere debet de expensis illis, qui hoc priuilegio gaudent *l. præsenti in fine, C. de his, qui ad ecclesiam confugiunt*; recuperabit deinde expensas factas, nisi sint impotentes confugientes; Impotentes enim Ecclesia etiam alere tenetur ad se confugientes, *can. ausum habet 2. qu. 2.*

32 Contra violantes immunitates ecclesiasticas vltra pœnas impositas à lege ciuili, & canonica, imposita est etiam pęna excommunicationis ipso facto, à qua absolui non possunt nisi à Summo Pontifice; vt constat ex dicta constitutione Gregorij XIV. & apertè constat ex decreto Sacræ Consecrationis edito de mandato Clementis VIII. quod incipit: *Sacra Congregatio*, teste *Bon. punct. 8. num. 3. in fine*.

33 In

33 In hanc pœnam non solùm incurrunt satellites, & exequutores, aut aliæ personæ priuatæ, quæ de mandato Iudicis extrahunt, ad Ecclesiam confugientes, sed etiam Iudex superior. Ita; *Genuensis in praxi Neapolitana cap. 2. num. 7. vbi affert multas rationes. Bonac. dis. 3. q. 7. pun. 9. nu. 5. & 6.* & alij ab ipsis relati: Consulentes tamen contra formam instius constitutionis, in hanc excommunicationem non incidunt, licet incurrat mandans. Ratio, est, quia sumus in materia odiosa, in qua stricta interpretatio est facienda, & magis fauorabilis, & benigna. *Bonac. loc. cit. n. 7.*

De Beneficijs.

1 BEneficium est iurisdictio perpetua, & legitima recipiendi fructus beneficiorum Ecclesiæ propter aliquod officium speciale; ita colligitur ex *c. relatus de præbendis in 6.*

2 Beneficium vnum est regulare, alterum, sæculare. Regulare est illud, quod confertur tantùm regularibus, vt Abbatia regularis, Prioratus. Seculare, quod confertur sæcularibus.

3 Sæculare aliud est curatum, vt Parochia, Episcopatus, aut Abbatia. Aliud non est curatum, vt Archidiaconatus, & Decanatus.

4 Beneficium aliud est manuale, quod reuocari potest arbitrio conferentis, vt beneficia regularia. Aliud non est manuale, quod reuocari non potest, nisi in casibus in iure expressis: *glossa in Clement. quia regulares, de supplenda negligentia Prælati.*

5 Multæ conditiones requiruntur in adeptuto beneficium. Prima, vt si Clericus. Secunda, vt non sit coniugatus: Tertia, vt sit legitimæ ætatis, vt infra dicemus. Quarta, vt habeat certum

ordinem, saltem primam tonsuram. Quinta, vt obtineat beneficium canonica institutione, sine quia possideri non potest; vt habetur *cap. beneficium de regulis iuris in 6.*

6 Ad obtinendum beneficium canonicè tres conditiones requiruntur. Prima, vt conferatur ab habente potestatem legitimam à lege, vt à Prælato Ecclesiastico. Secunda, vt illi conferatur per modum debitum, & iuridicum, non per simoniam, aut per aliud. Tertia, vt sit habilis ad hoc, vt non sit irregularis. *Syluester, verbo, beneficium 3 num.* 1.

7 Si beneficium est regulare, si est Abbatia, in Abbatissa requiruntur triginta anni completi, *cap. indemnitatibus, de electione in 6* sed in Abbate non reperitur quænam ætas requiratur, sed communiter dicitur, requiri viginti quinque annos, ob *cap. cum inunct. §. inferiora, de electione*, vbi regulariter ad obtinendam quamlibet dignitatem sufficit illud tempus, nec tempus statutum in Abbatissa trahendum est ab Abbatem ob *glossam dicti cap. indemnitatibus*; Propter enim debilitatem sexus maius tempus requiritur, & antiquitus requirebatur tempus quadraginta annorum: *vt in can. iuuencula 20. quæst.* 1. sed si est prioratus, tunc si est conuentualis sub se habens collegium, requiritur tempus viginti annorum, *argumento in Clement. ne in agro, §. verùm, de statum regul.* sed si non est conuentualis, sed curam habet, tunc si Prior ex consuetudine per se exerceret curam, habere debet vigintiquinque annos, quia esse non potest sacerdos, quod requiritur ad curam, nisi sit in vigesimo quinto anno, vt constat *ex Clement. de ætate & qualit* sed si per se curam non exercet, videtur sufficere tempus viginti annorum, *vt in dicto §. cæterum*. Sed si est sine collegio, & sine

cura

cura requiritur saltem tempus quatuordecim annorum. *arg. textus in c. indecorum, de ætate, & qualit. & in dicto §. cæterum*: si verò beneficium non est sæculare, si est Episcopatus, requiruntur triginta anni completi; si verò est dignitas inferior requiritur, quòd attigerit decimumquintum annum, *vt in dicto §. inferiora*: si verò beneficium est simplex, & sine cura, saltem requiritur tempus quatuordecim annorum, ideò non requiritur tempus vigesimi quinti anni, quia hoc tantùm requiritur expressum in curatis, *vt in dicto § inferiora.*

8 Clericus de bonis Ecclesiæ acquisitis dotare potest sorores, & alere parentes, aut consanguineos. Vt dicit *Syluester, verbo Clericus 4. quæsito 15. Panorm. cap. peruenit de arbitris*. Probatur etiam per *cap 1. de cohabitatione Clericorum, & mulierum, & per textum & glossam in can. omnino confitemur dist. 32.* vbi dicit glossa, quòd Clericus habens vxorem, & filios, pascere potest illos ex redditibus Ecclesiæ, & consequenter multo magis dotare, cùm causa dotis sit fauorabilior: Hoc tamen intellige si indigeant, & non ad pompam, aut propter alium finem; tunc etiam tam donans, quam recipiens restituere tenetur. *can. peruenit 16 qu. 7. Cardinalis in Clement. 2. de vita & honestate cleric. Syluester loc. cit.*

9 Clericus habens sufficiens patrimonium; illud conseruare potest suis hæredibus, & viuere de redditibus beneficij; communiter Doctores, præsertim *Syluester loc. cit. nu. 16. Innoc. cap. Episcopus, de præbendis.*

10 Beneficiarius facere tenetur quatuor partes de redditibus beneficij, Episcopo, pauperibus, ipsi sacerdoti, & fabricæ; sicut volunt iura antiqua; tamen quoad quartam Episcopi standum esset consuetudini, quæ derogare potest

præfatis iuribus, modò fabrica non remaneat desolata; tunc esset irrationabilis, & non valeret; hoc intelligendum est, quando redditus superfunt, deductis necessarijs; immò tenetur omnia superflua quæ necessitati dare pauperibus sub pœna peccati mortalis. *Syluester verbo Clericus 4.num.19.*

11 Clericus conuertens fructus beneficij in vsus inhonestos, non solùm peccat mortaliter, sed etiam restituere tenetur. Ratio est, quia quidquid habet, pauperum est; *can. 16.qu.1.Panorm.c.cum de præbendis, Syluest.l.c.n.*15. & licet viuere debeat, non debet tamen luxuriari.

12 Clericus beneficiarius non recitans horas canonicas non solùm peccat mortaliter, sed etiam restituere tenetur fructus, vt supra diximus de horis canonicis; pariter pensionarius post constitutionem Pij V. tenetur recitare officium Beatæ Virginis.

De Simonia.

1 Simonia traxit originem à Simone Mago, qui emere volebat donum Dei; & Spiritus Sancti, vt eum venderet. *S.Tho 2.2.qu.*110. *art.* 1.

2 Simonia est studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. *S.Thom.loc.cit. & canonistæ in rubrica de simonia.*

3 Simonia triplex est, mentalis tantùm, conuentionalis tantùm, & realis. Mentalis tantùm est simonia mente concepta absque vlla conuentione neque expressa, neque tacita. Simonia conuentionalis est illa, quæ in pactum deducitur; non sequuto adhuc implemento ex vtraque parte, vel ex altera. Realis est illa, quæ iam est con-

coniuncta, aut expressè, aut tacitè, & consummata ex vtraque, vel saltem ex altera parte.

4 Simonia duplici iure est prohibita, vna est prohibita à lege diuina, altera à lege positiua, Prima est voluntas emendi, vel vendendi res verè spirituales, aut sint à Deo datæ, aut institutæ, vt sunt sacramenta, Secunda est voluntas resignandi, præsentandi, conferendi, aut acceptandi iam facta cum conditionibus illicitis, & hæc est prohibita ab Ecclesia. Ideò committitur simonia absque interuentum pecuniæ, dummodo tamen detur quid pretio æstimabile. *Nau. cap.23.num.110.*

5 Triplex est pretium quod tradi potest pro spiritualibus; ideò communiter appellatur donum à manu, à lingua, & ab obsequio, & ad hæc tria rerum genera reduci possunt omnia alia, quæ dari possunt in pretium pro re spirituali *can. Saluator 1. qu.3.*

6 Hic dantur regulæ duæ ad cognoscendum, quando interuenerit vitium simoniæ, vel non. Prima regula est, quòd ad euitandum simoniæ vitium in conscientia, & coram Deo sufficit, quod quis non intendat accipere aliquid temporale pro rebus spiritualibus, vel spiritualitati annexis, tamquam pretium, sed tamquam subsidium à lege, vel pia consuetudine concessum, vt ait *S.Tho. 2.2. q.10.art.2.* Secunda regula est, quòd si actus sit spiritualis, qui alicui personæ competit propter aliquam spiritualitatem, quæ est in ipsa, vt diacono legere Euangelium, si intelligat suum exercitium vendere, est simonia; si actus non sit spiritualis, vt docere artes liberales, non est simonia; ex his duabus regulis decidi possunt omnes casus occurrentes circa hanc materiam.

7 Materia, circa quam vitium simoniæ com-

mittitur, est res spiritualis, aut supranaturalis; Ratio est, quia opponitur simoniæ peccatum Religioni, & cultui diuino.

8 Hinc sequitur, committit Simoniæ vitium, vendendo gratiam sanctificantem, quia gratia sanctificans est res spiritualis, & sacra, & licet habeatur in *can. indices 1. q. 1. & in can. saluator 1. q. 3.* quòd gratia vendi non potest, sicuti neque Spiritus Sanctus emi, & vendi potest, nihilominus dicti canones loquuntur de iure, sed non de facto: de facto Spiritus Sanctus, vel gratia vendi potest, vt si sacerdos vendatur ratione sacerdotij, & suæ dignitatis *Fill. tr. 45. c. 2. n. 22. Suar. tom. 1. de religione l. 4. c. 9. n. 7. de Simonia Bonac. disp. 1. q. 4. n. 2.*

9 Quoad Deum, & conscientiam simoniæ vitium sola voluntate committitur, vt probatur ex *cap. tua nos, de simonia.*

10 Non est licitum Episcopo præcipere, vt detur certa quantitas pecuniæ ob celebrationem missæ, & vt nullus recipiat minorem quantitatem. Ratio est, quia missa non est pretio æstimabilis *can. qui studet 1. q. S. Th. art. 3.* communiter receptus, *Nauarrus c. 23. n. 16.*

11 Donatus aliquid sacerdoti, aut alteri; vt aliquem baptizet, existentem in extrema necessitate, non committit simoniam. Ratio est, quia non intendit dare pro sacramento, sed ad redimendam vexationem; Ista propositio habet locum, tam si necessitas se teneat ex parte adulti, quàm infantis, quia eadem militat ratio, & in necessitate licitè recipitur ab hæretico: iuxta *glossam in c. præter, § hac, dist. 32. Panorm. in c. cum ecclesia, de simonia, Nauarr. c. 23. num. 101. Bonac. disp. 1. q. 4. § 1. nu. 3.* Ista propositio etiam habet locum, si recipiens iuret pretium largiri non ad redimendam vexationem, sed ad emendum sa-

cra.

cramentum, quando aliter habere non potest hoc sacramentum. Ratio est, quia licet recipiens iuret hoc modo, nihilominus salua semper est eius intentio, quòd facit ad redimendam vexationem, & in hoc casu nulla falsitas subest in iuramento, quia Deus accipit iuramentum pro vt ex corde procedit; pro vt supra dixi de iuramento. *Sotus de iustitia, & iure lib.6.q.6 art.1.*

12 Conferens beneficium alicui, cui tenetur ex obligatione, animo se ab illa liberandi, simoniæ vitium committit, si ei confert ob causam principalem, & immediatam illius rei; sicuti etiam Canonicus simoniam committit, qui ad chorum pergit principaliter distributionis causa, si verò secundariò non est simonia. *Nau.l.c. n.106.S.Th. §.quodlibet q.6.Syluest. verbo simonia, nu.3.*

13 Summus Pontifex committere potest simoniæ vitium, in his, quæ iuris diuini sunt, quia est ei subiectus; in his, quæ sunt iuris humani committere non potest, quia princeps non ligatur suis legibus, *l.Princeps.ff.de legib.S.Th.communiter receptus 2.2.q.100.art.1.can.sunt quidam.25.q.1.*

14 Aduertendum est, quòd si Summus Pontifex alicui pecunia conferat beneficium, & recipiat pecuniam tamquam pretium illius beneficij, nempè illius iuris spiritualitatis, simoniæ vitium committeret. Ratio est, quia Summus Pontifex non est dominus rerum Ecclesiasticarum, sed principalis dispensator, hoc tamen moraliter loquendo non potest euenire, quia non est verisimile Papam pecuniam recepturum esse tamquam pretium. *Bon.disp 1.q.5.pun.1.num.2. Filliuc.tr.45.cap.12.q.1 ad finem. Lessius l.2. cap. 25 dubio 5.Sotus, & alij.*

15 Emens beneficium, vel ordinem à Papa, vel ab alio scientia Papæ, licet antiquitus potuerit quis excusari, quia videbatur Papam in

hoc dispensare, vt plures Doctores confirmant ; hodie tamen non excusatur à vitio simoniæ, pro vt constat ex Bulla Alexandri VII. quæ incipit: *Inter grauissimam*, vbi habetur, quod in hoc casu non intelligitur quis dispensatus, nisi adsit specialis gratia in scriptis obtenta.

16 Clerici, licèt recipere non possint aliquid pro sepultura ob prohibitionem legis; consuetudine tamen introductum est, vt licitè recipere possint aliquid pro exequijs defunctorum, & ista consuetudo est rationabilis, & laudabilis, quia non recipitur pro sepultura, sed pro labore in faciendis exequijs, & vbi adest talis consuetudo adstringi possunt licitè à Iudice Ecclesiastico, ad eam obseruadam. *Tuscus in sua praxi de sepult. reso 56 c. ad apostolicam de Simonia, glos. in c. ad adolendam, in verbo exigere, de sepulturis.*

17 Episcopus, aut alij collatores ordinum recipere non possunt aliquid sine vitio simoniæ pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis primæ tonsuræ, nec pro litteris dimissorialibus, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam spôte oblatum. Notarij verò in ijs tantùm locis, in quibus viget laudabilis consuetudo nihil accipere possunt pro singulis litteris dimissorijs, aut testimonialibus, nisi decimam partem vnius aurei, dummodo eis nullum salarium sit cõstitutum pro officio exercendo; ita habetur in *Trid. sess. 11. c. 1.*

18 Non solùm committitur simonia in tradendo, vel accipiendo aliquid pro sacramentis, sed etiam pro sacramentalibus, & non solùm permanentibus, vt benedictio aquæ, & olei, & consecrationis calicis, sed etiam non permanentibus, vt benedictiones nuptiarum, & similium, *cap. suam de simonia*, Bonac. *disp 1. qu. 4. §. 2. nu. 2. Filliucc. tom. 2. tr. 46. c. 3. num. 19*, sed hoc intelli-

telligendum est, quando datur aliquid tamquam pretium, sed non tamquam subsidium, & stipendium, vt supra diximus, & ex hac conclusione, resolui etiam possunt plures casus, qui occurrere possunt circa hanc materiam, ideò propter breuitatem eos omitto.

19 Preces nunquam inducunt simoniæ vitiū, vt dicunt communiter Doctores, & licet olim quis potuerit dare pecuniam pro redimenda vexatione in re spirituali pro iure quæsito, vt omnes canones, & Doctores confirmant; hodie verò fieri non potest sine simoniæ vitio, prout declarauit expressè Alexander VII. in Bulla supra citata, incipiente: *Inter grauissimas.*

20 Simoniæ vitium committitur, si quis pecuniam donat, vt aliquis non ordinetur, non præsentetur, non eligatur, vel electus non confirmetur, vt patet *ex cap. nemo hoc eodem titulo.*

21 Simoniæ vitium non committitur, quando quis gratitudinis causa conferenti beneficium, vel alteri dicat, numquam te pœnitebit exhibiti mei beneficij. Ratio est, quia ista sunt verba vrbanitatis, & non inducunt obligationem, & per consequens non videtur aliquid promitti tamquam pretium rei spiritualis. *Bon. de simonia q.6.p.1.n.2. Nau.l.5. consiliorum consilio* 81. *Azorius, & multi alij.*

22 Simoniacus mentalis, licèt peccet, restituere non tenetur, quod acquisiuit sine conuentione, vt simoniacus realis, sed solùm pænitere tenetur de mala intentione, *cap. mandato, de simonia.* S. *Th. 2.2.q.* 100. *art.6. ad 6.*

23 Quare simoniacus mentalis restituere non teneatur, vsurarius verò mentalis teneatur, infra in proprio quæsito dicemus.

Respondeo, quia vsura benè soluitur, sed malè recipitur; nam soluere vsuram non est pec-

catum, *cap. debitores, de iure iurando*, sed recipere vsuram est peccatum, & qui male recipit ab illo qui benè dat, restituere tenetur danti. *can. non sanè, vbi glossa* 14. *q.* 15. sed qui per simoniam mentalem recipit ab illo, qui malè dat, benè recipit propter ignorantiam malæ intentionis dantis, & consequenter recipiens restituere non tenetur. *Nauar. c.* 23. *nu.* 103. *& Caiet.* 2. 2. *qu.* 100. *art.* 6. dicit, quod soluitur, & datur vsurario, non datur voluntariè, quod autem datur simoniaco mentali voluntariè datur, & spontè soluitur, & consequenter simoniacus mentalis restituere nō tenetur, vsurarius verò mētalis tenetur.

24 Iura patronatus, & decimarum neque vendi neque emi possunt, vt patet ex definitione simoniæ. Res sacræ in casu necessitatis vendi possunt, non tamquam res sacræ, sed tamquam materia, ita *Syluest. verbo, Simonia n.* 12.

De Simonia Confidentiali.

25 Simonia confidentialis accidere solet in resignationibus, collationibus, electionibus, aut præsentationibus hoc fine, aut animo, vt beneficium, aut fructus, in totum, aut in partem restituantur, aut reseruentur eidem resignanti, conferenti, eligenti, & præsentanti.

26 Materia huius excommunicationis est beneficij acceptatio in confidentia, quæ quatuor modis accidere solet. Primus modus est, quando recipitur beneficium ab aliqua persona, quæ resignat hoc beneficium cum spe, & confidentia, vt resignatarius soluat fructus in fauorem resignantis, aut amici, aut alterius, quam resignans nominauerit; vt constat ex verbis, *constit. Pij V.*

27 Aduertendum tamen est, quòd hæc pœna est tantùm lata contra recipientem, vt patet

ex dicta Bulla. Ratio est, quia Pontifex punire vult magis recipientem, quàm resignantem beneficium, quia homo est promptior ad recipiendum, quàm ad dandum.

28 Ad incurrendam istam excommunicationem non requiritur, vt ista confidentia deducatur in pactum expressum, sed tantùm requiritur, vt resignans cum hac spe resignet, & resignatarius de hoc veniat in cognitionem, etiam si resignatarius non habeat hanc intentionem *Bon. loc. cit. d. disp. 1. q. 8. §. 1. num. 4.*

29 Secundus modus, in quo committitur simonia confidentialis in beneficijs, accidit, quando aliquis alicui confert beneficium, confidens, quòd beneficiarius beneficium resignabit iuxta voluntatem conferentis, aut fructus, aut partem illorum, vel dabit sibi, vel alteri pensionem.

30 Tertius modus est, quando quis aliquam personam elegit ad beneficium cum hac spe, & fiducia, iam in secundo modo explicita.

31 Quartus modus est, quando dominus licet laicus aliquam personam præsentat cum dicta confidentia. Isti tres vltimi modi continentur in istis verbis bullæ Pij V. Itidem sit Ordinarius, vel alius collator contulerit ante hæc, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum quouis modo vacans, eà conditione tacita, vel expressa, vt postea in alterum pro arbitrio collatoris, seu alterius cuiuscumque contra iuris communis ordinationem disponatur, siue vt de eo prouisus fructus illius, vel partem ad vtilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius, relinquat, & remittat, seu pensionem illi, vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per se, vel alium scripto, aut verbo iusserit, seu significauerit, persoluat, & pariter si patrono etiam laico, vel alteri præsentatori,

vel electori contigerit, aut contingat id fieri.

32 Simonia confidentialis incurritur etiam effectu non sequuto confidentiæ, modo receptum fuerit cum tali confidentia. Ratio est, quia cessio beneficij, vel pensionis in confidentiam est actio prohibita sub censura; ideò nil aliud desideratur, vt patet ex illis verbis: Omnes, & singulos, qui beneficia, pensiones hoc intercedente vitio receperint, vel quidquid tale admiserint in futurum, *Bonac. loc. cit. num.* 8. *Nauar. cap* 23. *num.* 110.

33 Pius V. in Bulla 12. quæ incipit: *Inter cæteras*, ad toliendas fraudes, dolos, & maculas simoniæ, quæ committuntur in beneficijs procurand s, tulit poenam excommunicationis contra illos, qui se supponunt pro alijs in examine, & contra illos, qui beneficia obtinent pro se spe, & intentione resignandi oblatione solutionis, annuæ pensionis, aut alterius commodi, aut etiam sine aliquo commodo, & contra procurantes beneficia pro alijs spe consequendi pensionem ab illis, aut aliud commodum temporale, quamuis paruum, & hoc habet etiam locum, etiamsi hæc spes alijs non manifestaretur, licet enim spes sit actus internus, nihilominùs ligat actum externum, qui subijcitur excommunicationi, sed in hāc poenam non incurrit impetrans beneficiũ animo illud permutandi cum alio, aut illud possidendi, donec pinguius obtinuerit. Ratio est, quia materia pęnalis non est extendenda. *Bonac. punct.* 28. *n* 4. *Filliucc. tr.* 25. *q.* 4. *num.* 10. *vers.* 5. & constat etiam ex Bulla dicti Pij V. vbi sunt hæc verba. Vel pro se ipsis principaliter animo, & intentione, & postmodum in fauorem aliorum, etiam quantumuis benè meritorum, & idoneorum cum simili pensione, aut commodo, aut etiam sine eo resignandi obtinere procurauerint.

34 In

34 In hanc censuram incurrunt tantùm illæ personæ, quæ obtinent beneficia in Curia Romana apud Datarium Papæ. Ratio est, quia Summus Pontifex occurrere intendit suis incommodis, & fraudibus, quæ in consequutione beneficiorum apud curiam committi solent. *Bonacina loc. cit. num. 9.*

De Pęna Simoniacorum.

35 PAulus II. in Constitutione incipiente: *Cum detestabile*, de Simonia, pœnam suspensionis imposuit ordinatis per simoniam ab exequutione ordinum; alijs verò simoniam committentibus, aut ad illam cooperantibus in collatione beneficiorum imposuit pœnam excommunicationis, & talis prouisio facta per simoniam realem est nullius momenti, & consequenter prouisi non faciunt fructus suos, immò tenentur omittere beneficia tanquam rem alienam, & non lucrantur fructus malè acceptos, vt determinatur in dicta constitutione, & resignationes etiam huiusmodi factæ nullius sunt roboris, & valoris, nec absolui possunt, nisi à Summo Pontifice, præterquam in articulo mortis. Adest de hac materia alia constitutio Martini V. in Concilio Lateranensi confirmans citatam Bullam Pauli II. *Syluester, verbo simonia, nu. 19. alij tertio est Bonac. de simon q 572. nu. 2.*

36 Iure antiquo requirebatur, vt delictum simoniæ realis fuisset consummatum, ad incurrendam hanc excommunicationem. Ratio est, quia quando delictum sit prohibitum sub pœna censuræ; non incurritur in censuram, si delictum non sit consummatum; Iure tamen nouissimo ad incurrendam hanc pœnam excommunicationis non requiritur, vt delictum sit con-

sum-

summatum, sed sufficit tantùm promissio simoniacè facta, prout declarauit Alexander VII. in Bulla supra citata incipiente: *Inter grauissimas*.

37 In consequutione, aut collatione pensionis simoniacus non subijcitur censuræ. Ratio est, quia pensio non est beneficium, & in pœnalibus non est facienda extensio. *Bonac. loc. cit num 5. Nauarr. cap. 23. nu. 111. Regin. lib. 23. c. 12. nu. 175. Filliucc. de simonia cap. 13. nu 8. & de pensionibus tract. 42 & qu. 4. n 6. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 28. n. 230.* & communiter apud citatos Doctores. Hæc propositio non militat in simonia confidentiali, quia Pij IV. constitutio complectitur beneficia, & pensiones, vt patet ex illis verbis: Omnes, & singulos, qui beneficia, aut pensiones hoc intercedente vitio receperant,

38 Committens simoniam in beneficijs fit inhabilis ad illam idem obtinenda, nisi habilitetur per summum Pontificem, hoc clarè patet, *ex cap. si alicuius de electione*, fit etiam inhabilis ad alia beneficia obtinenda in futurum, vt clarè patet ex Bulla Pij V. vbi sunt hæc verba; Illis sit ipso iure priuatus, & perpetuò sit inhabilis ad ea, & quæcumque alia beneficia obtinenda, neque Iudicis sententia requiritur declaratiua ad incurrendam hanc poenam, sed ipso iure incurritur, vt refert *Bon. disp. 1. q. 7. punct. 2. nu. 1. & 2.*

39 Papa dispensare potest in simoniæ vitio scienter contracto, in alijs casibus Episcopus dispensare potest; dum resignatur, quod acquiritur vitio simoniæ, & tunc consequitur dispensatio. *S. Th. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 7.*

De acquirendo rerum Dominio.

1 DOminium est ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lege, vel conuentione prohibeatur.

2 Dominium fuit introductum de iure gentiũ, de iure naturali non dabatur meum, & tuum; vtile verò dominium, vel quasi de iure ciuili.

3 Dominium est multiplex, directum, vtile, plenum, & quasi dominium. Directum dicitur illud, quod est sine fructu, cum spe tamen consolidationis, huiusmodi est, quod dominus feudi, vel emphyteusis habet. Vtile, quod habet vassallus in feudo, vel emphyteuticarius in re concessa in emphyteusim. Plenum dominium ille habere dicitur, qui habet vtrumque, idest directum, & plenum dominium. Quasi dominium is habere dicitur, qui bona fide possidet rem alienam, habitam, à non domino, non facta adhuc vsucapione, nam mediante vsucapione efficit possidentem verum dominum; ius habere dicitur in re, cui seruitus debetur, vt creditor in pignore.

4 Dominium differt ab vsufructu, & vsu, nam vsusfructus, est ius vtendi, fruendi rebus alienis salua rerum substantia; vsus est ius vtendi tantùm, non autem fruendi.

5 Dominium duobus modis acquiritur dispositione iuris gentium, & dispositione iuris ciuilis. Dispositione iuris gentium per occupationem, vt in his, quæ non sunt in bonis alicuius, quæ occupanti conceduntur, vt animalia feræ, aues, pisces, & gemmæ, quæ in mari sunt, vel in littore maris reperiuntur. Dispositione iuris ciuilis multis modis, vsucapione, præscriptione, adoptione, arrogatione, cessione bonorum, aditione hæreditatis, & huiusmodi, de quibus habetur *in l. 1. ff. de acquirendo rerum dominio*.

6 Aduertendum est, quòd ad acquirendum dominium non sufficit sola visio rei, sed requiritur actualis apprehensio, vnde si quis inueniret ali-

aliquam rem, & alter eam apprehenderet, dominium erit apprehendentis. Ratio est, quia inuenire intelligitur cum effectu, idest ad rem venire, vt habetur per textum *in l. Barsatoriam, C. de fideiussoribus*, vbi non sufficit visus, sed requiritur actualis apprehensio.

7 Dominia rerum non acquiruntur pactione, sed traditione, nec solus titulus sufficit: hæc propositio fallit in Ecclesijs, & locis pijs, nam in dictis locis ex solo titulo sine traditione dominium transfertur, vt in *cap. si sibi absenti, de præbendis in 6.*

8 Venatio ferarum bestiarum omnibus est permissa, exceptis Clericis, ne à Diuinis desistant, & quia tumultuosa venatio sine peccato vix fieri potest: *can. & casu* 86. *dist.* ideoque absque rationabili causa prohiberi non potest, & non tantùm quis in proprio, sed etiam in alieno fundo venari potest, nisi à domino loci ingredi prohibeatur, quod facere potest, etsi fuerint capta post prohibitionem animalia; efficiuntur capientis, si loci redditus non consistit in venatione, si verò consistit in venatione, capientis non efficiuntur. *Oineth. in §. singulorum nu. 6.*

9 Animalia mansueta, prout sunt gallinæ, Anseres domesticis, & columbæ non conceduntur occupantibus, sed quemcumque in locum peruenerint, longiusque auolauerint, noluerintue redire, nunquam desinunt esse nostræ, & qui animo lucrandi eas detinet, furtum committit *institut. §. gallinarum.*

10 Columbaria est licita; ideò columbarum dominus non tenetur pro illarum potu, seu cibo. *Nauarr. cap.* 17. *num.* 126.

11 Fratres minores secundùm nonnullos habent verum dominium, vt in extrauaganti Ioannis XXII. dicentis habere aliquod dominium

in communi, quia in rebus, quæ vsu consumuntur non distinguitur vsus à dominio. *Syluester verbo dominium* 53. Alia est sententia Nicolai III. Clementis V. qui dicunt, eos tantùm habere vsum, sequitur *Sotus de iustitia, & iur. lib. 4. q. 1. Nauar. causa 2. de reg. n. 3. & alij communiter.*

De Præscriptione.

1 PRæscriptio est acquisitio dominij per continuationem possessionis tempore à legè definito; communiter Doctores *ex lib. 3. ff. de vsucap.*

2 Quinque conditiones requiruntur ad validam præscriptionem, bona fides, titulus iustus, continuata possessio, tempus à lege definitum, & quòd res non sit vitiosa vsucapi.

3 Res mobiles priuatorum præscribuntur spatio decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes, res mobiles corporales si priuatorum sint præscribuntur spatio triennij. Contra Ecclesiam præscribitur eodem tempore, nam in rebus mobilibus, nec Ecclesia, nec Romana habet priuilegium, *can. vltimo, & penult. 16. q. 3. Lessius dub. 7. Molina disp. 68. Filliuc. tract. 31. num. 196.*

4 Immobile contra Ecclesiam inferiorem Romanam præscribuntur spatio 40. annorum, contra Romanam 100. annis, contra monasteria, & Fratres Ordinis Sancti Benedicti, eosque qui ipsorum priuilegio gaudent 60 annis, ita *habetur in auth. quas actiones. C. de sacro ecclesiis, & c. illud, &c. ad audientiam, de præscript.*

5 Qui pacificè absque simoniæ ingressu beneficium per triennium possedit, præscribit contra actionem cuiusuis competitoris: regula cancellariæ 33. non solùm fructus, sed etiam proprie-

prietatem. *Nauar. consil.* 40. *&* 41. *de præbendis*, *Lessius dubio* 10. *Filliucc. loc. cit. num.* 198.

6 Fuitque inuenta vsucapio, siue præscriptio iure ciuili ob bonum publicum, & propter publicam vtilitatem, ne dominia rerum essent diu, & ferè semper incerta, & vt diligentes præmiarentur, & negligentes punirentur.

7 Præscriptio, prout significat præfigere, & terminare, aut horarum est, aut dierum, aut annorum. Præscriptione vnius horæ præscribitur ius obligationis, nam si quis est in obligatione per horam alteri, & maximè hypotheca præfertur, iuxta regulam, qui prior est in tempore, prior erit in exequutione. Præscriptione vnius diei præscribitur iurisdictio iudicis, ne elapso die aliquid sententiæ addere possit. Præscriptione trium dierum vsucapiuntur fructus cadentes ex arbore vicini in fundũ vicini; Verùm per vnius anni spatium intentare potest actionem in factum. Præscriptione nouem dierum præscribitur ius, quod habent defuncti hæredes, ne pro debitis hæreditarijs possint molestari: Præscriptione decẽ dierum præscribitur ius appellandi, Præscriptione quindecim dierum præscribitur ius expediendi testes extra prouinciam. Præscriptione viginti dierum, præscribitur ius dicendi suspectum iudicem delegatum. Præscriptione quinquaginta dierum præscribitur ius, quod habet, qui factus est tutor ad se excusandum, præscriptione trium mensium præscribitur facultas hæredis, ne possit adire hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarij. Præscriptione centum dierum, pręscribitur ius agnoscendi ab intestato bonorum possessionem; Præscriptione sex mensium pręscribitur actio redhibitoria. Præscriptione vnius anni præscribitur actio iniuriarum. Præscriptione quatuor annorum

rum præscribuntur res fiscales. Præscriptione quinque annorum præscribitur querela inofficiosi testamenti, & criminis adulterij, & etiam peculatus; vt habetur in titulo ad legem Iuliam de adulterijs.

8 Dolus, siue mala fides actoris nocet in vsucapione successori vniuersali, siue ipse voluerit præscriptionem inchoare, siue vti voluerit tempore defuncti, quia successor vniuersalis repræsentat personam defuncti, & reputatur vna, & eadem persona, singulari successori nocet hac tempestate in præscriptione breuissima, & longi temporis præscriptione, secus autem in longissimi temporis præscriptione triginta, vel quadraginta annorum, nisi velit vti singularis successor adminiculo possessionis sui actoris. *Oinoth. de vsucap. num.* 68.

9 Contra leges ciuiles præscribitur consuetudo decem annorum; aduersus autem legem canonicam requiruntur quadraginta, si consuetudo sit aliquo modo contra ius ecclesiasticum: communiter Doctores, præsertim *Filliuc. n* 291.

10 In foro conscientiæ non tenetur quis restituere rem præscriptam, si completa præscriptione incipit habere malam fidem, cognoscendo eam fuisse alienam. Ratio est, quia lex potest aliquem pro peccato, & negligentia punire in re sua, & alteri dare, & concedere, vt benè ait S. *Thom. quodlib.* 12. *art.* 23. *Syluester, verbo, præscriptio* 1. *num.* 13. *& communiter.*

11 Res, quæ præscribi non possunt sunt res sacræ, sanctæ, religiosæ, homines liberi, & serui fugitiui, quia à notis possideri non possunt, & res vitiosæ, dicitur res vitiosa, si sit furtiuè, aut vi possessa, & licet res vitiosæ præscribi non possint etiam ab emente bona fide; tamen si possideantur spatio triginta annorum, per empto-

rem bonæ fidei præscribuntur. *Syluester, verbo, præscriptio 2. num. 12. &c.*

De Contractibus in communi.

1 Contractus est vltro citroque obligatio; id est hinc inde, vel ex altera parte ex contrahentium voluntate surgens. *l. 1. ff. de verb. obligat.*

2 Duo sunt genera contractum, nominati, & innominati. Nominati dicuntur illi, qui speciale nomen contractus habent, vt sunt emptio, & venditio, locatio, conductio, commodatum, depositum, & emphyteusis.

3 Datur differentia inter hos contractus; nam in aliquibus transfertur dominium rei, in aliquibus tantùm vsus fructus, in aliquibus tantùm vsus, & in aliquibus tantùm custodia. In emptione, & venditione totaliter transfertur dominium. In locatione, & conductione transfertur vsufructus. In commodato vsus, & non vsufructus. In emphyteusi transfertur dominium vtile, dominium tamen directum remanet apud dominum, concedentem rem propriam in emphyteusim pacto meliorationis, & recipiendi determinatam recognitionem. In pignore, & deposito transfertur tantùm custodia.

4 Innominati dicuntur illi, qui speciale nomen contractus non habent, sed tantùm nomen genericum habent, & sunt quatuor, do, vt des: do, vt facias: facio, vt facias: facio, vt des. Ideò si trado tibi panem, vt des mihi vinum, dicitur contractus innominatus. *l. naturalis, §. sed si facio, ff. de præscript. verb.*

5 Contractus alij sunt bonæ fidei, vt emptio. venditio, locatio, conductio, mandatum, societas, depositum, pignus, commodatum, & per muta-

mutatio, & dicuntur bonæ fidei, quia si solus dat causam contractui non tenet, & vsuræ veniunt ex mora. Alij stricti iuris, vt stipulatio, mutuum,& similia,& in istis contractibus vsuræ non veniunt ex mora, prout in contractibus bonæ fidei: *glossa in §.actionum, instit. de actionibus.*

6 Error circa substantiam contractus vitiat. Ratio est, quia de substantia contractus est consensus, sed quando erratur circa substantiam, deficit consensus, ergo huiusmodi contractus celebratus est nullius roboris,& momenti: nam nihil fit magis contrarium consensui, quàm error. *l. si per errorem, ff. de iurisdict. omnium iudicum*, & tunc dicitur error circa substantiam, quando emptor emere credit vas aureum, & loco illius traditur vas argenteum, tunc enim contractus est nullus, quia emptor non consentit in emptionem argentei vasis, sed aurei. Hæc propositio locum habet non solùm in contractu oneroso, sed etiam in gratuitu, idest in donatione, aut etiam in voto: ita communiter Doctores.

7 Error circa qualitatem contractum non vitiat, dummodo tamen non adsit dolus dans causam contractui. Ratio est, quia adest sufficiens consensus ad contrahendum: vt patet ex supradictis de matrimonio. Valet etiam contractus celebratus cum errore nominis præcisè, vt si quis contrahat matrimonium cum Catharina, quam credit Bertam appellari, *l. in venditione, § 2. de contrah. emp.* Bonac. *de contract. §. 1. numer. 7. Azor. 3. p. lib. 8. c. 25. Sanchez, & alij.*

8 Quilibet contractus celebratus per dolum, excepto voto, & matrimonio, dantem causam contractui, est ipso iure nullus in foro conscientiæ, si dolus proueniat ex altero contrahentes, dixi in foro conscientiæ, quia in foro externo aliqui contractus, nempè stricti iuris, tenent, sed rescin-

rescindi possunt, *leg. si cum postea, C. de pactis, l. de dolo, C. de inutilibus stipulat*, si verò dolus non dedit causam contractui, sed incidit in contractu, tam in foro fori, quam in foro conscientiæ tenet, sed in contractibus bonæ fidei agitur ex eo contractu, vt suppleatur pretium. Ratio est, quia adest sufficiens consensus ad contrahendum. *Syluester, verbo culpa, n.9. l. eleganter, ff. de dolo*, Bon §. 2. n. 6. *Reginald. lib.* 12 *n.* 122. & 144.

9 Aduertendum tamen est, quòd si alter contrahentium non sit doli particeps, sed dolus ex tertia persona proueniat, vel à propria opinione, qua contrahens seipsum decipit, contractus est validus, etiam si dolus causam contractui dederit. Agere tamen potest in hoc casu contra tertium. Ratio est, quare contractus sit validus, quia non adest error circa substantiam, sed circa accidentia. *Syluest. loc. cit. Bonac. loc. citato, num* 3. *Filliucc. num.* 124. *Reginald. lib.* 25. *num.* 122.

18 Omnia acquisita per simulationem, aut per dolum, aut per mendacia restitui debent, si dolus versatur circa causam finalem, & motiuam, vt v. g. si quis finxit se esse pauperem, & prætextu paupertatis eleemosynam obtinuit. Ratio est, quia quælibet promissio, seu donatio cum dolo facta, vel errore circa causam finalem est inualida, ergo etiam acquisita per simulationem, quæ versatur circa causam finalem sunt restituenda, & dicitur causa finalis donationis, qua quis ita mouetur ad donandum, vt ea causa cessante, non donasset. *Bonac. dicto* §. 2. *num.* 8. *Filliuc. tract.* 33. *cap.* 10. *quæst.* 9. *num.* 178. *Lessius lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 10. & alij communiter teste *Nauarr. cap.* 17 *num.* 107.

11 Contractus celebrati per metum leuem, vel grauem non sunt ipso iure irriti, & inualidi, neque iure naturali, neque iure positiuo; Non iu-

re

re naturali, quia non deficit consensus necessarius, nam quæ fiunt per metum absolutè; sunt voluntaria; Neque iure positiuo, vt patet *ex l. vltim. C. de his, quæ vi: vbi habetur*; Venditiones, & donationes, quæ per potentiam extortæ sunt infirmari; cùm ergo ius præcipiat contractus infirmari, signum est antea fuisse validos. Excipiuntur tamen aliqui contractus, vt contractus matrimonij, & sponsaliorum, promissio dotis, votum, contractus in rebus Ecclesiæ, donatio; remissio debiti, legatum, & testamentum; Omnes isti actus, siue contractum celebrati per metum grauem saltem in foro conscientiæ sunt ipso iure nulli. *Bonac. §. 3. num. 3. Filliucc. tract. 33 qu. 8 num. 32. Lessius c. 17. numer. 36 Reginald. lib. 25. num. 32. Caietanus 2.2 qu. 30. art. 7.*

12 Aduertendum tamen est, quòd quando contractus est celebratus per metum leuem, aut grauem iustè incussum ab homine ad extorquendum cõsensum, irritari non potest, vt si quis contraxit sponsalia metu excommunicationis, compelitur matrimonium contrahere. Ratio est, quia huiusmodi contractus est validus, cum non interuenerit iniuria, ob quam rescindi debeat. *Bonac. loc cit. num. 6 Syluest. verbo, metus nu. 6. & commun. apud Sanch. lib. 4. de matrim. disp. 9.*

13 Hinc sequitur etiam matrimonium contractum ob timorem grauem, & licite incussum, ad extorquendum consensum, esse validum: vt patet ex *Bonac. dicto §. 3. num 8. de matrim. punct. 8 quæst. 3. num. 10.*

14 Contractus celebrati sine solemnitate substantiali à lege requisita. sunt inualidi non solùm in foro fori, sed etiam in foro conscientiæ. Ratio est, quia forma dat esse rei, vt est communis axioma Philosophorum. & sicuti sine forma nulla res in rerum natura subsistere potest, ita

etiam

etiam nullus contractus esse potest validus sine forma à legere quisita. *Bonac.punct.3.n.2.Lessius lib.2.cap.19.dub.3.nu.35.Suar.lib. 5. de legib.cap. 24. nu. 4.Azor.3.par.lib.6.c.6.Couar.cap.quamuis pactum, par.2.§.4.Salas de legib.dub.16 sect.3.*

15 Quilibet, regulariter loquendo, contrahere potest, qui administrationem bonorum habet. Hinc sequitur minores sine Curatoribus contrahere non posse, tamen si contrahant, obligantur naturaliter, & in conscientia, & dicuntur minores de iure communi à lege illi, qui non dum peruenerint ad vigesimum quintum annum, neque pupilli, qui non peruenerint ad decimumquartum annum contrahere possunt sine tutoris auctoritate; & licet pupilli, & minores contrahere nonpossint in eorum præiudicium sine tutoris, & curatoris licentia, possunt tamen in eorum commodum obligare alios, dummodo tamen minor cum maiore contrahat, sed non cum minore, simili priuilegio gaudente. *Bonac. disputat.3 qu.1.punct.5.Sanchaz de matrim.lib.6. disp.38.num.*5.& alij communiter.

16 In contractibus nominatis non est locus pœnitentiæ, innominatis est locus, non secuto adimplemento ex altera parte contrahentium, sed hoc credo habere locum in foro externo, vt probatus *ex l. pecunia, ff. de conditione ob causam*, sed in foro conscientiæ non est locus pœnitentiæ; etiam in contractibus innominatis, & quilibet contractus obligat, etiem si esset pactum nudum. Ratio est, quia Deus non facit differentiam inter simplicem loquelam, & iuramentum.*cap.1 de pactis,& can. iuramenti.22.qu. 5.Filliuc.tract.33.c.5 nu.* 84. & communiter *ex Couar.cap.quamuis pactum par.2.§ 4 num.24.*

17 Clerici, licet facere possint quemlibet contractum, non possunt tamen exercere nego-

tia-

tiationem. Hæc propositio intelligenda est de existentibus in ordinibus sacris. Ratio est, quia prohibita est eis negotiatio a lege, ne desistant a diuinis; vt probatur *ex c. vltimo, de vita, & honestate Cleric. c. secundum, ne Clerici, vel Monachi*, Idem dicendum est de Religiosis claustralibus, immò non solùm peccant mortaliter, si hoc faciunt, vt ait S. *Th. 2. 2. qu. 77. art. 2. ad tertiam*, sed etiam excommunicati debent. *can. Episcop. 2. q 3.*

18 Aduertendum tamen est, quod licet Clerici, & Religiosi non possint per se exercere negotiationem, possunt tamen per tertiam personam Ratio præcipua est, quia Clericis, & Religiosis solùm videtur prohibitam esse negotiationem personalem, vt colligitur *ex Clement. 1. de vita, & honestate Clericorum*, vbi adest hæc particula (Personaliter.) Secunda ratio est, qui Clericis est interdicta negotiatio per seipsos ob indecentiam, & distrationem ad terrena, sed distractio cessat, cùm per alios negotiatio exercetur: ergo per alios exercere possunt negotiationem. *Salas de emp. dub. 2. num.* 8. & multi alij apud *Bonac. de contr. punct. 5. num* 19.

19 Bona Religiosi post professionem pertinent ad Monasterium quoad proprietatem, & professionem. Hæc propositio non habet locum in Religiosis minoribus de obseruantia, & cœteris, qui strictiùs obseruant Regulam Sancti Francisci, vt Capuccini, & alij Reformati. Neque domus, & Collegia Societatis Iesu habent vllum ius in bona professorum, nisi ante professionem de ijs disponant in Societatis fauorem, *Lessius cap. 41. dub. 10. Filliuc. tract. 33. c. 3 nu. 58.*

De Dolo, & culpa in contractibus.

20 DOlus malus est calliditas, fallacia, ac machinatio adhibita ad circumue-

niendum, fallendum, aut alterum decipiendum, & est duplex; Alter verbis fit, & appellatur fallacia; Alter cum effectu tantùm, & dicitur fraus, *S.Th.2.2.qu.118.art.8.*

21 Culpa sumitur apud Theologos pro peccato mortali, seu veniali, & dicitur deuiatio voluntaria à recta ratione, & lege Dei. Apud Iuristas sumitur pro omissione diligentiæ, quam quis adhibere tenetur.

22 Triplex est culpa; lata, leuis, & leuissima Culpa lata est omissio illius diligentiæ, quam communiter adhibere solent homines, eiusdem conditionis, vel maior pars eorum, vt si quis librum comodatum relinquat in loco publico, vndè surripiatur, tunc diceretur perijsse culpa lata commodatarij. Culpa leuis est omissio illius diligentiæ, quam homines diligentes suæ conditionis adhibere solent, vt si quis rem commodatam relinquit in cubiculo, vel arca non obserata, tunc diceretur perijsse culpa lata illius. Culpa leuissima est omissio illius diligentiæ, quam homines diligentissimi suæ conditionis adhibere solent, vt si rem commodatam reliquit in cubiculo clare quidem obserato, sed non tentauit, an esset benè clausum, tunc diceretur talis esse in leuissima culpa.

23 Quidam contractus fiunt in fauorem dantis, vt depositum. Quidam in fauorem recipientis tantùm, vt commodatum, & quidam in fauorem vtriusque, tam dantis, quam accipientis, vt pignus, venditio, & locatio.

24 In contractibus factis in fauorem dantis solum, non venit nisi dolus, & culpa lata. In contractibus factis in fauorem vtriusque venit etiam leuis culpa. In contractibus factis in fauorem recipientis tantùm, venit etiam leuissima, *l. sicut certo, §. nunc videndum, ff. commodati.*

25 Ca-

25 Casus fortuitus est inopinatus euentus rei, quem humana prouidentia prouidere non potest: neque impedire, vt mors serui absque vlla culpa, tempestas maris, ruina, domus, naufragium, vis fluminis, & similia.

26 Nullus tenetur regulariter ad damnum, quod interuenit casu fortuito, nisi in tribus casibus. Prima est, quando culpa precessit casum, vt qui equum commodatum vsque Florentiam: duxit Bononiam, & in itinere Bononiam versus, raptus est a latronibus, tunc enim culpa præcessit, Secundus est, quando præcessit mora, & per hanc perijt apud commodatarium, dummodo tamen non esset etiam res peritura apud dominium; licet in foro externo etiam teneretur, si esset peritura apud dominium de casu fortuito. Tertius est, quando interuenerit pactum, quo quis se obligat ad casum fortuitum, *cap. vnico, de commodato, & cap. vltimo, de deposito. Bonac. punct. 6. num. 21.*

27 Aduertendum tamen est, quod ad hoc, vt si quis in mora culpabili adimplendi contractum, oportet vt sciat, vel scire debeat se teneri ad illum implendum, & quòd sit interpellatus in die, vel ab homine, idest monitus; & vt habeat facultatem adimplendi, *leg quod te, ff. de rebus creditis, Syluester, verbo, mora, Filliuc. tract. 33. cap. 9 n. 146.*

28 Morosus in conscientia tenetur ad omne interesse, & damnum, quod quis passus est ex ea mora, quia est in culpa; Tenetur etiam ad pœnas conuentionis post partis petitionem, & ad pœnam legis post sententiam Iudicis. *Filliuc. tract. 33. cap 9. num. 151.*

29 Contractus non habet vim, non adimpleta conditione: talis enim est voluntas disponentis, à qua omnis contractus vim habet; ta-

men iure positiuo conditio impossibilis de facto, aut de iure non vitiet dispositionem, & habetur pro non adiecta in vltimis voluntatibus; & hoc factum est fauore vltimæ voluntatis ad tollendas lites; In alijs autem contractibus vitiat contractum, idest facit nullum, *l. si impossibilis, ff. de verb. obligat.* *Filliuc. loc. cit. c.* 10. *n.* 163.

De contractu emptionis, & venditionis.

1 EMptio est contractus, qui consensu perficitur pretij pro merce: venditio verò est contractus, qui eodem modo perficitur consensu mercis pro pretio, *l. 1. ff. de contr. empt.*

2 Omnes res, quæ æstimari possunt, vendi possunt, nisi adsit specialis prohibitio. Hinc sequitur spiritualia vendi non posse, quia non sunt pretio æstimabilia, immò in huiusmodi rerum venditione sacrilegium, & simonia committitur, vt probatur *ex leg. sancimus, la prima, C. de sacrosanct. Eccles.*

3 Vendi potest res aliena inter ignorantes, & potest emptor illam vsucapere, addito legitimo tempore, si verò venditur res furtiua vsucapi non potest neque ab emente bona fide. Ratio est, quia res furtiuæ vsucapi non possunt; etiamsi per mille manus transirent. Hæc propositio intelligenda est in spatio ordinario; secus in extraordinario; Vndè in spatio trigintum annorum res furtiuæ ab emente bona fide vsucapi possunt. Ita communitèr Doctores, præsertim *Abb. in c. nihil extra, de præscrip.*

4 Prohibetur procuratio, assecutio, obtentio aliquarum dignitatum, & officiorum habentium iurisdictionem mediante pecunia, vel solutione, vel promissione aliarum rerum facta curiali, aut familiari pro intercessione, aut fauore,

etiam per interpositam personam sub pœna confiscationis omnium bonorum etiam degradationis, & amissionis; tam priuilegij doctoratus, quàm quorumcumque officiorum, tam sæcularium, quàm Ecclesiasticorum obtentorum, ac denique sub pœna vltimi supplicij, vt colligitur ex Bulla Pij V. 137. & ex constitut. Gregorij XIII. de datis, & promissis, & Clementis VIII. de regula communitatum.

5 Pretium duplex est, vnum legitimum, idest definitum à lege, aut à Principe, aut ab alio superiore, vt à Senatu, & excedens notabiliter pretium à lege definitum, non solùm peccat mortaliter, sed etiam tenetur ad restitutionem.

6 Alterum dicitur naturale, quod constituitur solùm hominum æstimatione iuxta dictamen iuris naturalis, & hoc triplex est, supremum, seu rigorosum; medium, seu moderatum; Infimum, seu pium; Latitudo huius pretij naturalis varia est, aliquando maior, aliquando minor.

7 Iustum pretium rei desumendum est ex hominum æstimatione in vnaquaque regione, ita vt tanti res vendi possit, & debeat, quanti communiter æstimatur in foro publico, seclusa fraude monopolij, *l. pretia rerum, ff. ad legem Falcidiam*, considerata tamen bonitate intrinseca rei, vtilitate venditoris, loco, tempore, abundantia, penuria, similium rerum, aut personarum, quæ emunt, & vendunt, & præsertim modus vendendi eas determinatus à gubernatore illius loci, quia hoc est eius officium, vt probatur ex *l. 1. §. cura ff. de officio præsidis. Filliuc. tract. 35. c. 3. num* 58.

8 Non est peccatum expectare tempus, locum, & occasionem, in quibus res minus venditur. Ratio est, quia necessitas venditoris non facit,

cit, quòd sit iniusta venditio, vt ait *Caietanus 2. 2. qu 77. art. 1.* & in summa in verbo emere. *Nauar. cap. 23. num. 80.*

9 Res tanti valet, quanti vendi potest. Hæc propositio intelligenda est, seruato modo communi, loco, & tempore vendendi. *Nauar. lo. cit. & dicta l. pretia rerum, Alex. ibidem.*

10 Hinc sequitur, vendentes aliquid supra pretium rigorosum, aut ementes infra infimum teneri ad restitutionem illius, quod acceperunt, non seruata latitudine iusti pretij. *Nauar. lib. 5. c. 2. num. 13 Bonac. disp. 3. qu. 2. punct. 4. num. 4. Reginald. lib. 25 num. 188.*

11 Sunt multæ causæ, ob quas licitum est vendi res plusquam alioquin venderetur. Prima est multitudo emptorum, & copia pecuniæ. Secunda est affectus ad rem, quæ venditur, vt si venditor priuatur illa re maximè, aut commodo, aut oblectatione. Ratio est, quia priuatio illius affectus, & oblectationis est pretio æstimabilis. Tertia est lucrum cessans venditori, vendenti rem in fauorem emptoris, quam erat conseruaturus vsque ad illud tempus, in quo plus valuisset, vt si quis tempore autumni vendidisset frumentum in fauorem emptoris, quod creditor seruare volebat vsque ad tempus, in quo solitum est plus valere. Quarta est damnum emergens, quod patitur venditor, vendendo rem, tunc enim non solùm venditur res nuda, sed etiam commodum venditoris, quare etiam huiusmodi æstimationem exigere potest. Quinta est periculum amittendi totum pretium, vel partem pretij. Ratio est, quia periculum, cui se exponit venditor, est pretio æstimabile. *Bonac. loc. cit. num. 16. & 17. Filliuc. tract. 55. cap. 3. nu. 66. cum sequent. Nauarr. lib. 3. cap. 2. num. 68. Lessius dubio 6. num. 54.*

12 Dantur etiam aliæ causæ, ex quibus possit emi res minus, quàm valeat, sicut dantur causæ, ob quas res plus vendi potest, quàm alioquin venderetur. Prima est abundantia mercium, & inopia emptorum. Secunda ob paupertatem pecuniæ. Tertia ob modum vendendi, vt quando merces venderetur in magna quantitate, nam tunc venderetur viliori pretio, quàm si venderetur paulatim. *Filliuccius loco citato c. 3. num. 58. Bonac. loc. cit. nu 21. Reginal. nu. 282. Nauar. c. 23. num. 42. & alij communiter.*

13 Peccat mortaliter emens rem pretiosam vili pretio, sciens venditorem ignorare quanti valeat, & etiam peccat, qui venderet rem parui valoris pro re magni pretij cum obligatione restituendi damnum secundùm opinionem S. *Th.* communiter receptam *2. 2. quæst. 77. art 2. Caietanus in sua summa, in verbo alchimia. Nauarr. cap. 25. num. 89.*

14 Hinc sequitur, ementem gemmam vili pretio à rustico ignaro valoris gemmæ, protestantem se nolle dare plus, etiam si gemma valeat mille aureos, si sciebat valorem illius, non posse eam retinere in conscientia. Ratio, est quia sicut res vendi non potest pluris quàm valeat, ita neque minoris emi potest inuito venditore; nam rusticus non donat voluntariè, cum ignoret valorem illius gemmæ; sed si neuter eorum cognoscebat valorem, & emptor emat cum dicta protestatione, tunc potest eam retinere in conscientia, quia vterque init sortis contractum, seseque exponit periculo lucri, & damni. *Bonac. disp. 3. q. 35. punct. 4. num. 6. Filliuc. tract. 35. num. 135.*

15 Idem dicendum est de venditore, cognoscente defectum rei, non manifestando cum emptori, ignoranti talem defectum, & de tali defe-

ctu non fuit admonitus, nec satisfacit dicendo nolle teneri eam liberè defendere à tali defectu. Ratio est, quia ipse facere tenetur mentionem particularem talis defectus, sed ignorans, defectum tacendo non peccant, tamen quando aduertat de tali defectu non potest tantum accipere, quantum accepisset, si res vitio caruisset, sed tenetur vel rescindere contractum, vel resarcire damnum; si verò venditor ignorat vitium, & dicat se nolli teneri, ad nihil tenetur venditor, neque in foro conscientiæ, neque in foro exteriori, *l. ex quæsito, ff de actionibus empti. Reginal. num.* 337. *Filliuc. loc. cit. c.* 6. *num.* 119.

16 Aduertendum tamen est, quòd quando vitium est manifestum, non tenetur venditor illud manifestare, vt si equus est claudus, vel cæcus, nec pariter occultum, quod non affert damnum notabile emptori, dummodo tamen diminuat in pretio, & pretium sit æquale rei. *S. Tho.* 2.2. *q.* 77. *art.* 3. *Reginal. num.* 336. *Bonac. punct.* 6. *num.* 13. *Filliuc. tract.* 35. *c.* 6. *q.* 2. *n.* 120.

17 Emens circa dimidium, licet, in foro exteriori excusetur: in foro tamen conscientiæ non excusatur. Ratio est, quia pretium reduci debet ad æqualitatem iustitiæ, vt supra diximus: ita communiter.

18 Peccat mortaliter, qui tempore messis emit frumentum, aut vinum inordinatè causa reuendendi carius, quod caritatem causat, vt probatur *ex can. quicumque* 14. *q.* 4.

19 Si aliqua res pluribus vendatur, ille est præferendus, cui primò tradita est, & idem est in donatione. *l. quoties, C. de rei vendicat.* venditor tamen tenetur crimine falsi, sed si permutauit eam, aut alteri in solutum dedit, vel aliter distraxit, postquam eam obligauit, tenetur crimine stellionatus, *l.* 2. *ff. de crimine stellionat.*

20 Res

20 Res litigiosæ vendi non possunt. Ratio est, quia ob bonum publicum determinatum est, ne litigia vendi possint; ideò qui emit scuta centum pro quinquaginta, non potest plus accipere ab ipsis debitoribus quàm quinquaginta. *l. ab Anastasio, C. mandat.*

21 Si Iudæus, vel paganus Christianum emit, liberatur Christianus nullo dato pretio, vt probatur *ex can. generalis., § fin. in glossa dist.* 54

22 Non est licitum mercatoribus facere monopolium, & dicitur monopolium, quando inter eos conueniunt, vt vendant merces tanto pretio ab ipsis constituto, aut, quando emptores conueniunt, vt non emant nisi tanto pretio, quod præfixerunt. Non peccant tamen contra iustitiam, si inter eos conuenit, vt non excedant pretium rigorosum, peccant tamen contra charitatem, quia emptores ob culpam eorum emunt pretio rigoroso, alioquin erant empturi pretio moderato, aut infimo, & propter hoc commodum sentiunt *Bonac. punct.* 5 *num.* 2. *Lessius lib.* 2. *cap.* 21. *dubio* 20. *Reginald. lib.* 25. *nu.* 328. *Filliucc. tract.* 35. *c.* 8 *num.* 212. *& alij communiter.*

23 Impedientes per vim, aut fraudem, ne merces aliundè asportentur, vt ipsi vendant eorum merces, non solùm peccant contra iustitiam, sed etiam tenentur ad restitutionem. Ratio est, quia sunt causa damni non solùm mercatoribus, quos iniustè impediunt, sed etiam Reipublicæ, quia sunt causa augumenti pretij, si verò absque fraude, & vi, sed ex eorum industria impediunt, tunc non est obligatio restituendi. Ratio est, quia non faciunt eis iniuriam, peccant tamen contra charitatem, *Bonac. loc. cit. num.* 8. *Lessius lib.* 2. *cap.* 21. *nu.* 133. *Filliucc. loc. citato quæst.* 12. *numer.* 215, *Reginald. num.* 331. *Syluester verbo emptio quæsito* 13.

24 Fructus pendentes tempore venditionis siue sint maturi, siue non, ad emptorem pertinent; nisi fuerit aliter conuentum inter contrahentes. Ratio est, quia fructus pendentes sunt pars rei emptæ, & dicuntur pars fundi, *l. Iulianus, §. si fructibus, ff. de actionibus empti. Reg. l. 25. n. 291. Filliuc. tr. 35. c. 8. q. 2. n. 173.*

25 Quando contractus venditionis, factus conditionaliter, dissoluitur, fructus medij temporis pertinent ad venditorem, vt probatur ex *leg. eum qui. ff. de in diem adiect. Fill. loc. c. nu. 185. Lessius lib. 2. c. 12. dubio 21. Azorius tamen in 3. p. lib. 8. cap. 13. & 14.* restringit in hoc ad fructus extantes, nam si emptor consumpserit, non cogitur eos restituere, quia tunc erat dominus, & recipit fructus tamquam suos, & bona fide eos consumpsit. Ego autem dico cum *Bon. pun. 7. n. 3.* quòd tenetur in illo, in quo factus est locupletior.

26 Quando venditio dissoluitur ob pactum retrouendendi eodem pretio, fructus medij temporis pertinent ad emptorem iuxta valorem, quem habet vsque ad illud tempus retrouenditionis. Ratio est, quia res domino fructificat, & per illud tempus erat dominus; ergo fructus ad primum emptorem pertinet, ita determinatur *in l. 2. C. de pactis inter empt. & vendit.*

27 Res vendita post traditionem emptori perit. Ratio est, quia res regulariter domino perit, sed emptor fit dominus post traditionem rei; ergo si perierit, emptori perit. Immò si res vendita sit certa, & determinata, & post contractum venditionis perit, aut deterior fit ante traditionem, regulariter perit, & deterior fit domino, modò venditio sit perfecta, & absoluta, nec adsit culpa, aut mora venditoris, in tradendo eam Domino. Hæc propositio probatur *ex lib. 1.*

C. de

.de periculo, & commodo rei empta. Syluester, verbo emptio, num.3. & alij communiter, sed si venditio sit conditionata; periculum interitus rei ante aduentum conditionis pertinent ad venditorem, *l. illud, ff. de periculo, & commodo rei empta*, sed si non pereat, sed solùm deterior fiat, damnum pertinet ad emptorem, sicut etiam ad ipsum pertinet commodum, si res melioretur, *l. necessario, ff. eodem.*

28 In contractibus onerosis, vt in emptione, & venditione est locus euictioni; in gratuitis verò non est locus, vt in donatione, nisi ad sit pactum, aut culpa contrahentis Ratio est, quia non est conueniens, vt quis patiatur damnum ob suam liberalitatem, *l. Aristo, §. fin. ff. de donat.* Bart. Imola, & alij communiter.

29 Emens ex pecunia alterius, si emit nomine proprio, erit sua res empta, tenetur tamen restituere pecuniam, modò non sit empta ex pecunia Ecclesiæ, *con.1.n.12 q.3.* aut ex pecunia pupilli, aut minoris à tutore, vel curatore, *l. si, ff. quando ex pacto tuto.* Idem dicendum est de emptis ex pecunia militis, *l. si vt proponitis, C. de rei vendic.* aut ab vxore, vel à marito de pecunia sibi ab altero eorum donata, vt habetur *ff. de donat. inter virum, & vxorem.*

30 Venditio cum pacto retrouendendi in fauorem tantùm venditoris est licita, modò interueniat iustum pretium. Ratio est, quia non solùm hoc pacto nemini fit iniuria, sed etiam in Leuitico 25. conceditur facultas redimendi possessiones venditas, est enim approbatum hoc pactum à Martino V. *extra de empt. & vendit.* à Pio V. in bulla de censibus, & ab alijs, vt benè ait *Bon. pun.3.n.3. Tuscus tom. 6. concl. 24.*

31 Venditio cum pacto retrouendendi est licita in fauorem tantùm emptoris, modò graua-

men, quod venditori apponitur compensetur augumento pretij iuxta estimationem grauaminis; ita communiter, teste *Bonac. dicto pun. 3. n. 6.*

32 Venditio] cum pacto retrouendendi in fauorem vtriusque est licita; Ad hoc autem, vt hæc propositio sit vera, requiruntur quatuor conditiones. Prima, intentio emendi, & vendendi. Secunda, iustum pretium. Tertia, vt fructus rei emptæ pertineant ad emptorem. Quarta, vt in contractu non sit aliqua læsio, & hæc læsio nascitur ex duobus capitibus. Primum, quando emptor, confecto contractu emptionis, fecit contrastum locationis, & conditionis cum venditore, & obligat eum ad maiorem pensionem fructuum, quàm petit contractus locationis. Secundum, quando emptor transmittit in venditorem aliquod onus impensarum, quod ad ispum emptorem pertinet, vt se debitor obliget soluere omnes gabellas, etiam pro parte debita ad ipsum emptorem, nisi aliundè compensentur. *Bonac. disp. 3. q. 2 punct. 3. num.* 11. 12 *cum seq. Sylnester, verbo, vsura 2. quæsito* 15. *Armilla verbo, vsura. num.* 14.

De Mutuo.

1 MVtuum propriè acceptum, prout distinguitur à commodato est contractus, quo transfertur dominium in accipientem spe recipiendi simile in specie, & bonitate.

2 Quidam sunt exempti ab obligatione mutui, ita vt non teneantur ad restitutionem mutui accepti. Primò quando mutuo aliquid datum est Ecclesiæ, aut loco pio, aut oppido. Ecclesia, locus pius, aut oppidum non tenentur ad restitutionem, nisi ille, qui mutuat probet pecuniam mutuatam fuisse conuersam in vtilitatem Ecclesiæ,

siæ, loci pij, aut oppidi, *l. Ciuitas, ff. si certum peta. tur, & l. 1. C. de solut.*

3 Simili priuilegio gaudent minores, nomine quorum tutores, vel curatores aliquid mutuo acceperunt, Minores enim soluere non tenentur, nisi, qui mutuat, probet mutuum esse conuersum in vtilitatem eorum, *leg. 3. Cod quando ex facto tutoris.*

4 Eodem priuilegio gaudent filij familias, qui bona castrensia, seu quasi, non habent, nec reputabuntur esse sui iuris. Filij enim familias non tenentur ante, vel post mortem parentum ad mutui solutionem saltem in foro externo, vt patet ex dispositione *legis primæ, & per totam, Cod. ad Macedonianum.* In foro tamen conscientiæ tenentur ad mutui solutionem. Ratio est, quia filij familias, licet liberentur ab obligatione ciuili, non liberantur tamen ab obligatione naturali, neque hoc priuilegium renunciare possunt, quia non fuit inductum in fauorem eorum, sed parentum, *l. tamen, vbi communiter Doctores, ff. ad Maced. Bon. de contract. disp. 3. qu. 3. pun. 1. nu. 6. Regin. lib. 25. nu. 155.*

De Vsura.

1 VSura est lucrum secundùm Theologos principaliter proueniens ex mutuo ratione mutui, secundùm verò Canonistas Vsura est, quidquid furti accedit, *can vnico 14. qu. 3.*

2 Duplex est Vsura, realis, & mentalis. Realis dicitur, quando interuenit pactum reddendi aliquid vltra sortem principalem. Mentalis verò dicitur quando nullum interuenit pactum, sed mutuans dat eo animo, & intentione, vt acquirat lucrum ex mutuo.

3 Reperitur etiam alia species vsuræ, vela-

ra, & palliata in alijs rebus. & contractibus; nam palliata dicitur illa, quæ secundùm suam formam, & verba contrahentium est alius contractus, quàm mutui, & secundùm formam velatam, & mentem contrahentium est verum, aut præsumptum mutuum, vt omnis contractus diuersus à mutuo, quo quis aliquid petit ob solutionem anticipatam saltem iusti pretij, infimi, & pij, aut quando quis vendat carius ob solutionem prorogatam, vt in *cap. Ciuitate, de vsuris, & cap. ad audientiam. de empt. & cap. illa, de pignoribus.*

4 Ad constituendam vsuram requiritur intentio principalis lucrandi ex mutuo, sed non minus principalis, non quia solùm ita tenent omnes Theologi, & Canonistæ, sed etiam quia aliæ auctoritates probant licitum esse seruire Ecclesiæ, aut Prælato spe secundaria; quamuis non primaria obtinendi aliquod beneficium, *can. si officij 59. dist. & can. quid proderit 61. dist.* sicut etiam sunt aliæ res, ad quas licet non sit licitum incumbere principaliter, licitum est minus principaliter, vt v.g. dicere missam, audire diuina officia principaliter propter mercedem, & distributiones non est licitum; minus principaliter est licitum iuxta glossam singularem acceptatam in *cap. 1. de Clericis non resid.* Neque est licitum seruire Deo principaliter spe remunerationis terrenæ, minus principaliter licitum est iuxta Psalmum 181. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.*

5 Non est vsura si speratur in lucrum ex beneuolentia, & gratitudine. Ratio est, quia lucrum non accipitur domino inuito, sed liberè dante, neque ad id obligatur ex iustitia, sed ex sua liberalitate, & gratitudine; *Filliucc. tract. 34. cap. 2. num.*

num.23 Bonac.*disp.3.qu.3.punct.2.num.5.Lessius lib.2.cap.20.dubio 5.*

6 Rationi damni emergentis, & lucri cessantis potest quis recipere vltra sortem sine vsura, & dicitur lucrum cessans, & damnum emergens, quando quis cessat aliquid facere, v.g. si ego habeo pecuniam ad emendum tempore messis frumentum, & eam tibi mutuaui, sed quia tu non mihi eam restituisti die determinato, frumentum fuit venditum plusculum, aut recipi aliquod damnum. Ita *glossa in l.si mora, ff soluto matrim. & l.4 ff.de eo quod certo loco. Nau c.17.nu. 122.Filliucc.loc.c.c.4.num.61.*

7 Vsura est prohibita à lege Diuina in illis verbis Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, non solùm Christianis, sed etiam Gentilibus, & Hebræis. Ratio est, quia quando Deus prohibuit Iudæos committere vsuram cum fratribus, & Iudæis: inferre voluit, quòd committere vsuram cum qualibet persona, esset peccatum mortale, nam omnes sumus fratres in Christo, & quamuis Iudæis esset permissum committere vsuram cum Gentilibus, fuit, vt remouerentur à peiore, vt non acciperent vsuram à Iudæis adoratoribus Dei veri, nam valdè erant inclinati ad auaritiæ vitium, & talis permissio non erat licita, immò peccabant mortaliter, eam committendo cum Gentilibus. Ita *S.Thom.2.2.q.79.art. 1.ad secundum.Alex.de Ales 3.p q.56.membro...... qu. art.2.*

8 Quodlibet pactum, aut obligatio mutuatario imposita, quæ est pretio æstimabilis, est vsuraria. Ratio est, quia pactum, quo imponitur onus mutuatario pretio æstimabile debitum tamquam ex iustitia, est vsurarium, cùm per ipsum exigatur aliquid vltra sortem principalem, & huiusmodi obligatio tollit libertatem, & consequen-

sequenter est pretio æstimabilis. Ex hoc sequitur committi vsuram ab eo; qui alteri tradit mutuum cum pacto, vt præstet officium à lingua, ab obsequio, vel à manu; hæc enim officia sunt pretio æstimabilia, *l. sicut, C. de act. & oblig. Bon. disp. 3 q. 2. pun. 3. n. 1. cum sequent. S. Th. 2. 2. qu. 78. art. 2. Filliucc. tr. 34. nu. 33 &* 40.

9 Mons pietatis absolutè, & secundùm se est res licita, & laudabilis. Ratio est, quia mons secundùm se non dicit aliud quâm summam pecuniæ, vel rei mutuabilis expositam ad mutuandum egentibus. Hoc autem est opus pietatis, ergo est licitus, & laudabilis, & quidquid recipitur, accipitur ad eius indemnitatem pro expensis ministrorum, vel alijs rebus ad montem spectantibus. Imnò fuit approbatus à *Leone X. in Conc. Lateran. sess.* 10 & statuit excommunicationem latæ sententiæ contra eos, qui prædicare, asserere verbo vel scripto ausi fuerint.

10 Omnis maritus, quamuis non sit gener illius, qui pignus dedit pro cautione soluendi dotem, licitè potest recipere fructus, non computandos eos in dotem promissam, nisi contrarium declaretur, *cap. salubriter, de vsuris. Panorm. in dicto cap. Nauarr. cap. 27. nu.* 213. Immò dicit etiam *Sotus lib 6. qu. 1. art. 2. de iustitia, & iure, & Nauarrus loco citato*: quòd maritus, qui recipit dotem, & eius hæredes in casu diuortij tenentur præstare alimenta mulieri viduæ, aut separata, remanente salua dote, donec ei sit soluta, & sunt etiam licita statuta Ciuitatum, quibus decernitur, vt qui promittit dotem, & maritus, & hæredes mariti donec persoluerint dotem, soluant certam pensionem singulis annis, quia tunc soluitur ratione damni emergentis, lucri cessantis, ad alia incommoda vitanda. *Azorius 4. part. lib. 7. cap. 9. dubio 4. Salas de vsuris dub.* 40. *num.* 10.

num. 10. *Bonac. punct. 9, numer.* 1.

11 Licitum est accipere aliquid vltra sortem, recipienti in se periculum sortis principalis. Ratio est, quia hoc periculum est pretio æstimabile,& hoc verum est, etiam si realiter postea nullum patiatur damnum, nam recipiens non recipit pro actuali damno sed propter periculum damni, neque debet esse inferioris conditionis, per hoc,quod ei seruit mutuando, quam tertius, nam sicut tertia persona, in se periculum recipiendo,potest recipere aliquid vltra sortem, ita etiam,& mutuans.Neque obstat *tex in cap naviganti,de vsuris*,nam ille textus loquitur, quando mutuans accipit aliquid ratione mutui, & non ratione periculi,vt benè ait *Bonac. punct.5. & 6. num.* 1. *Syluester, verbo, vsura, quæsito 35. Petr. Nauarr.lib.3.c.2.n.343.Filliuc. tr.33. nu.97.Less. & alij.*

12 Licitum est mutuanti facere pactum cum mutuatario, vt si non soluat tempore præfixo, soluat aliquam pœnam, idest aliquid vltra sortem in pœnam moræ. Ratio est, quia non solùm ad superiorem pertinet imponere pœnam, sed etiam ad personas particulares illorum consensu,*cap.suam,de pœnis, l.si pacto quo quanam C. de pactis Bon.pun.7.nu.*1.*Nauarr.c.17.n.125.Reg. Filliucc.*

13 Aduertendum tamen est, quòd ad hoc, vt sit iusta pœna in contractu mutui, tres conditiones requiruntur.Prima, vt pœna non apponatur in fraudem vsuræ, idest, vt apponatur contra voluntatem mutuatarij ad eam palliandam,& indicium palliandi vsuram cognoscitur, quando mutuans imposuit pęnam,sciens,& credens mutuatarium non fore potentem ad soluendum tempore præfixo. Secunda, vt mutuatarius verè sit in culpabili mora soluendi,secus si propter

impo-

impotentiam soluere non potest. Ratio est, quia pœna imponitur ob moram culpabilem. Tertia, vt pœna sit moderata; nam pœna corresponde-re debet delicto, *c felicis de pœnis. Bon. loc. c. nu. 2. Salonius de contractu census art. 3. controuer. 17. n. 4.* Molina, & alij apud citatos.

14 Debita iustè, & licitè emi possunt minori pretio. Ratio est, quia non solùm minus est habere actionem, quàm rem; vt probatur ex *l. minus, ff. de reg. iuris*, sed etiam, quia hoc non est mutuum, sed emptio, & non emptio pecuniæ, sed iurisdictionis eam exigendi *Caiet. verbo, vsura, in fine, Innocent. cap. in Ciuit. de vsuris. Nauarr. cap. 17. num. 230. Syluest. verbo, vsura 1. quæsito 14.*

15 Qui vendere vult merces suas, quas tenere vult vsque ad Calendas Maij, quæ verisimiliter valebunt triginta, vel quadraginta aureos, si quadraginta venderet, vsuram committeret. Ratio est, quia periculum, & dubium reduci debet ad æqualitatem iustitiæ, & sic ad pretium moderatum, *vt habetur in c. in Ciuitate, & c. fin. de vsuris.*

16 Quando Ecclesia tradit fundos in emphyteusim, vel in feudum, si postea emphyteoticarius, vel feudatarius eosdem fundos Ecclesiæ pignorat, tunc Ecclesia accipere potest fructus, non computando eos in sortem, *vt habetur in cap. 1 de feudis*, & licet aliqui dicant quod hoc fit in fauorem Ecclesiæ, tamen hoc non est verum, quia Ecclesia non recipit vsuras, sed quia hæc est natura feudorum, & conditiones, quoties redeunt ad verum dominum, redire debent cum fructibus.

17 Si quis mihi dat pecuniam, vt certo tempore traderem illi frumentum, vel vinum, & verisimiliter eo tempore potest pluris, & mino-

ris valere, non committitur vſura, ſed ſi veriſimiliter pluris valere ſolet, vt ſi de menſe Auguſti mutuat mihi quis frumentum, vt menſe Maij reſtituam illi tantumdem, erit vſura; cùm veriſimile ſit, vt menſe Maij pluris valeat. Hæc propoſitio intelligenda eſt, ſi non erat ſeruaturus vſque ad illud tempus, ſi verò erat ſeruaturus, non erit vſura, detracta tamen æſtimatione cuſtodiæ, & periculi corruptionis vſque ad illud tempus, ſi hæc æſtimari ſoleant apud prudentes, *Syluester verbo, vſura* 1. *n.* 14. *Sotus de iuſt. & iure l.* 6. *q.* 1. *art.* 2. *Nauar. c.* 27. *n.* 219. *Fill. tr.* 34. *c.* 3. *nu.* 43. *Leſſius dub.* 17.

18 Non eſt licitum petere mutuum ab vſurario ſub vſuris, etiamſi ſit paratus dare ſub vſuris. Ratio eſt, quia non eſt licitum petere aliquid, quod quis facere non poteſt ſine peccato, quia hoc eſſet inducere aliud ad peccandum, ſed vſurarius dare non poteſt mutuum ſub vſuris abſque peccato, ergo iſte contractus non eſt licitus; hoc tamen intelligendum eſt, non exiſtente neceſſitate, quia tunc non ſolùm petere poteſt propter propriam neceſſitatem, ſed alienam, & petens non peccat, quia vtitur iure ſuo. *Bonac. in diſp.* 3. *q.* .... *punct.* 13. *n.* 1. *& Regin. l.* 23. *n.* 192. *Nauarr. loc. cit. nu.* 262. *Toletus lib.* 5. *cap.* 27.

19 Tenetur vſurarius reſtituere fructus, quos percepit ex re aliena accepta per vſuram, nam cùm non ſit dominus, non acquirit dominium fructuum, quia res domino fructificat; Hæc propoſitio intelligenda eſt, modò non ſint fructus merè induſtriales, vt ſunt illi, qui accipiuntur à mutuo ab vſurario, aut ab alia re vſu conſumptibili, vt ab oleo, frumento, & ſimilibus. *Bon. loc. cit. punct.* 14. *n.* 2. *S. Th.* 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. *Filliuc. num.* 26. *Leſſius, & alij.*

20 Non ſolùm vſurarius realis, aut mentalis

tene-

tenetur ad restitutionem, sed etiam concurrentes effectiuè ad contractum vsurarium,& tenentur in solidum. Ratio est, quia participans cum fure furandi causa tenetur ad restitutionem, ergo pariter participans cum usurario ad usuras: ita communiter Doctores, teste *Bonac.dub.11.*

21 Non solùm usurarij restituere tenentur usuras, sed etiam filij,& hæredes etiam extranei, cùm teneantur exonerare conscientiam defuncti, & sicuti hæredes furis in eius defectum restituere tenentur; ut probatur ex *cap.tua nos, de vsuris*, ita etiam, & hæredes usurarij. Ratio est, quia obligatio realis defuncti transmittitur ad hæredes, qui in locum defuncti succedunt, & reputantur una, & eadem persona, ita notant communiter Doctores in *l.hæredem, ff.de hæred. instit.& in cap.vigilanti, de præscription.*

22 Tenentur etiam Iudæi restituere usuras immoderatas, exactas à Christianis, & possunt ad hoc à potestate sæculari compelli, aliàs excommunicantur eo modo, quo possunt, scilicet quo ad communionem fidelium, cum non sint capaces excommunicationis, quia non sunt subiecti Ecclesiæ, *cap post miserabiles, de vsuris.*

23 Vsurarius manifestus est multis pęnis subiectus; Quarum prima est, ut non admittatur ad Eucharistiam, donec publicè satisfecerit, *cap. quia 3.de vsuris*. Secunda est, ut non admittatur ad Ecclesiasticam sepulturam. Immò præsumentes sepelire usurarios manifestos sunt excommunicati, á qua excommunicatione absolui non possunt, donec satisfecerint ad arbitrium eorum Episcopi. Tertia est, ut nullus interueniat testamento usurarij manifesti; nisi priùs satisfecerit, cum possit eam dare immò testamentum, seu codicillus, aut ultima alia uoluntas huiusmodi usurarij est nulla, nisi ante mortem

satis

satisfecerit, aut præstiterit debitam cautionem, *cap. quamquam, de vsuris in 6.* Quarta est, ut non admittatur ad sacramentalem confessionem, nisi prius satisfaciat, in quantum potest, aut det cautionem idoneam, quàm dare potest creditoribus, aut loci ordinario, aut Parocho, aut Confessario coram testibus, aut coram Notario misso ab ordinario, *dicto c. quamquam.* Quinta est infamia *l. improbum, Cod. ex quibus causis irrog. infamia.* Sexta est, ut non admittatur ad oblationem, *c. quia in omnibus de vsuris*, possunt tamen ab ipso recipi eleemosynæ, modò non sit postea inhabilis, & impotens ad restituendum. Ratio diuersitatis est, quia oblationes fiunt in publico; eleemosynæ verò non. Septima si sint Clerici amittunt officium, & beneficium Ecclesiasticum. Octaua, quòd non potest illi locari domus, & debet expelli à Ciuitatibus. Nona est, quòd non habetur respectus, ne egeat, ut habetur in alijs creditoribus, si usurarius cedat bonis. Decima est, quia si usurarius alteri soluerit usuras, repetere non potest, nisi prius restituat, quas extorsit, uel eius hæres. Fallit tamen in Clerico, uel Procuratore, qui nomine Ecclesiæ usuras repetunt quas soluerunt, nec eis apponi potest, quamuis ipsi sint usurarij, & tenentur restituere non solùm rem acceptam pro usuris, sed fructus perceptos, & qui percipi potuerunt à uero domino, cum sint malæ fidei possessores, ita communiter Doctores.

24 Dicitur manifestus usurarius ad incurrendas dictas poenas, Primò, quando publicè dat sub usuris, quod nulla tergiuersatione celari possit. Secundò, quando est condemnatus per Iudicis sententiam huiusmodi delicti. Tertiò, quando confessus fuit hoc delictum, aut fuit conuictus duobus testimonijs idoneis fide dignis

gnis, *cap. cum olim de verb. signif. Bon. de pœnis vsurariorum, punct. vlt. n.* 1. *Nauar. c.* 17. *n.* 280. *Regin.* & alij apud præcitatos.

De Censibus.

1 CEnsus non significat aliud, nisi iurisdictionem, aut facultatem recipiendi certam pensionem ex re aliena fructifera.

2 Vt sit validus iste contractus, obseruandæ sunt conditiones præscriptæ à Pio V. in Bulla incipiente: *Cum onus*, in illis locis, in quibus est acceptata dicta Bulla. Prima conditio est, vt non constituatur nisi super immobilia, quæ ex eorum natura sunt fructifera: Hæc eadem conditio exprimitur in Bulla Martini V. & Callisti III.

3 Constitui potest census super vectigalibus, aut alios redditus fundatos supra Ciuitatem, oppidum, pascua, piscationes; nam ista reputantur tanquam immobilia. Fundari possunt etiam super officia perpetua, quæ fructificant, nam ista iudicantur bona immobilia fructifera. Secunda, vt census non celebretur, nisi numeretur moneta in actu celebrationis instrumenti coram Notario, & testibus. Tertia, vt non possit fieri pactum, vt censuarius anticipatè soluat censum. Quarta, vt re censui subiecta casu fortuito pereunte, census etiam extinguatur, & pereat. Quinta, vt non fiat pactum, quod restringit libertatem censuarij, qui alienare non potest rem censitam. Sexta, vt dominus rei censitæ volens rem censitam vendere, admonere debeat censuarium, si eam emere velit eodem pretio, & eum alijs præferat. Septima, vt non fiat pactum, vt non soluendo censu tempore constituto, censuarius teneatur soluere interesse, & lucrum cessans, aut amittat rem censui subiectam.

iectam. Octaua, vt pretium semel constitutum numquam augeri possit, vel minui propter qualitatem contrahentium, aut temporum. Nona, vt sit semper liber censuarius redimendi censum, quoties voluerit, restituto eodem pretio, non obstante quolibet pacto, aut præscriptione. Decima, vel censuarius non sit obligatus, neque cogi possit ad redimendum censum. Vndecima, vt non augeatur, nec constituatur nouus census super eadem re, aut alia pro censibus decursus temporis præsentis, vel futuri, ita communiter Doctores.

De Cambijs.

1 CAmbium est contractus, quo res pro re commutatur, vel pecunia cum pecunia, nam quando res est pro pecunia; iam est contractus nominatus venditionis.

2 Duplex est cambium, reale, & siccum. Cambium siccum non est verum cambium, sed fictum, & est quando quis concurrit ad nundinas, aut ad alia loca, fingit facere cambia, & recipientes pecuniam tradunt realiter litteras cambij, sed non sunt missæ, aut si missæ sunt, nihil operantur, & dicitur siccum quia caret iusto titulo recipiendi lucrum, vt benè ait *Bonac. de cambijs disp.3.q.5 pun.vnico n.1. Nauarr.c.17.n.283.*

3 Reale est illud, quo pecunia realiter cum alia pecunia commutatur, & est duplex, minutum, locale, aut per litteras. Cambium minutum est, quando commutatur pecunia præsens, cum præsenti, idest, moneta aurea cum argentea, vel è contrario, vel pecunia maioris valoris cum pecunia minoris valoris, vel e conuerso; dummodo tamen fiat propter officium ad id ordinatum à Republica cum moderato lucro.

4 Cam-

4 Cambium per litteras fit, quando campsor Petro danti sibi Mediolani certam summam, puta centum, dat litteras, quibus certa summa, de qua conueniunt, redditur illi Romæ, aut Neapoli; puta nonaginta quinque, & reliquum campsor lucratur pro suo labore,

5 Cambium siccum est illicitum, & vsurariũ: vt clarè patet ex bulla Pij V. facta anno 1572.

6 Cambium minutum reale est licitum. Ratio est, quia non accipitur lucrum pro pretio, sed pro mercede, & non solùm accipere potest mercedem campsor publicus, sed etiam ill:, qui sine auctoritate Principis facit hoc officium; & commutat pecuniam in fauorem alterius cum aliquo suo labore, & onere, & iste contractus est licitus iure gentium, & necessarius, ac naturali ratione munitus propter pericula, & damna campsoris. *Syluester, verbo vsura* 4. *quæsito* 7 *Bo. loc.cit.nu.*3. *Nauarr.cap.* 17.*nu.* 183.*Lessius lib.* 2. *cap*,25. *dub*.3.*nu* 9.*Filliucc. tract*.35 *nu*.359. Priuatus tamen recipere non potest tantùm, quantum publicus accipit; nam campsor publicus habet plures causas, & titulos accipiendij aliquid, quàm habet priuatus, *Bonac. loc. cit. Filliucc.nu.* 367. & alij cit.

7 Cambium reale locale aut per litteras est licitum, etiam cum aliquo iusto incremento. Ratio est, quia duplex titulus intercedit pretio æstimabilis. Primus est virtualis transportatio pecuniæ in commodum campsarij. Secundus est assecuratio: Campsor enim Romæ accipiens pecuniam, traijciendam Venetias non solùm suscipit onus traijciendi, sed etiam periculum, ita vt si pereat, non campsario, sed ipsi campsori pereat, & quia etiam est necessarium Reipublicæ. *Nau.loc.cit.Bon.disp.*3.*q*.5 *pun. vnic. nu*.7. *Filliucc. dicto tr*.35.*n* 380. *Reginal n*.454 *Less.l*.2.*c*.23. *d*.3.

8 Cam-

8 Campsor si pecunia indiget in loco, ad quem transfertur, vt in Hispania, & det Romæ eam indigenti, adhuc recipere potest lucrum cambij. Ratio est, quia hoc ministerium est pretio æstimabile, etiamsi ex eo commodum sentiat, sicuti patet de illo, qui transfert equum conductum Domino suis sumptibus, potest illum alteri locare indigenti, & lucrari expensas vna cum pretio locationis, *ita Bon. l. c. nu. 25. Fill. n. 399. Regin. l. 25. n. 455. Sot. de iust. & iure qu. 10. art. 1. circa medium, Toletus lib 5, c. 53. nu. 6.*

De Contractu Societatis.

1 Societatis est conuentio duorum, vel plurium, facta ad conferendum aliquid in vsus, vel lucrum commune: Hic enim est effectus societatis, collatio bonorum, vel operarum, aut pecuniæ, animalium, vel similium rerum in communi, vt colligitur ex *ff. & C. pro socio.*

2 Contrahitur licitè societas, vno ponente personam, alio pecuniam, vt inde lucrum percipiatur, siue vnus ponat pecuniam, alter operam tantùm, siue vterque vtrumque ponat; ideò committens pecuniam mercatori, quia non transfert dominium in illum, sic mutuò accipere, & petere potest partem lucri inde prouenientis, tamquam de re sua. Hæc propositio non solum habet locum de iure ciuili, sed etiam de iure canonico, quia opera alicuius sæpe valet pro pecunia. *S. Th. 2. 2. q 78. art. 2. ad quintum, Syluest. verbo Societas n. 1. Nauarr. cap. 17. nu. 251.*

3 Tres conditiones requiritur, vt sit licita societas. Prima, vt negotiatio sit licita. Secunda, vt pecunia stet periculo ponentis. Tertia, vt seruetur æqualitas inter socios, idest, vt lucrum, expensæ, & damna sint communia

omnibus; nam quilibet eorum reportare debet lucrum, damnum, & expensas pro rata illius, quod conferunt in societatem. Hinc clarè patet, quòd non dicitur societas iusta, sed vsuraria, quando quis tradit pecuniam mercator hoc pacto, vt periculum pecuniæ stet mercatori, sed lucrum diuidatur. *Nau.loc.c.Regin.l.25.n.385 & 392.Bon.de contract.*Societatis *disp.3.q 6.pun.1.n.3.Syluester loc.cit num.2.*

4 Quando quis confert pecuniam, & alter operam, aut industriam, totum damnum pecuniæ erit conferentis, & illud laboris erit ponentis, siue damnum sit in principio, siue in medio, siue in fine societatis. Hæc propositio est vera maximè in foro conscientiæ. Ratio est, quia non erit licitum facere pactum, vt, qui posuit industriam, aut laborem, solueret medietatem, aut tertiam partem damni, quia esset contra formam contractus societatis *Syluest.verb societas n.6 Nau loc.c.n 252.S.Th.2.2 qu.78.art.2. ad 4.Bart.& Bald.in l.1.ff.pro socio*

5 Quilibet facere potest contractum societatis, qui facultatem habet disponendi de rebus suis ad libitum, quæ in societatem conferuntur, exceptis quibusdam personis habentibus facultatem impeditam a lege disponendi, vt medicus contrahere non potest cum infirmo, durante infirmitate, *l.medicus, ff de varijs, & extraord cognit.* Aduocatus respectu clientis, *l.quisquis, Cod de postulat.* Tutor; & curatore respectu pupilli, & minoris, *l.emptione, § fin.de contrahenda empt.*

6 Idem dicendum est de carceratis; nam prohibentur contrahere in eorum præiudicium. Hæc propositio intelligenda est, quando sunt carcerati iniustè in priuatis carceribus, sed quando sunt in publicis carceribus contrahere non

pro-

prohibentur, & facere alios actus, etiam in fauorem illius, per quem detinentur. Ratio est, quia sicut tenet matrimonium in carceribus factum, quod maximam requirit libertatem; vt ait *Panorm. in c. cum dominus, de secundis nupt.* multo magis valere debent alij contractus in carceribus facti. *Bart. in l. qui in carcerem, ff. quod motus causa, Syluest. verb. carcer. nu.* 4.

7 Damna, quæ quis patitur ob causam proximam societatis esse debet communia, dummodo non veniant ob culpam leuem socij, & expensæ debent esse communes, quæ fiunt causa societatis, quando sunt necessariæ, & vtiles. Item expensæ in infirmitate contractæ ob negotia societatis, *l. cum duobus, § damna ff pro socio, Syluest verb. societas qu.* 12. nisi aliter conuentum sit inter socios, *Nau. c.* 17. *n.* 285. *Regin. l.* 24. *num.* 395. *Filliucc. tr.* 38. *nu.* 81. *Bonac p.* 4. *nu.* 3.

8 Licitum est dare animalia in societatem alicui cum pacto, quòd lucrum sit commune, sed & recipiens nihil lucri accipiat, donec pretium eorum non fuerit restitutum domino, & postea erunt communia, dummodo tamen illa, quæ pereunt antequàm recuperetur capitale, pereant in damnum domini, & non recipientis; sed non valet pactum, quòd animalia consequentur in eodem numero, vt si aliqua pereant, compleatur numerus ex fœtibus animalium, & pastor in fine singulorum annorum accipiat medietatem reliquorum fructuum: nam iste coutractus videtur valde iniquus, quia non obseruatur æqualitas, si industria pastoris pluris æstimatur, quam valeant fructus animalium, secus verò si non æstimatur pluris industria, aut opera, *Nau. loc. cit. nu.* 261. *Regin lib.* 25. *nu.* 401. *Filliuc. tr.* 38. *nu.* 86. *Bon. pun.* 5. *nu* 4. & 5.

9 Si animalia æstimata collata in societatem

pereunt culpa socijs: in æstimatione attendi debet tempus perditæ, & damni. Ratio est, quia augumentum, & detrimentum rei pertinet ad dominum, cùm animalia essent apponentis vsque ad illud tempus, *Bonac.dict.pun.5.n.7.Rebell.qu 8.n.3.* & alij apud citatos.

De Societate inter Fratres,

10 Societas inter fratres extenditur ad ea tantùm, quæ inter se fratres communicant, & in communi conferunt, non verò se extendit ad bona aliunde acquisita à fratribus, vt acquisita per donationem, vel hæreditatem, vel dignitatem, vel aliam industriam, nisi aliter constet ex eorum intentione, vel conuentione, *l. si fratres, ff pro socio, Bonac.punct.7 n.1.*

11 Debita honesta contracta à fratre, existente in studio, patre viuente, soluenda sunt ex bonis communibus hæreditatis, quia censetur debita patris, si verò frater perseuerare vult in studijs post mortem patris, non tenentur cæteri fratres contribuere studij expensas, & commodum, & damnum, quod vnus fratrum ex negotiatione percipit esset ipsius fratris absentis post mortem patris, nam cùm nesciret mortem sui patris, nullam inijt cum fratribus societatem, fructus verò hæreditatis diuidendi sunt, non solùm inter fratres præsentes, sed etiam inter absentes, deductis tamen expensis, & opera fratrum. Ratio est, quia absentes censentur etiam condomini hæreditatis. Ita *Bon.loc.cit.nu.6.Molina disp 411.nu.6.*

12 Omnes descendentes legitimi, volentes succedere parentibus decedentibus ab intestato, conferre tenentur ea bona, quæ acquisierunt ex bonis illius, cui succedere volunt, modò non

con-

nstet contrarium ex mente illius, cui succe-
ere volunt. Bona etiam tantummodo profecti-
a, quæ filius accepit à patre, vel ab auo, cui
ccedit, conferenda sunt à filio cum reliquijs;
m quibus in hæreditate succedit. Castrensia
ro, vel quasi, non sunt conferenda. Aduenti-
non conferuntur quoad proprietatem, immò
que confertur vsusfructus, quando vsus fru-
us dictorum bonorum pertinet ad filium, vel
patre filio fuit concessus, vel tacitè, vel expres-
, *l. vltima, Cod. de collat. Bonac. disp. 3. q. 6. pun.*
§. vnico, n. 3.
13 Filij, vel alij, qui loco filij succedere vo-
nt conferre tenentur donationem, quæ fuit ob
usam, quæ data est ab eo, cui succedere vo-
nt, donationem verò simplicem, quæ fuit ex
era liberalitate conferre non tenentur. Ratio
, quia in hoc casu donans non præsumitur do-
sse in compensationem legitimæ, cùm libera-
er, & spontè donec. Hęc propositio non ha-
t locum in filio emancipato. Filius enim
nancipatus conferre tenetur quidquid à paren-
us accepit in emancipatione, vel post eman-
pationem, *l. vt liberis, C. de collat. Tuscus t. 1, con-*
sl. 716. nu. 11, versiculo, Si o-aterea, Bon. l. c. nu. 5.
14 Ad hoc, vt habeat locum collatio requi-
ntur multæ conditiones. Prima, vt si filius,
l alius descendens, cui legitima debeatur,
m inter ascendentes, & collaterales, & extra-
os non est locus collationi. Secunda, vt sit
cessionis capax. Tertia, vt succedere velit
mquam hæres, seu titulo vniuersali. Quarta,
bona, quæ quis conferre debet, proueniant ex
us bonis, de cuius successione agitur, ita *Bart.*
rnelius, & alij apud *Bon. disp. 3. q. 6. pun. 7. n. 22.*

De Locatione, & Conductione.

1 Locatio est contractus, quo conceditur persona mercede, vel res ad vsum, vel vsumfructum.

2 Conductor soluere tenetur totam pensionem, vel saltem pro rata temporis, si fundus publicetur, neque soluere tenetur interesse damni emergentis, & lucri cessantis, quia ea vti non potest toto tempore, pro quo acceperat. Idem dicendum est si coactus est illam deserere propter pestem, aut propter aliquam iustam causam superuenientem ante tempus determinatum, quia soluere tantùm tenetur pro tempore, in quo vti potest re conducta, *cap. propter sterilitatem, de locato*.

3 Conductor soluere non tenetur integram pensionem, superueniente magna sterilitate prędij ob casum fortuitum, & absque culpa conductoris, nisi aliter conuentum sit, vel nisi sterilitas vnius anni compensari possit cum fertilitate alterius, vt fieri solet in locationibus ad plures annos celebratis, *dict. c. propter sterilitatem, & l. ex vendito, § si vis, ff. locat.*

4 Sterilitas secundùm communem opinionem dicitur, quando detracta æstimatione expensarum, & semine, non supersunt fructus, qui sufficiant ad soluendam dimidiam pensionem. *Bon pun. 3. n. 14. Filliuc. n. 15. Tuscus tom. 5. concl.* 431. & communiter alij.

5 Emphyteuta, qui cessauit à solutione canonis in emphyteusi Ecclesiæ, seu loci pij per duos annos, cadit ad emphyteusi, & amittit rem acceptam in emphyteusim cum omnibus melioramentis, factis in ea, nisi purgauerit moram, si breuiter satisfacit ante citationem iudicialem,

vel

vel statim post citationem absque dilatione secundùm aliquos, tamen hoc remittitur arbitrio iudicis. In emphyteusi verò sæculari emphyteuta, qui triennio cessauit soluere canonem, incidit in caducitatem, nec purgare potest moram propter maius spatium, ei datum, *l. fin. C. de iure emphyt. Syluest. v emphyteusis, quæsito 3. Fill. tr. 0. n. 135. Bon. de feudo, & emphyt pu. 2 n. 7. & seq.*

5 Licitum est potestati humanæ aliqua mala tolerare, vt tolerare meretrices, ne aliqua maiora peiora incurrantur, vel etiam ne aliqua bona impediantur, vt ait *August. in libr. de ordine, allegatus à D. Tho. 2. 2. qu 10 art. 11.* vbi ait: *Aufer meretrices de rebus humanis, omnia turbaueris libidinibus.* Ratio est, quia sicut Deus, qui est summè bonus permittit aliqua mala fieri in vniuerso, quæ prohibere potest, ne eis ublatis maiora tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur; ita etiam potestas humana, illum imitando, facere hoc potest. *S. Thom. loc. cit.*

7 Licet aliqui dicant, quòd non potest quis sine peccato locare meretricibus domus etiam in illa parte Ciuitatis, in qua est permissum illis habitare, nihilominùs probabilior videtur opinio contraria. Ratio est, quia vsus totius Christianitatis ita obseruat, & quia iam allegatum dictum Augustini ab omnibus receptum, nunquam sortiri possit, si hoc fieri non posset, & quia confessarij absoluunt, & semper absoluerunt illos sine scrupulo, qui locant eis domos sine proposito abstinendi à simili re, *ita Maior in dist 15. q 35. Bo. de fornicat. simplici q. 4. p. 14. nu. Less. l. 2. c. 24. du. 7. n. 40. Rebellius l, 14. q. 17. n. 8.*

8 Locator, locans rem vitiosam, tenetur ad interesse conductori, ignoranti vitium illorum, etiamsi locator ignoret id vitium, tamen id intelligi debet, quoad forum externum; qui niti-

tur præsumptione culpæ, nam in foro conscientiæ non tenetur, si ignorabat. Idem dicendum est de omnibus alijs rebus vitiosis. *Fill.tr.36.nu.36. Bon.qu.7.punct.2.num.3.Syluest.verbo locato, quæsito* 18.*Nauar.c.17.n.*196.

9 Hinc sequitur eum teneri ad restitutionem damni emergentis, & lucri cessantis, qui locauit dominum alienam mala fide, sciens esse alienam; si verò bona fide, ignorans esse alienam, non tenetur ad restitutionem damni. Ratio est, quia bona fides, quæ ipsum excusat à culpa, excusat etiam à pœna. *Bonac.loc.c.n.5 Fill.nu,*14.*Regin.l.* 25 *cap,*42.*num.*513.

10 Tributa, & onera, nisi aliter fuerit conuentum, soluenda sunt à locatore, vel nisi aliter expostulet consuetudo, ideò locator tenetur soluere taxam, seu tributum, quod pro domo solui consueuit, ad reficiendam viam ante domum, quia hæc sunt onera pro domo imposita, *l.quod ille, § quicumque, ff.de via publica*.

11 Qui non vtitur re conducta, quia non vult, aut propter aliquem casum fortuitum ob suam causam obuenientem, soluere tenetur pensionem; iuxta glossam in *l.si vos, §.item eum quidam, ff. locati*. Hæc propositio locum habet, quando dominus per hoc desistit, & cessat alijs eam locare saltem in foro conscientiæ, *Syluester, verbo locutio, quæsito* 13. *Angelus, eodẽ verbo. §.*15.

12 In quatuor casibus licitum est locatori expellere conductorem de domo sua ante finitum tempus, vt patet non solùm ex iure ciuili, *l.ade, ff.locati*, sed etiam ex iure canonico, *cap.propter sterilitatem, §. verum, de locato*. Primus casus est, quando conductor non soluat pensionem tempore debito, etiamsi interuenerit pactum de non expellendo, quia semper intelligitur tacita conditio si pensionem soluat, Secundus ca-

sus est, quando abutitur re locata, inferendo illi damnum; vel inducendo meretrices, vel aliud turpe in ea exercendo, vnde sequatur scandalus. Tertius casus est quando locatori superuenerit causa, ob quam sibi est necessaria domus ad habitationem, & tempore contractus verisimiliter præuideri non potuit. Quartus, quando domus indiget reparatione, sed in hoc, & in præcedenti casu locator remittere tenetur pensionem pro rata temporis, aut prouidere conductori de alia re æquæ commoda, *leg. cum & plures, ff. locati dicto capitulo propter sterilitatem, §. Nauar. c. 17. n. 195. Fill. tr. 36. n. 55. & 56. Bon, pun. 2. n. 13.*

13 Contractus locationis rei ad fruendum, qui dicitur *godere, à godere*, si fiat de rebus, in quibus distinguitur dominium directum ab vtili, est licitus, vt si vnus det domum ad habitandum, & alter vicissim prædium ad fruendum; si verò vna ex rebus, quæ dantur ad fruendum non habet dominum directum distinctum ab vtili, vt daretur pecunia, ex altera parte, non est licitus contractus locationis, sed vsurarius, nisi aliqua circumstantia honestetur, vt lucri cessantis ex parte dantis pecuniam. Ratio est, quia qui dat pecuniam facit mutuum, & in mutuo nihil recipere potest, qui verò dat rem habente dominium directum distinctum ab vtili, facit contractum locationis, & in hoc contractu quis accipere potest; & consequenter dicitur contractus vsurarius, quando ex altera parte datur res, quæ non habet dominum directum distinctum ab vtili. *Filliuc. tr. 36. c. 5. n. 90. Nauar. de vsuris nu. 97. Sotus l. 6. de iust. & iure qu. 5. art. 1. Azorius*, & alij apud præcitatos Doctores.

De Mercede Famulorum.

14 PEccat mortaliter cum obligatione restituendi, qui non soluit famulo stipendium in ea re,in qua conuentum est,aut qui soluit stipendium, de quo conuentum est, sed est minus iusto pretio, & peccat etiam qui non soluit statim mercedem mercenario: quapropter qui loco pecuniæ tradidit pannum famulo, vel alias merces certo pretio,quas famulus vendidit viliori pretio, tenetur ad restitutionem, quanti minoris famulus vendidit, modò famulus non acceperit spontè;& liberè. Ratio est, quia non tradidit Dominus famulo, quantum conuentum est,& in hoc casu famulus sentit damnum. *Nau. c.17.nu.*107.*Bonac.p.*4.*nu.*15.

15 Non est soluenda merces in conscientia famulo, labenti in infirmitate, modò non interuenerit pactum, neque appareat consuetudo in contrarium. Ratio est, quia non so'ùm merces soluitur ob operas necessarias, sed etiam quia conductor non tenetur soluere pensionem, quãdo non vtitur re coududcta ob defectum locatoris, ergo si dominus non vtatur opera serui ob infirmitatem, aut propter aliquod impedimentum ipsius serui, non videtur obligandus ad stipendium soluendum. Alimenta verò secundùm aliquos non sunt deneganda, & aliæ expensæ necessariæ.*Filliuc.tr.*36.*n.*109.*Regin.l.*25.*n.*517. *Bon.disp.*3.*q.*7.*pun.*4.*num.*13.

16 Qui operas suas locat,si per se ipsum non stet, potest iure accipere integram mercedem, vnde si famulus fuit expulsus à domino,nondum elapso termino constituto, licitè potest petere integram mercedem; modò dominus non habeat iustam causam eum expellendi; Neque Ad.

uoca.

uocatus, qui aliquam causam agit, restituere debet stipendia soluta, si causa vlcrà non procedatur. Ratio est, quia conductor soluere tenetur pensionem si non vtatur re conducta ob culpam, & impedimentum ipsius conductoris; ita etiam dominus, expellendo famulum sine iusta causa. *Bonac. loc. cit. nu.* 11 *Filliucc. num.* 107. *l. qui operas ff. locati Regin.* & alij.

17 Quando conductor solùm ex misericordia, & ad preces famuli ipsum conduxit, tunc enim satis sunt alimenta; si tamen opera eius multo maiorem vtilitatem affert, quàm valeant alimenta, tenetur illam compensare, *Filliucc. cap.* 17. *nu.* 105. *Molina disp.* 506. *Nauarr. cap.* 17. *nu.* 108. *Sotus de iust. qu.* 3. *ar.* 3. *ad* 1. *Azorius p.* 3.

De Pignore.

1 Pignus est contractus, quo traditur alicui res ad maiorem crediti securitatem, vt patet ex *instit. de oblig. §. furti.*

2 Pignus, propriè loquendo differt ab hypotheca, licet aliquando sumatur pro hypotheca, nam pignus consistit in rebus mobilibus; hypotheca in rebus immobilibus, quæ obligantur creditori, sed remanent apud debitorem, vt clarè patet ex *instit. de actionibus. §. item seruiana*

3 Omnes res, quæ vendi possunt, pignorari possunt. Ratio est, quia minus est tradi pignori, quàm vendi, nam per venditionem transfertur dominium, secus verò per pignoris contractum: Ex hoc sequitur res sacras non posse dari in pignus, nisi fieret ob magnam necessitatem; vt propter redemptionem captiuorum, sustentationem pauperum, & alias causas necessarias, in quibus res Ecclesiæ vendi possunt, neque homines liberos, neque instrumenta aratoria, aut

boues, aut alia animalia destinata ad arandum; neque res alienas, quamuis vendi possiat, quia venditio afficit personam venditoris, ita vt teneatur de euictione; pignus afficit rem ipsam, datur enim creditori, vt sit illi ius vendendi, vt sibi satisfiat, si debitor non soluerit. *Fillincc. tr. 38. n. 175. Bon. disp. 3. q. 10. pun. 1. n. 5. Nau. c. 17. n. 106.*

4 Creditor, qui pignore vtitur cum damno notabili debitoris sine eius voluntate expressa, vel tacita, furtum committit, si verò vtitur de eius consensu tacito, vel expresso committit usuram, nisi sit vsus, qui concedi solet in gratiam amicorum, vt vsus libri. Ratio est, quia creditor non habet ius vtendi re aliena cum damno domini, & pignus traditur ad securitatem, & non ad vsum. *S. Thom. 2. 2. quaest. 78. art. 1. ad sextum. Filliucc. nu. 180. Nauarr. c. 17. nu. 203. Syluester. Reginald.*

5 Idem dicendum est, si creditor fecerit pactum cum debitore, vt, non soluendo infra certum tempus, ei cedat pignus, nisi fiat pactum in pœnam debitoris, aut quod sit emptum iusto pretio, nam tunc hoc pactum non erit vsurarium, quia non fit ob lucrum creditoris, vt benè ait *Filliucc. n. 181. Nauarr. loc. cit. nu. 204. Panorm. in c. significante de pignoribus.*

6 Hinc sequitur eum, qui in pignus accepit possessionem incultam, si eam colat, teneri fructus computare in sortem principalem, deductis expensis, & laboribus, nam res domino fructificat, & etiam si res data in pignus afferret maiores fructus apud creditore, quàm apud debitorem, fructus ad debitorem pertinerent, & computari debent in sortem. *Bon. dis. 3 q. 10 part. 1. n. 10. Syluester verb pignus, quaesito 11. Fil. tr. 38. n. 287. Nauarr. cap. 17. n. 216. Regin. lib. 25. n. 594.*

7 Iam communiter constat, quòd creditor

vti

vti non potest pignore, non computando fructus in sortem. Hæc propositio limitatur pluribus in casibus. Primus in pignore dato, ad sustentanda onera matrimonij, nam maritus recipit fructus ad sustinendum onera matrimonij; ideò debentur illi fructus promissæ dotis, vt probatur ex *cap. salubriter, de vsuris*. Idem dicendum est de hærede mariti, qui mulierem alimentare tenetur infra annum, in quo cogi non potest à lege ad restituendam dotem, quandó dos consistit in rebus mobilibus. Secundus casus limitatur iure feudali, quæ postea in pignus datur domino directo, nam illi fructus computari non debent in sortem. Ratio est, quia dominium vtile consolidatur cum directo, & consequenter fructus pertinent ad dominium directum, cui datur feudum in pignus; prout supra diximus de vsuris, & habetur in *cap. 1. de feudis, & cap. conquestus de vsuris*. Tertius casus est, quando pignus censetur in bonis cui datur, vt equus furto sublatus, & deinde ab eo, cui à fure dono datus est, pignoratur pro debito ipsi domino, tunc enim fructus recepti à domino non computantur in sortem. Ratio est, quia res domino fructificat, *c. 1. de vsuris*.

8 Creditor, licèt dominus pignoris non sit, habet tamen ius vendendi pignus sibi obligatum, si debitum solutum non sit tempore constituto, siue conuentum sit inter debitorem, & creditorem, siue non; sed quando non fuerit conuentum, creditor vendere non potest pignus, nisi præmissa vnica denunciatione, seu monitione, & elapsi duobus annis. Sed quando fuerit conuentum inter debitorem, & creditorem, vt pignus non vendatur, non obstante illo pacto, post trinam denunciationem pignus vendi potest, alioquin si creditor vendat pignus ante

trinam

trinam denunciationem, reus furti constituitur; nec sufficit, quòd trina monitio fiat vnica vice sed per triduum si fieri potest, & vltra trinam denunciationem expectandum esse biennium, & si non inueniatur emptor, aut non offeratur iustum pretium, posse admitti creditorem ad licitandum, & ei pignus vendi, si iustum pretium offerat, & si pignis vendatur maiori pretio, quam sit creditum, residuum restitui debet debitori, & si vendatur minori pretio, repetere potest creditor residuum à debitore. *Filliucc. tr.58.nu.185.Syluest. verbo pignus quæsito 10.pun. 1 nu.22.Regin.l.25.nu.605.*

De Deposito.

1 DEpositum est contractus, quo aliquid alicui ad custodiendum traditur, vt integrum illud restituat, *l.1.ff. depositi.*

2 Ex hac definitione colligi potest quòd depositarius, vti non potest deposito, immò furtum committit, si eo vtatur, & tenetur ad restitutionem vsus illius rei; quoties vsus illius rei est pretio æstimabilis, ideò si depositarius vtatur equo, aut veste apud eum depositata, tenetur restituere pretium vsus, modo non constet, aut rationabilitet præsumatur illud condonare. *S.Th.2.2.q.63.art.6.Bonac.de deposito disp.3.q.14. puncto 2.nu 5.Reginald l.25.num.556.Filliuccius de contractu depositi nu.21.*

3 Depositum rerum, quæ consistunt in numero, pondere, & mensura, facta habilitate depositario, vt deposito vtatur, incipit esse mutuum, & mutat naturam depositi, saltem quando depositarius incipit eo vti, & quo ad ea, quæ consumit, & alienat, non verò quo ad alia quorum dominium perseuerat apud depositarium.

árium. *l certi conditio, ſ. fin. cum l. ſequenti, ff. de ebus creditis*, ſed ſi depoſitum non conſiſtit in ebus, quæ vſu conſumuntur, facta habilitate lepoſitario, incipit eſſe commodatum, vt accilit quando deponitur equus, & conceditur vſus llius. Addo etiam, quòd depoſitarius, vt poeſt re depoſita, etiam ſi non ſit ea data facultas xpreſſa vtendi, quoties res eſt vſu conſumptiilis, nec ipſi eſt vſus interdictus, vt ſi ſit tradi- pecunia, vſu non interdicto, & depoſitarius redat, ſe habiturum ſimilem pecuniam temore ſolutionis, qua ſatisfacere poſſit. Ratio ſt, quia dominus nullum patitur damnum; nmò potius ſentit commodum, quia cùm ſit anſlatum dominium rei in depoſitarium, res at ipſius periculo, vt ſi pereat, depoſitario ereat, nam res, regulariter loquendo domi- perit, ſed quando pecunia, ſiue res, quæ nceditur titulo Depoſiti, traditur ſacculo auſa, tunc depoſitarius vti non poteſt illa, nam ominus, qui hoc modo pecuniam tradit, vider interdicere illius vſum. *l. ſacculum, ff. depoſiti luester, verbo depoſitum, nu. 10. Bonac. loc. cit. Renald. n. 558. Molina diſp. 523. n. 2.*

4 Regulariter loquendo res mobiles deponi oſſunt, vt libri, veſtes, pecunia, & per ſe monentes, vt animalia. *gloſſa in cap. bona fides, de poſito*; res verò immobiles non deponuntur ſi quando eſt controuerſia, tunc deponuntur ud ſequeſtrum, vnde depoſitio apud ſequeum eſt propriè depoſitio, & datur contra eam tio depoſiti. *l. propria, ff. depoſiti.*

5 Quinque conditiones ſaltem requiruntur contractum depoſiti. Prima eſt conſenſus ponentis, & acceptantis. Secunda vt res nſignetur. Tertia, vt quando depoſitum exitur, eadem res reſtituatur, ſed hoc locum ha-

bet

creditoribus, quoties res deposita reperiretur, & depositum non transit in mutuum. Idem dicendum est, quando extat id, quod ex ea emptum est. *Bonac. disp. 3. q. 14. pun. 3. nu. 6. Molina disp. 516. n. 9. Filliucc. tr. 34 q. 11. n. 19.*

10 Depositarius peccat, qui reddere non vult depositum deponenti, quando petit depositum. In tribus casibus non tenetur depositarius reddere depositum deponenti. Primus est, quando redditus, afferret damnum deponenti, vt si factus est furiosus, & reddendus esset ensis. Secundus, quando bona deponentis essent confiscata ob aliquod crimen, tunc enim depositum reddi debet fisco. Hoc tamen intelligendum est, si iam esset data sententia. Tertius quando simul fur, & proprius dominus repeterent. *Filliucc. loc. cit. n. 17. Bon. loc. cit. n. 7. Reginald. & alij.*

De Commodato, & Precario.

1 Commodatum est concessio gratuita alicuius rei quoad solum vsum certum, & determinatum, *glossa in c. vnico, de commodato.*

2 Hinc sequitur peccare eum, qui commodat, si reuocat commodatum ante expletum vsum contra voluntatem commodatarij, & tenetur ad restitutionem, si commodatarius pateretur aliquod damnum, nisi fortè commodans passurus sit simile damnum, tunc enim exigere potest contra voluntatem commodatarij, etiam cum eius damno. Ratio est, quia commodans non censetur voluisse talem euentum comprehendere. *Bon. disp. 3. q. 16 pun. 1. n. 1. de commodato, Filliuc. tract. 43. c. 8. q. 6. n. 183. Syluester, verbo cõmodatum, quæsito 4. Lessius l. 2. c. 27. dub. 4. n. 18.*

3 Peccat commodatarius, si non restituat tempore constituto, & peccat etiam si vtatur

com-

commodato diutius, vel ad alium vsum, quàm ei concessum sit cum damno notabili commodantis, vt benè obseruat *Bonac. loco citato, Filliucc num. 84 Syluester, verbo commodatum, quæsito 1. Nauarr. cap. 17. nu 182.*

4 Hic contractus differt a precario, quia licet precarium concedatur ad certum vsum, nihilominùs reuocari potest ad libitum, nec valet pactum, quòd non possit reuocari, quia est contra substantiam contractus precarij, vt clare patet *ex l. cum precario, ff. de precario.*

5 Commodatarius, si res commodata pereat, aut deterior fiat sine eius culpa, dummodo tamen non fuerit vsus re commodata, nisi ad eum vsum, quem fuit commodata, non tenetur ad damnum, *l. si commodauero, ff. commodati.*

6 Commodatarius, si res pereat, aut deterior fiat tenetur tantùm de culpa lata, leui, & leuissima, quando commodatum fit in gratiam solius commodatarij; si esset etiam in gratiam commodantis, tenetur tantùm de lata, & leui; si verò fieret in gratiam dantis tantùm, vt si quis commodaret alicui vestes, & iocalia, vt ornatior ad illum veniret, recipiens tenetur de dolo, & lata culpa. Ratio est, quia lata culpa æquiparatur dolo; Hæc propositio non habet locum solùm in commodato, sed etiam in alijs contractibus, vt communiter Doctores *in l. contractus. ff. de regulis iuris.* Fallit hæc propositio in precario vbi quis non tenetur, nisi de dolo. Ratio disparitatis est, quia precarium reuocari potest ad libitum, commodatum verò reuocari non potest ante expletum vsum. Ex casu fortuito non tenetur, nisi interuenerit pactum, culpa, aut mora, *c. vnico, de commodato,* & licet morosus teneatur in foro externo, in foro tamen conscientiæ si eodem modo res commodata erat peritura, non tene-

tenetur, nisi ad interesse, quod forsitan dominus passus est propter moram, ita communiter Doctores.

7 Expensæ ordinariæ factæ à commodatario ad ipsum pertinent, nam cuius est commodum, eius etiam esse debet & in commodum. Extraordinariæ verò pertinent ad commodantem, & post rem commodatam titulo compensationis retineri possunt à commodatario, vt supra dixi de deposito, & etiam pro pignore manatum expensarum, quæ factæ sunt causa custodiendi res, *l. in rebus § possunt ff commodati. Bar. l. diuortium, § impendia, ff. soluto matrimonio, ... luester, verbo, commodatum, quæsito 3. Bonacin, ... sp. 3. q. 16. puncto vnico, num. 5.*

De Promissione.

PRomissio est datio fidei deliberata, vera, & spontanea de se possibili, & licita. Di... ur datio fidei ad differentiam pollicitationis, ... e non est propriè promissio, cùm non sit ac... tata. Pollicitatio enim est solius offerentis ... missio, quo ad obligationem par est pro... ionis, & pollicitationis ratio, nam in hoc ... ùm differunt, quòd illam facimus rogati, & ... c sponte, nullo cogente.

Hinc sequitur ad promissionem requiri ple... deliberationem, qualis sufficiat ad pecca... mortale; ideò si deliberatio non sit plena, ... emiplena tantùm, non obligat promissio ... olùm sub peccato mortali, sed neque sub ... li, nam promissio, quæ liberè, fit, est quæ... ex priuata, quæ non videtur obligare vl... entionem legislatoris, idest promittentis, ... promittit, non præsumitur se voluisse ... re sine plena, & perfecta deliberatione

Regis

Reginald. libr. 25. nu. 83. Bonac. de contract. disp. 3. qu. 12 punct. 1. num. 3 Lessius lib. 2. capit. 18. dub. 1. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 8. Nauarr. & alij communiter apud citatos Doctores.

3 Promissio dubia obligat, quando non constat, an quis deliberate promiserit. Ratio est, quia professio stat pro promissione, quam constat factam fuisse, & in hoc casu promittens presumendus est deliberatè promisisse. *Reginal. dicto lib. 25. n. 90. Bonac. loc. cit. nu. 5. Sanch. dicta disp. 8.*

4 Hinc sequitur eum non teneri, ad implendam promissionem, qui promittit exteriùs aliquid animo promittendi, sed non se obligandi. Ratio est, quia promissio non obligat vltra intentionem promittentis, vt paulò antè diximus, si verò ille cui, facta est promissio huiusmodi damnum patiatur, quia credebat sibi ex animo promitti, & propter hoc passus fuit aliquod dãnum, tunc promittens resarcire tenetur omne damnum, quod alter passus fuerit ratione doli, quo erga illum vtitur contra iustitiam, & ille, qui puellæ promittit, se illam in vxorem accepturam, si suæ voluntati consentiat, obligatur seruare promissum ratione contractus non obstante, quod dolo promittat. *Reginald. tract. 25. sect. 6. num. 86. Bonac. disp. 12. nu. 8 & 20 Syluester, verbo pactum qu. 3. Lessius de promiss. dub. 5. num. 59. Sanchez lib. 1 disp. 9. de matrim.*

5 Ex hoc etiam sequitur eum, qui promittit animo promittendi, & obligandi, sed non animo adimplendi, teneri seruare promissum. Ratio est, quia ex promissione, facta animo promittendi, & obligandi, nascitur naturaliter obligatio adimplendi promissum. *Reginald. loc cit. Bonac. num. 8. Suarez de voto lib. 1. cap. 4. Sanchez in opere morali lib. 4. c. 1. nu. 23.*

6 Omnes promissiones extortæ per dolum, vim,

vim, aut per metum etiam leuem in foro conscientiæ sunt inualidæ. Ratio est, quia extorquens huiusmodi promissionem, iniuriam facit promittenti, & consequenter non acquirit ius, vt promittens promissioni stet; in foro tamen externo non datur actio in extortis ob leuem metum, ne multiplicentur lites. *Syluester, verbo restitutio 2. vers.7. Bonac.disp.12. num. 14. Nauar. c.17 num.3.* vbi plures refert Doctores.

7 Idem dicendum est de promissione facta ob metum reuerentialem, sine quo facta non fuisset, saltem, quando metus non solùm nascitur ex reuerentia superiori debita, sed etiam ex minis. Idem dicendum est de promissione extorta precibus importunis, quando tamen preces sunt tales, vt inuoluntarium causarent; militat enim eadem ratio, ita Doctores citati.

8 Promissio interna non videtur obligare, nisi fiat per modum voti. Ratio est, quia non solùm habens *in l. 1 ff. de verb. obligat.* quòd animus in mente retentus non parit obligationem, sed etiam quia sicut lex Principis in mente retenta, & nondum promulgata, non obligat, ita etiam neque obligat promissio interna. *Bonac. disput. 2.qu.12.punct.2.nu 1. Filliucc.tract.33.c.2. n.2. Reginald.lib.25.num.84.& 85. Lessius lib.2. c.18.dub.5.* & alij communiter.

9 Promissio interna facta per modum voti meliori bono obligat; vt quando quis Deo promittit se daturum pauperi eleemosinam, aut ducturum pauperem in matrimonium, sed si res eius promissa per modum voti, non est de meliori bono, sed indifferens, aut maioris boni impeditiua, non est adimplenda promissio. Ratio est, quia non est Deo acceptum illud, quod impedit maius bonum. *Bonac. loco citato num. Sanchez de matrimon. lib. 1.disp. 7. numer. 25.*

Azor.

Azor. 3.part. libr. 11. capit. 15. quæst. 1. in fine.

10 Simplex promissio signo externo expressa, & acceptata, obligationem parit, & peccat mortaliter, qui non adimplet huiusmodi promissionem, nisi paruitas materiæ excuset. Ratio est, quia qui promissionem non adimplet, excommunicari potest, vt habetur in *cap. 1. de pactis*, ergo peccat mortaliter, non adimplens huiusmodi promissionem, quia excommunicatio maior ferri non potest, nisi pro culpa mortali, *Syluester, verbo pactum quæsito 4. Nauar. cap 18. num. 6. Reginald. num. 75. Lessius lib. 8. num. 55. Sanchez lib. 1. disput. 7. num. 20. Bonac. loc. cit. num. 4.*

11 Promissio tam gratuita, quam onerosa nondum acceptata, non parit obligationem, & reuocari potest, regulariter loquendo, etiam si cum iuramento facta sit, dummodo tamen iuramentum factum non sit per modum voti. Ratio est, quia obligatio nascitur ex mutuo consensu; sed consensus mutuus non adest ante acceptationem; ergo talis promissio non obligat, nec facit in hoc casu alter iniuriam, nec damnum infert; hæc est communis opinio, quam sequitur *Bonac. disp. 3. q 12. punct. 2. num. 5. & 6. Lessius nu. 39. Filliucc. tract 33. cap. 2. num. 26. Reginald. lib. 24. sect. 2. num. 75. in fine.*

12 Hæc propositio locum habet, quando promissio non fit per modum voti, & indicatur facta per modum voti, quoties promittens ad Deum suam intentionem direxit, vt si dicat quis promitto amore Dei me daturum pauperi puellæ ducenta in dotem, imò etiam in dubio, quando quis dubitat, an intenderit promittere Deo, an homini, præsumendus est Deo promisisse, & per consequens videtur obligandus ad promissionem adimplendam. Ratio est, quia in causis pijs dum promissio fit in absentia illius,

cuius

cuius commodum concernit, intentio communiter fertur in Deum, adeo, vt si quis peccet, ei contrauenjendo, opus esset dispensatione Episcopi ad relaxationem illius, ita *Reginald. lib. 25 num. 81. Bart. in l. illud, num 6. C. de sacrosanctis Eccles. Bonac disp. 3. q. 12. punct. 2. num. 6. Sanchez lib. 1. disp. 6 num. 17.*

13 Dentur casus, in quibus promissio non acceptata reuocari non potest; vt si promissio fuit facta Ciuitati in remunerationem honoris habiti à promittente, Vniuersitati, Clero, Ecclesiæ, Pauperibus alicuius loci, vt probatur *in l. 1. ff. de pollicit. Syluester, verbo pollicit. Bonac. loco cit. Filliuc. num. 26. Sanchez de matrim. disp 6. num. 15.*

14 Promissio adimpleri debet tempore præfixo; Quamobrem si fuit facta promissio sub conditione, non est adimplenda ante purificatam conditionem, si verò non constat de assignatione temporis, promissio statim adimplenda est, Ratio est, quia statim parit obligationem, ergo statim adimplenda est promissio. Hæc propositio intelligenda est, dummodò promissarius dilationem non concedat expresè, vel tacitè, vt si promissarius, qui petere posset commodè, non petat, *Bonac. disp. 3. q. 12. punct. 6. num. 1. & 2. Syluester verbo votum, 2. quæsito 5. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 28. num. 1. Filliucc. tract. 34. cap. 5. n.* 117. & alij apud citatos Doctores.

De Donatione.

1 DOnatio, est quædam concessio alicuius rei, quæ prouenit ex mera liberalitate, & munificencia donantis, *l. 1. & l. donatarij ff. de donat.*

2 Quælibet persona, quæ habet administrationem liberam, & dominium bonorum, donare potest, nisi a lege sit prohibita.

3 Ex

3 Ex hoc colligitur. Primò, quod prodigus, cui datus est curator, & interdicta est administratio bonorum, donare non potest. Secundò infans donare non potest sine auctoritate tutoris; licèt acquirere possit sine tutore, vt supra diximus de contractibus, Tertiò minor donare non potest sine consensu curatoris. Quartò filius familias donare non potest sine consensu patris, nisi habeat bona castrensia, vel quasi. Quintò Religiosus superiori subiectus donare non potest sine consensu expresso, vel tacito. Ob tacitum consensum superioris excusantur degentes in studio extra monasterium, dando aliquid in eleemosynam, sicuti etiam excusantur filij familias ob tacitum consensum eorum patris, & vxor ob tacitum consensum mariti, dummodò tamen donent paruam quantitatem. Donare etiam possunt Religiosi cum consensu superioris ob merita præcedentia, & licèt decretum Clementis VIII. prohibeat religiosis, quòd donare non possunt, & obligat ad restitutionem recipientes aliquid ab illis, & vt absolui non possint ante actualem restitutionem; nihilominùs loquitur de donatione simplici, non de donatione remuneratoria, quæ non est vera donatio, vt communiter Doctores dicunt. Sextò, Religiosi superiores Regularium donare non possunt nisi quatenus sit eis permissum ex constitutione religionis, aut ex consuetudine, nam per canones prohibentur, vt probatur ex *canone Abbati*, *distin.* 54. nec ipsi dominium habent, & liberam administrationem bonorum. Septimò, mulier donare non potest, quę alia bona non habet, præter dotem, nisi prout paulò antè diximus. Octauò, furiosus, & amens donare non possunt. Nonò, fur, & raptor donare non possunt res furto sublatas. Decimò, miles cuiuscuis militiæ

donare

donare non potest concubinæ, sed hoc intelligitur de donatione gratuita. *Syluest. verbo donatio*, 1. *n.* 2. *Bon. de donat. pun.* 2. *n.* 14. *Filliucc. nu.* 46. *gloss. in l. annullum, C. de donat. inter virum, & vxorem.*

4 Donatio facta à patre filio legitimo non emancipato, regulariter loquendo, non est valida, sed reuocari potest ad arbitrium patris, nisi sit iuramento vallata. Ratio est, quia pater, & filius existens sub patria potestate repuntantur vna, & eadem persona à lege, & sicut nullus potest sibi donare, ita neque pater filio.

5 Aduertendnm tamen est, si huiusmodi donatio non fuerit reuocata à patre in vita, morte patris confirmatur, & si hæc donatio excedit quantitatem, qua ille, qui disponere potest liberè iuxta varias leges regionum, præiudicat legitimam aliorum filiorum, reuocanda est, quantum opus erit, vt excusetur præiudicium illorum, *l.* 1. *de inofficiosa donat.* sed donatio matris, & aui materni in filium est valida. Ratio est, quia iura loquuntur de donatione patris, & non matris, quia mater non habet filios sub potestate. *Siluester, verbo donatio* 2. *num.* 8. *Bonacina pu.* 4. *nu.* 2. *Molina dispu.* 291. *nu.* 1. *Emmanuel Sà, verbo donatio, num.* 2.

6 Donatio facta à marito vxori, aut ab vxore marito post matrimonium contractum de præsenti, aut antè pro illo tempore, in quo erit contractum, non valet, & potest donator ad beneplacitum eam reuocare, præterquam quando Imperator, aut Rex donat Imperatrici, aut Reginæ, aut ipsa illi, & quando pauper non fit donator propter talem donationem, licèt recipiens ditior fiat, & quando mulier marito donat ad consequendum aliquem honorem, aut dignitatem, & quando maritus, stante matrimonio, remittit mulieri omnem do-

tem promissam, aut partem ipsius, *l. si constante ff. de donat. ante nupt.* sed remissio alterius debiti non valet, & quando maritus assignat aliquid mulieri pro suo victu, & suorum, donec viuat iuxta æstimationem dotis, & non plus; vt tenet *glossa in l. ex animo, ff. de don. inter virum, & vxor.*

7 Aduertendum est etiam, quòd licet non valeat donatio inter virum, & vxorem, si non fuerit reuocata in vita, morte donantis confirmatur, modò res donata fuerit tradita ante à coniugi superstiti. Vt probatur ex *cap. fin. de donat. inter viuos.*

8 Donatio inter viuos omnium bonorum præsentium, & futurorum est nulla, nisi fiat Ecclesiæ, aut pijs locis, aut sit iuramento confirmata. Ratio est, quia hac donatione tollitur libera facultas testandi. *l. stipulatio, hoc modo concepta, ff de verb. oblig.* communiter Doctores teste *Bonac. punct. 5. num. 1.*

9 Ad donationem excedentem quingentos aureos, requiritur insinuatio, alioquin est nulla, quo ad excessum, nisi fiat Ecclesiæ, aut piæ causæ, aut non sit iuramento vallata, aut non fiat à Principe absoluto, vt patet *ex l. penul. C. de donat.*

10 Insinuatio in præsenti intelligitur denunciatio, qua donans declarat Iudici in scriptis se liberam tantam summam alteri donare; & Iudex illam suo consensu approbat, nec denunciatio necesse est vt fiat in loco iudicij, neque requiritur causæ cognitio, sed tantùm ipsius præsentia, *Bart. & alij, quibus adhæret Iulius Clarus, §. donatio, quæst. 15 ad fin.*

11 Duplex est donatio, vna dicitur inter viuos, & altera fit causa mortis. Donatio causa mortis dicitur illa, quę fit ob mortis periculum, vel cogitationem. Donatio inter viuos dicitur alia, quæ fit sine cogitatione mortis, & donans

absolutè

absolutè donat, & fieri vult rem alterius.

12. Ad donationem causa mortis requiritur, vt donans disponere possit de re donata; ideo filius familias donare non potest causa mortis illas res, quæ ad partem pertinent, nisi à patre obtineat facultatem, ad differentiam legati, & testamenti, quæ fieri non possunt à filio familias etiam patre consentiente *l. tam is, ff. de donat.*

13 Donatio inter viuos, regulariter loquendo reuocari non potest. Dantur tamen casus, in quibus reuocari potest. Primus ob ingratitudinem donatarij, modò donatio non sit facta ob causam, aut cum expresso iuramento, non reuocandi eam ob ingratitudinem, *l. vltima, C. de reuocand. donat.* Secundus casus est, partus legitimus antea non cogitatus. Tertius est donatio inofficiosa, quoties pater donat tantum, vt non retineat, quantum postulat legitima portio filiorum, & dicitur inofficiosa; quia est contra pietatem, cùm sit officium pietatis relinquere filijs legitimam portionem, & quatenus est inofficiosa, reuocanda est donatio, quatenus opus est, ad supplendas legitimas portionem filiorum, modò non sit facta extraneo animo fraudandi hæredes, nulla re relicta filius, tunc reuocanda est in totum, *l. 1. C de inoffic. donat. Bart. Bald. apud Azor. 3. part. lib. 11. quæsito 6. Bonac. punct. vlt. num. 14. Filliucc, num. 140.*

14 Donatio causa mortis reuocari potest à donatore vsque ad mortem, & si in huiusmodi donatio addatur conditio, vt non reuocetur; non dicitur donatio causa mortis, sed inter viuos, & donatio causa mortis reuocatur ipso facto, si donatarius moritur ante donatorem, sicut etiam mortuo legatario ante legantem, nihil debetur, & si in donatione non fit mentio mortis, semper intelligenda est inter viuos, etiam si fiat

in infirmitate, vt ex communi sententia testatur *Iulius Clarus §. donatio, quæsito 4. Fillincc.n.104. Bonac.dicto puncto vltimo, nu. 21.*

De Restitutione.

1 Restitutio, quę significat repositionem in pristinum statum, est actus iustitiæ specialis commutatiuæ, quo restituitur alicui, quod suum est, aut quod sibi debetur per legem veræ iustitiæ bonorum animæ, corporis, & honoris *Nauar. cap.16. num.6.*

2 Iustitia duplex est, particularis, & generalis. Particularis est vna ex quatuor virtutibus cardinalibus, cuius proprium est reddere vnicuique, quod suum est: Generalis, aut legalis duo importat, vnum in Principe legem condente alterum in subditis Principi. In principe importa facultatem leges condendi ob bonum publicum. In subditis verò importat obligationem reddendi debitam obedientiam, & reuerentiam, vt bene ait *S.Th.2.2 q.61.art.1.*

3 Datur maxima differentia inter iustitiam legalem, aut particularem, nam ex violatione iustitiæ particularis, cum alterius damno, nascitur obligatio restituendi, sed non ex violatione iustitiæ legalis, dummodò tamen violans iustitiam legalem non teneatur ex officio bonum publicum conseruare, vt accidat, quando Iudex, vel satellites furtum non impediunt, quod ex iustitia impedire tenetur. *Bonac.tract.de restitut.nu.2.Lessius lib.2.cap.1.dub.3.num.11.*

4 Hinc sequitur furem teneri ad restitutionem, quia per furtum violauit iustitiam commutatiuam particularem, sed non tenetur soluere pœnam, qui veritatem negauit in iudicio, cui esset condemnatus, si confessus fuisset veri-

tatem Iudici, nam violauit iustitiam publicam, sed non iustitiam commutatiuam particularem. *Bonac. loc. cit. num. 7. Lessius loco citat. Sanchez in Summa lib. 2. c. 22 nu. 22.*

5 Tres sunt radices restitutionis. Prima oritur, vel ex commissione contra iustitiam proximo debitam, vel ex omissione iustitiæ debitæ proximo. Secunda oritur, vel ex delicto, vt furto, homicidio, vel quasi delicto, vt cum quis lædit non dolo, sed ex imprudentia, vel negligentia, vel ignorantia culpabili, vt Iudex qui ex ignorantia male iudicauit, tenetur ad damna: vel ex contractu, vt mutuo, venditione, vel huiusmodi, vel ex quasi contractu, vt negotijs gestis. Tertia nascitur, vel ex re accepta, vel ex iniusta acceptione, vel ex vtraque. Ex re accepta tenetur quis, quando habet rem apud se, quam nouit asse alterius. Ex iniusta acceptione tenetur quis, quando iniustè rem alterius occupat, puta furto, vsura, & similibus. Ex vtraque tenetur, quis quando rem proximi apud se retinet bona fide, postea incipit esse in mala fide. *Caietanus q. 62. art. 6. Filliuccius tract. 32. numer. 17. Petrus Nauarr. lib 2. cap. 1. num. 8. Couar. regula peccatum, part. 2. art. 1.*

6 Aduertendum est, quòd iustitia duplex est, alia commutatiua, altera distributiua. Officium iustitiæ distributiuæ consistit in conferendis dignitatibus, officijs, & alijs similibus iuxta qualitatem, & merita personarum. Officium iustitiæ commutatiuæ consistit in restituendo vnicuique, quod suum est.

7 Ex violatione iustitiæ distributiuæ non oritur obligatio restituendi, vt accidit, quando superior confert beneficium, aut officium digno, omisso digniore; aut quando confert indigno, omisso digno. Ratio est, quia communiter Do-

ctores dicunt, quòd restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ; ergo licet peccet superior, hoc faciendo, non tenetur ad restitutionem ex violatione iustitiæ distributiuæ. Hæc propositio intelligenda est de beneficio non curato; nam si Prælatus beneficium confert curatum digno, omisso digniore, tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia Superior, siue Prælatus tenetur ex quasi contractu, qui quasi contractus fundatur in edicto, aut in lege præscribente beneficia conferri dignioribus; concurrentes si præualeant, acquiruntur ius, & consequenter in hoc casu non solùm peccat superior, hoc faciendo, sed etiam ad restitutionem tenetur. Vt benè refert *Bonac. loc. cit. nu.* 14. *Emman. sà, verbo restit. nu.* 51. *Caiet.* 2.2. *quæst.* 62. *art.* 2. *dub.* 2. *Petrus Nauarr. lib.* 2. *de restitutione, cap.* 2. *nu.* 144. & multi alij relati à dicto *Bonac. de beneficijs, &c.*

8 Non tenetur damnificans ad restitutionem damni sequuti ex proprio facto, si fuit sequutum damnum sine sua culpa; vt si ex venatione aliquem occidat. Ratio est, quia vbi non adest culpa, non adest obligatio restituendi, quia restitutio supponit peccatum contra iustitiam, sed vbi nulla est culpa, nulla est iniustitia; ergo &c. Hæc propositio confirmatur, ex *cap. vltimo, de iniurijs, & damno,* vbi sunt hæc formalia verba: Sanè licèt, quod occasionem damni dat, ipsum damnum dedisse videatur, secus tamen est dicendum in illo, qui nihil de contingentibus omisit, vt non occideret.

9 Dominus non tenetur ex facto serui in foro conscientiæ, vel ex damno illato ab alijs animalibus proprijs, vt si bos depastus est sata aliena, si non fuit in culpa. Ratio est, quia vt paulò antè diximus, obligatio restituendi semper est coniuncta cum iustitia; in foro verò exter-

no obligatur, vel compensare damnum illatum, vel dare seruum, aut animal pro noxa. *§. constituti, de noxalibus act. cap. fin. de iniurijs, & damno.* Si verò animal, vel seruus aggressi ab alio animali, illud occidant, tunc dominus non tenetur, neque in foro exteriori, vt habetur in *l. 1. §. cum arietes, ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*, & dictæ leges ciuiles non obligant ante sententiam Iudicis *Filliuc. tra. 32. nu. 79. Nauar. c. 1. nu. 4. Syluest. verbo restitutio, 2. in fine.*

10 Nouem sunt genera personarum cooperantium ad damnum alterius, quæ his duobus versibus continentur.

Iussio, consilium, consensus palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, nõ manifestans.

11 Per particulam, iusso, intelligitur is, qui præcipit, vel mandat damnum fieri: Per consilium, intelligitur consulens. Per consensum, intelligitur consentiens. Per verbum, palpo, intelligitur approbans, vel laudans. Per recursum, intelligitur is, qui refugium dat, vel securitas, vt accidit, quando quis recipit furem, vt malè agat. Per participante, intelligitur quicumque socius, & adiutor criminis. Per mutuum, intelligitur tacens, qui tenetur ex iustitia loqui, & non tacere. Per non obstantem intelligitur is, qui non obstat, cum ex iustitia obstare teneatur, & impedire. Per non manifestantem, intelligitur is, qui non manifestat, cum ex iustitia teneatur manifestare; Quicumque aliquo ex prædictis modis concurrit positiuè ad damnificationem, tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia vt suprà diximus; Qui occasionem damni dat, ipsum damnum dedisse videatur, dicto *cap. vltimo, de iniurijs,* Bonac. *disp. 1 q. 1. punct. 3. num. 2,* & alij communiter *cum S. Tho. 2. 2. q 62. art. 7.*

12 Non teneatur ad restitutionem, qui dubi-

tat, an sua ratione, aut consilio efficaciter cooperatus sit ad alterius damnum. Ratio est, quia in dubio est melior conditio possidentis, & reus in dubio est absoluendus, sed qui dubitat, an sua actione, vel consilio efficaciter cooperatus sit ad damnum, suam libertatem possidet; ergo melior est ipsius conditio, & per consequens ad restitutionem non tenetur. *Bonac. punct. 5. nu. 1. & 3. Lessius lib. 2. cap. 13. dub. 4 num. 38. Syluester, verb. restitutio, 3. quæsito 6. Reginald. lib. 10. tract. 2. n. 71. & 82. Sanch in summa lib. 5. c. 10. num. 44.*

13 Iubens, & mandans aliquod damnum fieri, si mandatum reuocauit tacitè, vel expresè, & reuocatio innotuerit mandatario, non tenetur de damno inde sequuto, & licèt mandans non teneatur de damno inde sequuto, si mandatum reuocauit, quia non influit in effectum; consulens tamen etiam si reuocauerit consilium, & innotuerit reuocatio consilij illi, cui datum est consilium, tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia consultus adhuc mouetur verbis consulentis ad damnum inferendum. Vide hunc casum supra de homicidio, & de irregularitate, vbi diffusè tractaui.

14 Consulens, vel mandans fieri delictum, ad quod patrandum mandatarius, vel consultus paratus erat absque consilio, non tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia in hoc casu mandans, & consulens, non censentur causa efficax damni, & quotiescumque quis non est causa efficax damni nunquam tenetur ad restitutionem. Ex hac propositione decidi possunt omnes casus, qui occurrere possunt circa hanc materiam. *Bonac. pun. 7. n. 2. Lessius lib. 2. c. 13. dub. 2. n. 5. Filliuc tr. 22 cap. 4 qu. 1. Petrus Nau. lib. 2. de rest. c. 4. num. 48.* In hoc tamen casu licèt consulens, vel mandans non teneatur ad restitutionem, peccat

tamen

tamen semper mortaliter. Si verò fuit datum consilium in contractibus, distinguendum est, aut fuit datum sine fraude, aut cum fraude; si sine fraude, tunc consulens non tenetur ex consilio, quia regula iuris est, quod nullus tenetur ex consilio, vt *in cap. nullus, de reg. iuris in 6.* si verò datum fuit consilium cum fraude, tunc consulens tenetur. Ratio est, quia dolus, & fraus nemini debent patrocinari: ita communiter Doctores.

15 Qui furi parato accipere quinquaginta, Titio, suasit accipere viginti Caio, de quo fur non cogitauerat, tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia censetur causa efficax damni respectu illius, cui damnum forte non fuisset illatum, & facit illi iniuriam, qui damnum patitur. *Bonac. dicto punct. 7. num. 14. Fillincc. num. 42. Reginal. num.* 106. & alij apud citatos Doctores.

16 Qui iusto metu coactus participat in opere non intrinsecè malo excusatur à peccato, & consequenter ab obligatione restituendi. Vndè Christiani capti a Turcis nauigantes metu mortis in triremibus Turcarum contra Christianos non solùm excusantur ab excommunicatione, in Bulla coenæ, sed etiam à restitutione. Ratio est, quia præstant opus indifferens. Hæc propositio est intelligenda, quando non oritur magnum incommodum Christianæ Reipublicæ; nam tunc potius subire debent mortem, quam remigare contra Christianos, quia bonum publicum priuato præferri debet. *Bon. disp. 1. qu. 2. pun.* 10. *num.* 3. *Lessius lib.* 2. *c.* 9 *dub.* 8. *Fil. tr.* 32. *cap.* 3. *quæst.* 11. *num.* 68. *Reginal. lib.* 21. *c.* 8. *num.* 119.

17 Non tenetur ad restitutionem impediens alium sine vi, aut fraude, ne consequatur aliquod officium, vel beneficiũ; si verò per vim, & fraudem impedit, ne alter beneficium, vel officium consequatur, qui dignus erat, tenetur ad restitu-

tionem arbitrio boni viri, secus si impediat, qui non erat dignus. Ratio est, quia indignus nullum ius habet, & quod dictum est de digno, intelligendum est, si spem habebat, secus si spem non habebat. *Bonac. punct.* 12. *n.* 6. *Lessius lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 18. *num.* 125. *Filliuc. tract.* 22. *c.* 4. *qu.* 12. *num.* 71. *Bannes*, & alij apud concitatos.

Quid, & quantum restituendum est.

18 Ipsamet res est restituenda, quæ sublata est, aut de quo est debitum, & si reddi non possit ipsamet res, quia fortasse est consumpta, redditur valor, si est res pretio æstimabilis, & probatur *ex auth. hoc nisi, C. de solut.* immò debitor restituere tenetur damna, quæ creditor iniustè passus est ob culpam ipsius, & restituere tenetur expensas, quas dominus in re sua, quæ redditur, fecit. *Bonac q.* 2. *punct.* 1. *nu.* 1. *&* 2. *Nauar. cap.* 17. *num* 24. *Petrus Nauar. Rodriquez*, & alij apud præcitatos Doctores.

19 Tantum restitui debet, quantum sufficit, ad faciendam æqualitatem damni illati, vel debiti, si quantitas debiti, vel damni sit certa, tantumdem restitui debet, si verò incerta restitui debet arbitrio boni viri, siue viri prudentis, consideratis periculi, circumstantijs temporis, loci, & personæ. Vndè qui segetes conculcauit antequam peruenerint ad maturitatem, tenetur restituere arbitrio prudentis, non solùm quanti res valebat tunc creditori, sed etiam quanti tempore messis valuisset, detractis laboribus, expensis, & habita ratione periculi. *S. Thom.* 2. 2. *qu* 62. *art.* 4 *ad quartum. Filliuc. tract.* 22. *cap.* 10. *num.* 265. *Bonac. q.* 3. *punct.* 1. *num* 8. *&* 9.

20 Hinc sequitur vsurarium, & furem non teneri restituere id, quod lucrati sunt ex pecu-

nia

nia vsuraria, aut furtiuè accepta, immò committeret vsuram, qui illud accipere vellet, nisi quando acciperet pro suo interesse. *Sotus in 4. dist. 15. q. 2. can. plerique, & can. fin. 14. qu. 3. Nau. cap. 17. num. 25.*

21 Meretrices restituere non tenentur, quod acquisierunt ob mercedem operæ illarum illicitæ: ita communiter Theologi cum *S. Th. 2. 2. qu. 32 art. 7. Canonistæ 14 q 5. & Iuristæ, l. 4. ff. condict. ob turpem causam.* Idē dicendum est de alijs fœminis, aut masculis cuiuslibet ordinis, qui ob operam fornicariam aliquid recipiunt, sed in hoc differunt meretrices ab alijs personis; nam meretricibus permissum est in foro externo petere pretium eis promissum. Ratio est, quia sicut in foro externo toleratur meretricium, ita etiam datur actio petendi pretium, *l. 4. ff de condict ob turpem causam, Bart. in d. l. 4. Nau. c. 17. n. 31 Cou. ad regulam peccatum, pu. 2. n. 2.* alij verò fœminis non est permissum petere pretium promissum, *l. mercalem ff. de condict. ob turpem causam.*

22 Promittens pro aliquo opere illicito patrando, non tenetur soluere promissum ante opus illicitum; post patratum promittens tenetur, & quamuis pactio, & acceptio pretij ob rem turpem, antequam fiat, illicita, fit, tamen postquam facta est, non est illicitum petere, & accipere pretium antea promissum. Ratio est, quia sicut alter adimpleuit quod promiserat, ita etiam promittens seruare tenetur suam promissionem. *Fill. tr. 41. c. 9. n. 227. Bon disp. 1. q. 4. pu. 3. n. 2. Reg. n. 185. Lessius lib. 2. c. 18. dub. 3. nu. 18.* & alij apud *Sanchez in operibus moralibus lib. 2. c 38 num 96.* In foro tamen externo secundùm Iuristas, & Canonistas non oritur obligatio soluendi promissum ob operam illicitè factam, vt homicidiū, vt probatur *ex l. eleganter, ff. de verborum oblig.*

23 Acquisita ob turpem causam, etiam voluntariè data, sunt restituenda, quando lex positiua facit inhabilem acquirentem; vndè acquisita per simoniam realem, sunt restituenda. Munera pro gratia, vel iustitia, pro sponsionibus super vita, & morte, & futura electione Summi Pontificis, creatione Cardinalium sunt pauperibus restituenda; vt constat *ex Bullis Gregorij XIII. & XIV. & Clementi VIII.*

24 Aduertendum tamen est, quòd acquisita ob operam illicitam sunt restituenda illi, à quo fuerunt accepta, quando lex reddit inhabilem ad acquirendum dominium, nam qui tradit, non transfert dominium rei in accipientem, nisi aliter decernatur à iure in pœnam tradentis, vt in beneficio simoniacè accepto. *Bonac.q.3.punct.3. num.13. Reginald.nu.120. Lessius dub.8.nu.61. Petrus Nauar.lib.4.c.2.num.146.*

25 Bona inuenta, quorum dominus ignoratur pauperibus restitui debent, facta prius diligentia sufficienti in inquirendo. Ratio est, quia communi consuetudine ita receptum est, quæ vim legis habet, vt huiusmodi bona in pauperes erogentur, si verò inuentor sit pauper, potest pro se illa retinere. *Bonac.disp.1.q.3 pun.4 num.3. Filliuc.tract.32.c.4.n.95. Lessius lib.2.c.14.num.49.*

26 Bonæ fidei possessor, qui bona fide habuit rem, & non fuit in mora restituendi, si apud ipsum perit, ad restitutionem non tenetur, nisi factus sit locupletior ex ea in aliqua re. Ratio est, quia illa res succedit in locum rei, quæ perit, aut consumpta est: ita *Filliuc. loc.cit n 82. Bonac.loc. cit.pun.10.n.3. Lessius lib.2.c.12.dub.15.nu.98.*

27 Malæ fidei possessor non tenetur ad restitutionem, quando apud ipsum res perit, si absque culpa debitoris perit, vel eodem modo erat peritura apud dominum. Ratio est, quia *in l.1. ff.*

ad

ad legem rhodiam de iactu. habetur nautam non teneri ad restitutionem, quando transtulit merces ex vna naui ad aliam deteriorem inuito domino ipsarum, in qua perierunt, pereunte prima in eadem tempestate, & in hoc casu nullum damnum domino affert. *Filliuc. nu.* 1;3. *Lessius loco cit, n.* 91. *Bonac. dicto punct.* 10. *n.*... *Nauar c.* 17. *num.* 8. sed quando dubitatur si certè peritura esset apud dominum, tunc ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia in dubio est melior conditio innocentis. *Lessius loco citato num.* 92. *Bonac. num.* 8. *Reginald. lib.* 8. *tract.* 1. *nu.* 46. & alij.

28 Bonæ fidei possessor restituere non tenetur si fructus industriales, acceptos ex re aliena bona fide possessa, sed naturales, & mixtos tam pendentes, quàm acceptos si existant, tenetur eos restituere; si sunt consumpti restituere tenetur id, in quo factus est ditior, deductis expensis, & valore industriæ, ita communiter Theologi, & Iuristæ reste *Bonac. disp.* 1. *q.* 3 *punct. vlt. nu.* 7. *Azorius lib.* 4. *c.* 20 *Lessius lib.* 2. *c* 14. *dub.* 2.

29 Malæ fidei possessor restituere tenetur fructus, quos ex re aliena percepit, quam ipse meliorem effecit, licet domnus meliorem illam non effecisset. Ratio est, quia res domino fructificat, & non malæ fidei possessori, & illa melioratio cùm sit affixa rei, ad dominum pertinere debet, & per consequens illi fructificare debet. *Nauar. c.* 17 *num.* 15. *Lessius loco cit, c.* 23. *dubio* 16 *Bonac. disp.* 1. *q.* 3. *punct. vlt.* §. 2 *num.* 2.

30 Hinc sequitur malæ fidei possessorem restituere teneri fructus, quos accepit, & consumpsit, quamuis ex illorum consumptione factus non sit ditior, & dominus eos non accepisset. Ratio est, quia vt diximus, res fructificat domino, & ideò ad ipsum restitui debent fructus, etiam si dominus eos non percepisset. *Filliuc.*

liuc.cap.4.num.59.Bonac. loc.cit. num. 4. Lessius lib.2.cap.12.dub.17 num.118.

31 In foro externo malæ fidei possessor restituere tenetur fructus, qui percipi potueraut ex re aliena.vt patet ex *l.si fundum, C.de rei vendic.*sed quia ille textus, cum sit pęnalis, non videtur obligare ante iudicis sententiam, & pœnæ soluendæ non sunt ante sententiam Iudicis,vt benè obseruat *Bon.loc.c.n.6.Sanch. in summa lib. 2.cap.32.num.128.*

32 In foro conscientiæ distinguitur, aut dominus eos potuerat percipere, aut non. Primo casu certum est, possessorem malæ fidei teneri ad restitutionem, quia reputatur causa efficax damni,& lucri cessantis.Secundo casu non teneri,quia nullum damnum domino intulerit, vt ait *Bon.dicto punct.vltimo,§.2.n.... Less loc.c.nu.106. Syluest.verbo restitutio 3. quæsito 9.*

33 Aduertendum tamen est,quòd licèt malæ fidei possessor detrahere possit tantùm expensas necessarias, in aliena re facta, & non voluntarias, & vtiles in pœnam delicti, vt probatur *ex l.1.C.de infantibus expositis,& ex l. domum, C.de rei vendit.* In foro tamen conscientiæ etiam ipsas detrahere potest.Ratio est, quia expensæ cedunt in vtilitatem domini, gratia cuius res facta est melior, & fructuosior per illas expensas. Vt ait *Filliuc.tr.32.c.2.q.4.n.9.Lessius l.2.ca.12. dub. 17.nu.111.Bon.loc.c.nu.9.*

34 Bonæ fidei possessor, si dubitare incipit post possessionem, bona fide captam facta diligentia morali ad assequendam veritatem, si remanet dubium, non tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia in dubio, melior est conditio possidentis. Hæc propositio non solùm locum habet in materia iustitiæ, sed etiam in materia aliarum virtutum, exceptis quibusdam casibus

in

in iure expressis; vt est casus irregularitatis in dubio homicidij. *Filliuc. loc. c. n. 91. Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 1. Garzias de beneficijs 7. p. c. 1. n. 14.* & multi alij apud *Vasquez q. 65. n. 13. disp. 1. q. 2. pun. 2 §. incidens nu. 1.*

35 Possessor malæ fidei, dubitans rem esse alienam adhibere tenetur debitam diligentiam, ad rei veritatem inuestigandam, si verò facta diligenti inquisitione, inuenire non potest veritatem, restituere tenetur rem inter eos, quorum esse dubitat pro rata dubij. Ratio est, quia possessio non suffragatur malæ fidei possessori, sicut bonæ fidei: ita *Bon. dicto pun. 2. n. 11. Less. l. 2. c. 14. dub. 14. Filliuc. tr. 32. cap. 4. nu. 19.*

36 Consumens rem alienam, bona fide possessam, credens esse suam, ad restitutionem non tenetur, nisi ex illius consumptione factus sit ditior. Ratio est, quia in *l. item, §. præter hæc verba, ff. de pet. hæred.* habentur hæc verba, eos autem, qui iustas causas habuerunt, quare bona ad se pertinere existimassent, vsque eo dumtaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent condemnandos esse, *l. sed & si lege. § item si rem, & l. si rem, & pretium. ff. de petit. hæred. S. Thom. 2. 2. quæst 62. art. 6.*

37 Hinc sequitur illum, qui bona fide apud amicos rem furtiuam consumpsit, teneri ad restitutionem illius, in quo rei suæ pepercit. Quapropter qui apud amicum pullum comedit furtiuum valentem quatuor iulios, sed domi suæ comederet solum cibum valoris vnius iulij solùm tenetur ad restitutionem vnius iulij, quia in hoc factus censetur ditior. *Sonac. disp. 1. quæst. 2. punct. .... n. 13. Vasquez, c. 9. de restit. § 2. nu. 25.*

38 Bonæ fidei possessor restituere non tenetur fructus naturales, vel mixtos, quando illos bona fide possedit per triennium. Ratio est,

quia res mobiles , & per se mouentes vsucapiuntur spatio triennii , & hoc locum habet , etiam si vltima dies triennii solùm sit inchoata, *l. in vsucapione 6. ff. de vsucap.* quamuis in præscriptione rerum immobilium requiratur integrum tempus de momento ad momentum, *l. in omnibus, ff. de act. & obligat. Bonac. loc. cit. num. 10. Molina tom. 2. par. 2. disp. 718. n. 8. Couar. lib. 1. variarum cap. 3. num. 7.*

Cui facienda est restitutio.

39 REgulariter loquendo res restituenda est domino , siue sit dominus absolutus, siue sit dispensator, vt sunt Prælati Ecclesiæ. Hæc tamen propositio intelligenda est de possessoribus malæ fidei ; nam possessores bonæ fidei, qui rem alienam habuerunt titulo oneroso, postquam cognouerunt rem alienam esse non tenentur restituere illam domino, sed restituere eam possunt illis, à quibus bona fide acceperunt , vt consequi , & recuperare possint pretium . Ratio est, quia nemo tenetur ex charitate , vel ex iustitia magis prospicere bono alieno , quàm proprio, vt benè ait *Bon. disp. 1. q. 4. pun. 2. n. 1. Toletus lib. 3 cap. 17. n. 12. Nauarr. cap. 17. num 6. Syluester, verbo restitutio 3. quæsito 10.*

40 Dixi, regulariter, nam multi dantur casus, in quibus non est facienda restitutio Domino . Primus , quando dominus est furiosus, aut prodigus, aut habet tutores , vel curatores. Secundus , quando Prælatus est dissipator bonorum Ecclesiæ . Tertius, quando ignoratur dominus rei . Quartus, quando dominus est absens, aut in aliquo loco, in quo illi mitti non potest, aut cum mitti possit non sine magno periculo , aut scandalo, tunc facienda est restitutio Christo hære-

di

di vniuersali omnium incertorum, vt probatur *ex canone 1. ad hebraos, canone qui iure 8. distinct.* diuidendo illa bona pauperibus, aut alijs operibus pijs vt ait. *Nauarrus cap. 17. num. 29. cap. cum de vsuris.* Quintus, quando res accepta est á fure, licet dominus non sit; ipsi restituenda est, quando restituens furem timet, & restituere non potest domino rem sine damno propriæ personæ, cessante iusta causa, & alij incommodis, semper res restituenda est vero domino. *Filliucc. tr. 32. c. 14 num 44. Nauarrus loc. cit. num. 30. Syluester verbo restitutio 4. §. 1.*

41 Si quis soluat creditori sui creditoris, quod debet suo creditori, satisfacit, & non tenetur ad nouam restitutionem. Ratio est, quia nullum damnum infert suo creditori, cum ipsum liberet debito, quo tenebatur obstrictus erga suum creditorem, immò potius sibi damnum afferat, cum suus creditor possit illum per Iudicem compellere ad sibi restituendam rem debitam, si res; quam restituit creditori sui creditoris, illi non erat obligata, vt dicit *Bartol. in l. solutum, ff. de pignorat. act. Filliucc. c. 15. q. 6. nu. 151. Bonac. punct. 3. num. 1.*

Vbi facienda est restitutio, & cuius expensis.

42 QVando restitutio nascitur ex re bona fide accepta, & sic ex iusta acceptione, facienda est restitutio in loco, vbi reperitur res tunc temporis, quo cognoscitur esse res aliena, nec tenetur possessor bonæ fidei illam mittere domino expensis proprijs, quia non est conueniens, vt patiatur aliquod damnum ex restitutione rei alienæ, bona fide habitæ, vt probatur *ex l. possessor, ff. de petit. hared* sed quando restitutio nascitur ex delicto, vel quasi, & sic ex iniusta

iniusta acceptione, facienda est restitutio eo loco, vbi dominus eam erat possessurus, si non fuisset ablata. Ratio est, quia in hoc casu dominus non debet vllum damnum pati, cum ipse illam amiserit iniquitate debitoris, *ita S. Thom. & Caiet. 2.2. q. 62. art. 5. Bon q. 5. pun. vnico n. 1. & 4 Filliuc t. 4. nu. 110.*

43 Orta fuit olim hic Romæ maxima controuersia, an qui mutuauit mille aureos Indiæ cum pacto, & conditione, vt elapso certo tempore, petere posset suum ab illo, qui mutuum accepit vbicumque reperiretur, postea fuit inuentus hic Romæ, an petere possit integrum mille, aut deduci possint cambia, in conducendo pecuniam ab India Romam vsque.

Respondeo, quod debitor liberatur soluendo illa mille Indiæ, aut etiam hic Romæ, deductis cambijs. Ratio est, quia lex non solùm locum habet in debitis alterius speciei, sed etiam in pecunia, *lib. 1. ff. de eo quod certo loco. Nauarr. cap. 17. nu. 43.*

Quando facienda est restitutio.

44 Restitutio fieri debet statim ac commodè potest, & peccat tam ille, qui retinet rem alienam, quam qui furatur, & licet præceptum restitutionis sit affirmatiuum, nihilominus includit aliquo modo præceptum negatiuum, non retinendi rem alienam, & præcepta negatiua obligant semper, & ad semper, affirmatiua verò non obligant nisi semper, & ad certum tempus. *S. Th. 2. 2. qu. 3. art. 2. Filliuc. tr. 32. c. 4 qu. 11 nu. 116* Bonac. *qu. 6. pun. vnico nu. 1.*

45 Ex hoc sequitur debitorem ex delicto, aut ex quasi, teneri sub mortali, statim ac commodè potest, restituere, aliàs iudicatur esse in

mora, sed debitor ex contractu, aut ex quasi, tenetur statim, ac elapsus fuerit terminus constitutus solutionis, etiamsi non admoneatur, nam dies interpellat pro homine, *cap. fin. de locato, & conducto*, si verò terminus non fuerit constitutus ad soluendum, debitor non peccat, nec dicitur in mora, antequam admoneatur, quia in hoc casu videtur creditor concedere dilationem; Hæc tamen propositio est intelligenda; modò creditor sciat, & petere possit, secus verò si ignorat, aut petere non possit ob timorem, aut impotentiam. *Sylu. verb. mora, quæsito* 1. *Bon. loc. c. nu.* 2. *Regin. lib.* 10. *tr.* 2. *nu.* 223. *Nauar. nu.* 79.

46 Retinens rem alienam, toties peccat, quoties intentio illius non restituendi moraliter interrumpitur. Ratio est, quia tot peccata committuntur ab illo, qui data occasione, non restituit, quot sunt actus intentionis non restituendi moraliter interrupti: intentio non restituendi moraliter interrumpitur per somnum, contritionem, &c. *Bon. dicta q.* 6. *n.* 11. *Nau. loc. c. n.* 54. *Caiet.* 2. 2. *qu.* 66. *art.* 6.

47 Confessarius absoluere non debet eum, qui statim restituere tenetur, si prius actualiter non restituat, si sæpius eidem, vel alteri confessario restituere promisit. Ratio est, quia pœnitens absolui non debet, quamdiu existit in occasione peccandi, vt patet à simili de illo qui domi detinet concubinam, sed in casu nostro, qui potuit, & noluit restituere statim, esse censetur in occasione peccandi proxima; ergo in hoc casu non est impertiendum beneficium absolutionis pœnitenti. *Bonac. nu.* 18. *Filliucc. num.* 117. *Azorius* 3. *part. lib.* 4. *cap.* 4. *qu.* 4. *Caiet. in summa verb. restitutio cap.* 6. & alij apud citatos DD. & maxima prudentia requiritur in confessario; ne decipiatur à pœnitente in extorquendo abso-

absolutionem peccatorum ante realem præstitam restitutionem *Filliucc.loc.cit.*

48 Confessarius restituere non tenetur si absoluat pœnitentem ante realem restitutionem, neque restituere tenetur, quando sua culpa, vel malitia non admonet pœnitentem ad restitutionem faciendam, quam pœnitens fecisset, si Confessarius beneficium absolutionis denegasset. Ratio est, quia confessarius non tenetur ex officio, & ex iustitia prospicere bonis temporalibus aliorum, sed bono spirituali pœnitentis. Hæc propositio limitatur, modò confessarii omissio, & negligentia non habeat rationem consilii; Confessarius enim tenetur ad restitutionem; quando pœnitenti obligatio restitutioni dicat ipsum non teneri, aut quando ex ignorantia crassa, seu lata culpa dicat pœnitentem teneri facere restitutienem vni, cùm alteri teneatur; In istis enim casibus tenentur ad restitutionem, quia est causa efficax damni ratione consilii, vel ignorantiæ crassæ. *Bon.disp.1. q.2.pun.11. nu.15. Suar.de pœnitent.dist.32.sect.6.n.9. versic.ego vero, Regin l.10.tr.2 n.42. Lessius dub.10.n.78. Azorius 3.p.lib 4 c.16. qu 3.*

49 Debitor anticipare potest solutionem, quando terminus appositus fuit in eius fauorem, & creditor acceptare tenetur solutionem. Ratio est, quia terminus apponitur ad sollicitandam solutionem, sed quando terminus fuit appositus in fauorem creditoris, debitor, anticipare non potest solutionem contra voluntatem creditoris. Ratio est, quia fieret iniuria creditori, habenti ius, ne sibi ante præfixum tempus solutio fieret. Ita determinatur *in l.eum qui, ff. de anniis legat. Bon.disp.1.q.6.num.21. Syluest. verbo legatum num, 6.*

Quo

Quo ordine facienda sit restitutio.

50 Qui plura debita habet, quorum aliqua sunt ex delicto, & aliqua ex contractu licito, soluere non debet priùs contracta ex delicto, quàm ex contractu, neque è contra, modò res, quæ restitui debet, non extet apud creditorem. Ratio est, quia bona debitoris non sunt plus hypothecata creditoribus, quibus facienda est restitutio ex contractu licito; quàm aliis. *Bon.loc.c n.11.Reg.l.10.n.223.Less.l.2.c.15.dub.3. n.16.Filliuc.nu.124.*

51 Quando soluenda sunt debita, prius fieri debet solutio creditoribus habentibus hypothecam, vel pignus, quàm creditoribus non habentibus hypothecam, vel pignus, qui propriè dicuntur chirographarij creditores. Vt patet *ex l. eos, C. qui potior in pig. habeatur.*

52 Quando eadem res fuit hypothecata pluribus creditoribus, sed non sufficit ad satisfaciẽdum omnibus: Primò fieri debet restitutio, regulariter loquendo illi cui prius fuit hypothecata iuxta regulam iuris: Qui prior est in tempore potior est iure. Dixi regulariter loquendo, quia dantur aliqui casus, in quibus posterior præfertur habenti prius hypothecam. Primus est, quando quis mutuauit pecuniam ad reparandam domum, aut nauim, nam iste præferri debet aliis creditoribus habentibus expressam hypothecam in illa domo, vel naui, *l.5.ff. qui potior in pig. habeatur*. Secundus casus est, quando aliquis dedit pecuniam ad aliquam rem emendam. Tertius casus est, quando quis mutuauit pro vectura mercium, vel pro conductione ædium, in quibus merces conseruantur, *lib.6.C. qui potior in pig. habeat*. Quartus est in hypotheca dotis,

nam tunc bona mariti, ita remanent obligata, vt vxor, & eius descendentes necessarij in restitutione dotis alijs creditoribus, habentibus priùs hypothecam tacitam, præferuntur, *l. assiduis, C. qui potior in pig. hab.* & hoc etiam valet in dote putatiua, quia mulier bona fide contraxit matrimonium, *dicta l. assiduis*. Quintus est, quando quis emit à debitore rem obligatam duobus, si ex pretio fuit satisfactum primo creditori, emptor succedit in iure primi creditoris quo ad pretium, quod soluit primo creditori, *l. qui à debitore, ff. qui potior, in pig. hab.* Sextus, quando eadem res fuit obligata duobus, priori scriptura priuata, posterior publica; in foro externo præfertur ille, cui res fuit obligata scriptura publica, nisi prior creditor habeat scripturam priuatam factam, vel subscriptam manu debitoris, & simul subscriptam manu trium aliorum testium, huiusmodi enim scriptura, scripturæ publicæ æquiparatur, *l. scriptura, Cod qui pot. in pig. hab.*

De Causis excusantibus à restitutione.

53 MVltæ sunt causæ, quæ excusant à restitutione. Prima est impotentia, & dicitur non solùm impotens, qui constitutus est in extrema necessitate, sed etiam qui non potest commodè idest, sine damno suorum bonorum, aut altioris ordinis: vt sunt vita, & salus, respectu famæ, & bonorum, & illa fama respectu bonorum temporalium aut non sine damno magno bonorum, quæ sunt eiusdem ordinis, quia aliqua dilatio parum nociua creditori excusare potest, ita etiam qui restituere non potest statim bona aliena fortunæ sine amissione propriorum suæ vitæ, & salutis, aut famæ, restituere non tenetur statim, nam nullus restituere tenetur regulariter

bona aliena inferioris ordinis cum iactura bonorum altioris ordinis, ita etiam neque tenetur restituere statim aliena ordinis, & qualitatis inferioris cum iactura propriorum altioris ordinis, *Nauarr c.17.num.55.& 87. Bon.disp.1.q.vltima, punct.1.nu.11.Caiet.2.2.qu.62.art.6.ad quartam.*

54 Ex hoc sequitur fœminam nolentem manifestare suum adulterium, vt infamiam euitet, aut vitæ periculum, non esse denegandam absolutionem; pro vt declarauit *Innoc.III in cap.officij, de pænit.& remiss.*

55 Secunda causa est præscriptio, siue vsucapio, modò tamen vsucapiens posséderit legitimo tempore, & bona fide.

56 Tertia est cessio bonorum. Ratio est, quia qui bonis cessit, censetur esse impotens ad satisfaciendum debitis existentibus post cessionem, quæ cessio in foro externo excusat, sed in foro conscientiæ non excusat, nisi quatenus necessitas excusaret fine cessione, si verò debitor peruenerit ad pinguiorem fortunam, tenetur ad restitutionem. Ratio est; quia cessio non eximit à restitutionis obligatione, neque per cessionem bonorum fuerunt extincta debita, ita Bonac. *loco cit.n.36 Filliuc.tr.32.c.5.qu.7. num.153.* Bart. & alij communiter teste *Gomesio 2.variar cap.11.n.52.*vbi de hac materia egregiè disputat.

57 Qui habet iustam causam differendæ solutionis, si differt solutione debiti ex contractu iusto, non tenetur ad restitutionem damni, quod interim patitur creditor ob dilationem solutionis. Ratio est; quia qui differt solutionem ex iusta causa non dicitur esse in mora soluendi. Hæc propositio locum habet, modò debitor non differat restitutionem ad euitandum suum detrimentum, quia non est par, vt debitor se seruet indemnem cum damno creditoris, quando debitor

bitor est soluendo, si differt solutionem debiti ex delicto, tenetur soluere creditori lucrum cessans, & damnum emergens, quod patitur creditor ex illa dilatione. Ratio est, quia non est conueniens, vt creditor patiatur damnum ob delictum alterius *Bonac.loc.cit.n.40. Molina disp. 754.n.3. Lessius l.3.c. 16.dubio 1.nu.33. Petrus Nauar.l.5.c.4.n.56.& alij apud citatos Doctores.*

De Restitutione, quæ ex ludo consurgit.

58 Ludus est contractus, quo ludens res suas periculo exponit spe acquirendi rem alienam.

59 Ludus duplex est, bonus, & malus. Bonus est ille, qui fit recreationis causa sine mala circumstantia. Malus est, quando est prohibitus à lege, aut vestitur mala circumstantia, & vt plurimum in suo genere est veniale, fieri tamen potest illicitus ex multis circumstantijs. Primò, quando misceantur dicta, aut facta praua, vt blasphemiæ, & iniuriæ. Secundò, quando interueniant fraudes contra leges ludi: Leges ludi dicuntur illæ, quæ seruantur in illo loco, in quo luditur, nisi illi, qui ludunt, conueniant ludere iuxta morem alicuius regionis, aut interuenerint inter eos alia pacta. Tertiò, quando ob dolum, aut per vim ad ludum pertrahitur. Quartò, quando ludus exercere cùm aliquo, qui exponere non potest ludo pecuniam; vt quando quis ludit cum seruo, Religioso, filio familias. Quintò, quando interuenit irreuerentia contra Deum. In istis enim casibus ludus est illicitus mortaliter; supposita grauitate materiæ, sed non est illicitus mortaliter ratione circumstantiarum sequentium. Primò ratione intentionis lucrandi; intentio enim lucrandi cum titulo iusto non

est

est ex se mala; vt communiter Doctores dicunt. Secundò ex circumstantia personæ: nam Clerici, & monachi aliquando licitè possunt ludere talis, & cartis lusoris ob iustam, & honestam causam, & licet prohibeantur à canonibus Clerici constituti in ordinibus sacris, aut beneficiarijs quantitatem notabilem ludere ludo alearum sub pœna depositionis, & priuationis ab officio, & beneficio; vt habetur *in cap. Clerici, il secundo de vita, & honest. Clerici, c. inter dilectos de excess. Prælat.* nihilominus excusantur à mortali, etiam si frequenter ludant, modò ludant absque scandalo. Ratio est, quia canones non videntur recipi cum tanto rigore; vt benè ait *Bon. disp. 2. q. 1. pun. 1. n. 12. Regin. l. 10. nu. 385. Filliucc. tr. 37. c. 4 q. 9. Lessius l. 2. c. 26. num. 5.*

60 Sicut ludi contractus ex sua natura non est illicitus, ita etiā est licita promissio, siue sponsio, quæ vulgariter appellatur, *scommessa*; nam promissio, siue sponsio est contractus, quo vterque se exponit periculo perdendi, & acquirendi, requiritur tamen, vt non sit dolus, vel dissimulatio: Quamobrem qui certò scit rem, pro qua spondet certò euenisse, vel euenturam esse, peccat, & tenetur ad restitutionem rei acquisitæ per sponsionem, nisi suam scientiam alteri manifestauerit, nam tunc est licita huiusmodi sponsio, quia scienti, & consentienti non fit iniuria, & censeri potest ea ratione facere donationem eius rei, quam alter assequatur *Fill. t. 37. c. 2. n. 19. & 23 Bon. l. c. nu. 18. Garzias de contract. 2. p. c. 13. Nauarr. c. 18. n. 18. Lessius loc. cit. dub. 1. num. 1.*

61 Aduertendum tamen est, quod licèt sponsiones sint ex natura rei licitæ, quia sunt de re, & euentu dubio, tamen sponsiones, quæ fiunt circa vitam, & mortem; vel creationem Summi Pontificis, aut circa promotionem Cardinalium

sunt illicitæ , & prohibentur iure positiuo sub pœna excommunicationis; vt clarè patet ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit: *Cogit nos*; de qua re vide *Filliucc. loc. cit. n* 30. *&* 31. *& Bonac. loc. c. & de censur. dis. 2. qu. 3. pun. 2.*

62 Aduertendum est etiam quòd omnis contractus celebratus inter inuicem ludentes non tenet, vt notat *Bart. in l. si quis cum sciret, in fine, ff pro empto*, neque valet transactio in ludo facta neque vendens in ludo tenetur de euictione, neque mutuans pecuniam lusoribus vt secum ludant, repetere potest, & hoc locum habet non solùm si mutuans sit ludens , sed etiamsi non ludat, modò mutet ludenti scienter , vel ludere volenti: *ita Sylu. verb ludus, n 9. in fine, vide glossam in l. 1. ff. de aleat. & penult. & vltim. C. eodem.*

De Conditionibus ad ludum requisitis.

63 MVltæ conditiones requiruntur, vt contractus ludi sit licitus. Prima, vt ludens non vtatur dolo, & fraude. Secúnda est, ne alter alterum compellat ad ludum per dolum , aut vim, aut verbis contumeliosis. Tertia vt ludens disponere possit de re, quam ludo exponit. Quarta, vt si æqualis conditio colludentium.

64 Excusari possunt, qui aliquibus fraudibus vtuntur in ludo, quæ iuxta loci consuetudinem adhiberi solent , vt si quis videat socium errantem in numerandis punctis , vel si certò alter agnoscens peiores partes sibi casu euenisse , & consequenter sibi amittendum esse, ex industria tamen augeat sponsionem; dissimulans se potiores partes habere, & ob id alter territus cedat, & prior sponsionem vincat, non tenetur ad vllam restitutionem, quia deceptio est iuxta leges ludi. *Filliucc. tr. 37. nu. 92. Bonac. disp. 2. qu. 3 pun. 2. nu. 2.*

2.nu.2. Azorius 3.part. lib.5. cap. 24. Lessius.

65 Non excusantur à restitutione, qui se fingunt esse imperitos in ludo, vt alios ad ludendum pertrahant, qui alioquin non luderent. Ratio est, quia censetur causa damni per fraudem. Doct citati.

66 Vxor insumere potest in ludo aliquid iuxta conditionem sui status, & filius familias exponere potest ludo bona castrensia, vel quasi, bona verò aduentitia, & profectitia non potest sine consensu patris, insumere tamen potest aliquid in ludo honesto, dum in aula, vel in studijs versatur, quia pater concedens filio alimenta, videtur etiam concedere honestam recreationem, quæ fieri solet communiter inter iuuenes eiusdem ætatis, & conditionis. *Filliucc. loc. cit cap. 7. qu. 2. & seq.* Bon. *num.* 10. *Lessius dubio* 5. *num.* 26. *Regin. & alij.*

67 Qui facultatem disponendi non habet de re, quem ludo exponit, vt filius familias, non potest sibi retinere lucrum, quod ludo acquisiuit, si hoc ignotum esset collusori, quia debet esse æqualis contrahentium conditio, si verò illi sit notum, restituere non tenetur. Ratio est, quia regula iuris est: Scienti, & consentienti non fit iniuria. Bon *dicta q. 3. pu* 2. *n.* 15. *Fill. n.* 124. *Leff. Molin. & alij apud citatos Doctores.*

68 In tribus casibus ludens cum seruo liber est à restitutione. Primus est, quando dominus sciens permittit seruum apud se habere aliquam pecuniam, siue datam à domino, vt ipse pro libito expendat, siue acquisitam sua industria, & labore. Secundus est, quando paciscatur cum seruo, vt quotidie certam pecuniam domino reddat ex sua industria. Tertius est, quando dominus concedit seruo certa pecuniam ob alimenta, ipse verò, parcè viuendo, seruat sibi ali-

quid. *Salas dub. 10. Azorius c.26. qu. 9. Filliuc c. tr.36.c.8.n.131.*

69 Religiosis exponere possunt aliquid ludo moderato, & conuenienti Religiosis. Ratio est, quia sicut Religiosus de licentia superioris donare potest aliquid, & in alium transferre, ita etiam ludere, & ludo alienare; ludo verò illicito, & excessiuo exponere non possunt aliquid neque de licentia superioris, immò neque superiorem posse sibi sumere hanc facultatem, & licentiam. Ratio est, quia Prælatus, siue superior non est dominus bonorum religionis, sed dispensator, vt supra diximus de donatione.*Lessius c. 4. dub.5.Salas dub.21.Filliucc.loc.cit.qu.3.n.133.*

70 Iure communi est prohibitus ludus aleæ, nomine cuius venit omnis ludus, qui fundatur magis in sorte, & casu, quàm in industria; vt ludus chartarum, & taxilorum, *vt in l. 1. & 3. ff.de aleat.* huiusmodi tamen leges sunt abrogatæ contraria consuetudine, & per consequens hoc tempore non obligant saltem sub mortali. *Ita Syluester, verb.ludus. Filliucc.tr.37.c.4.q.5.nu.58. Bonac pun.3.n.1.Lessius l.2.cap.26.dub.1.*

71 Qui perdidit, soluere non tenetur, quod perdidit pecunia credita, stando in iure communi, etiam si iurauerit se soluturum, quod perderet. Ratio est, quia iure positiuo statuitur, vt victus soluere non cogatur, *vt in auth. vt alearum, Cod.de religiosis, & sumpt.funerum*; immò conceditur perdenti, & ipsius hæredibus, vel parentibus, vt possint vsque ad quinquaginta annos repetere, ipsis verò non repetentibus, conceditur fisco repetitio; *vt in citata auth.*Bonacina *disp.2.qu.2.pun.3.nu.2.Reginald. lib.5.nu.151. Sanchez in summa lib.2.cap.23.num. 144.Filliuc. num.74.Nauarr.cap.18. nu.17.* ita etiam Carolus Quintus in Regno Hispaniarum in consilio facto

in

in Mantua anno 1517. prohibuit, ne quis ludere audeat sub fide soluendi, neque ludos licitos; vt est ludus pilæ,& declarauit omnes promissiones conuentiones esse vanas,& nullius momēti; quæ ob id fierent, vt benè ait *Nauarr.loc.cit.* Qui verò soluere iurauit, soluere tenetur, sed repetere potest solutum, sicut promittens soluere vsuram; soluere non tenetur, nisi iuramentum interuenerit, tamen post solutionem datur repetitio; si verò soluere nollet, tenetur iurans petere relaxationem iuramenti,& Prælatus concedere potest, *Nauar.loc.cit.Fill.n.85.Bon.dict.pun.3.n.2.Lessius,* & alij apud citatos Doctores.

72 Qui aliquid ludo acquisiuit, restituere non tenetur ante Iudicis sententiam, modò non impedierit Iudicem per fraudem, ne condemnaretur ad restitutionem, & neque est præceptum, vt ludo acquisitum restituatur pauperibus, dummodò fuerit acquisitum sine fraude,& dolo. Ratio est, quia ludus habet vim transferendi dominum, & multa facta tenent, quæ à principio fieri non possunt. *S.Tho.2.2.qu.32.art.7.Nauarr.c.18.nu.8.Bon.loc.cit.nu.8.*

De Restitutione famæ.

73 Tres sunt modi infamandi. Primus est, quando quis veritatem dicit,& iustò, vt cum aliquis crimen alicuius prodit ordine debito seruato, & tunc ad restitutionem non tenetur. Secundus est, quando quis falsum dicit,& iniustè, & tunc tenetur restituere famam, confitendo falsum dixisse. Tertius modus est, quando quis verum dicit, sed iniustè, puta cùm quis crimen alterius prodit contra ordinem debitum, & tunc tenetur ad restitutionem famæ quantum fieri potest sine mendacio, vt v.g. dicat

se malum dixisse, & fecisse, vel quòd diffamauerit illum iniustè, vel si non possit restituere famam debet ei aliter compensare, sicut in alijs rebus: *ita S.Tho.2.2.qu.62.art.2.ad secundum*, *& can.quidam 5.q.1.*& eadem est ratio de famoso libello,& cantilena, & fieri debet restitutio, vbi fuit facta infamatio eo modo, quo fuit facta siue publicè, siue secretè secundùm modum infamationis.

74 Contumelia specie differt à detractione, sicut rapina à furto. Ratio est, quia per detractionem clam læditur sicut per furtum; per contumeliam verò aperte, & in præsenti, sicut per rapinam offenditur, & sicut minus est peccatum furtum, quam rapina, ita minus est peccatum detractio, quàm contumelia, ita *S.Tho. communiter receptus 2.2.qu.72. art.1.*

75 Detractio fieri potest quandoque directè, quandoque indirectè. Directè quatuor modis, vno modo quando falsum imponit alteri crimen. Secundò, quando auget peccatum suis verbis. Tertiò, quando occultum reuelat. Quartò, quando id, quod est bonum, dicit mala intentione factum esse; Isti quatuor modi detractionis hoc versu continentur.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

76 Indirectè alijs quatuor modis fit detractio. Primò, negando bonum alterius. Secundò, malitiosè reticendo bona alterius. Tertiò, minuendo rectè facta. Quartò, ita laudando frigidè, vt hoc cedat in opprobrium laudati; Isti quatuor modi hoc versu exprimuntur.

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remissè.
Ita S.*Tho.loc.c.ad tertium, Filliucc.n.*88.*Bonac disp.2.qu.4.pun.1.nu.6.*

77 Si quis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractori consentire, vndè fit parti-

particeps peccati eius;si verò ei non placet peccatum,sed ex negligentia, vel etiam ex verecundia omittat repellere detractionem, peccat quidem, sed multò minus quàm detrahens, & plerumque est veniale. Potest tamen quandoque esse mortale, quando alicui ex officio incumbit corrigere detrahentem, vel propter aliquod periculum,& scandalum. *S. Thom. 2.2.q.73.art.4.in corpore.*

78 Non tenetur ad famæ restitutionem referens otiosè aliena delicta ab ipso audita,sed absque affirmatione, licet præstent ei fidem audientes. Ratio est, quia non præbet eis iustam causam credendi, nisi circumstantia personæ sit tantæ auctoritatis, vt illi facilè credatur, vel nisi ex huiusmodi narratione oriretur aliqua suspicio criminis narrati apud audientes, & est peccatum mortale narrare grauia crimina, audita cum periculo, vt eorum suspicio inferatur cordibus audientium, vt benè ait *Bon. dis. 2.q.4.pun. 5.n.1. Regin. lib.4.n.77. Fill. tr.40.c.4 q.5 n.34.& seq. Nauar. cap. 18. num.51.*

79 Non peccat mortaliter saltem contra iustitiam, qui manifestat crimen alterius alicubi publicum alibi, vbi nescitur. Ratio est, quia delinquens amisit ius ad famam per publicitatem criminis, & per consequentes manifestans illius crimen publicum, non facit ei iniuriam, *Bonac. loc.c.pun.6.nu.1. Filliucc. tr.22.nu.332. Regin. lib. 24.nu 85. Petrus Nauar. n.280.* contra nonnullos Doctores.

80 Manifestare alterius delictum, est licitum ad euitandum damnum temporale, aut spirituale proximi, modò illa reuelatio sit necessaria ad impediendum illud damnum. Ratio est, quia non quælibet manifestatio secreti delicti est detractio, sed quæ fit inordinatè, & contra charita-

tem; hæc autem non est inordinata, quia magis debemus consulere bono publico, & innocentis; ergo in hoc casu fieri potest manifestatio ad euitandum damnum proximi. *Bonac. disp.* 1. *qu.* 4. *punct.* 8. *nu.* 1. *Nauarr. cap.* 18. *nu.* 1. *Filliucc. tr.* 40. *nu.* 129 *Lessius dub.* 9. & 10.

81 Non peccat mortaliter qui se ipsum infamat. Ratio est, quia qui est prodigus suæ facultatis, non peccat mortaliter, ergo neque peccat, qui amittit suam famam, se ipsum infamando, nam sicut quilibet est dominus suæ facultatis, ita etiam & suæ famæ, & sicut diuitiæ acquiruntur propria industria, ita etiam, & fama; vt benè docet *Bonac. pun.* 10. *nu.* 1. *Nauar. cap.* 18. *n.* 27. *Lessius li.* 6. *Filli. n.* 113. & alij apud *Molinam disp.* 27. *n.* 3.

82 Filius non videtur peccare mortaliter, imponendo sibi falsum delictum vt à morte eripiat partem, vel amicum vel à tormentis. Ratio est, quia licitum est pro parente, vel amico vitam exponere modò tamen non adiungatur iuramentum falsum *Bonac loc. cit. n.* 9. *Lessius nu.* 4. *Molina nu.* 19. *Filliuc. n.* 116.

83 Detractor tenetur ad restitutionem damnorum, si manifestauerit verum crimen; sed occultum. Ratio est, quia iudicatur causa principalis damni, quod secutum non fuisset, si crimen ab ipso manifestatum non fuisset, & qui causam dat, ipsum damnum dedisse videtur. *Bon disp.* 2. *qu.* 4. *pun.* 16. *nu.* 1. *Molina tra.* 4. *disp.* 4. *Lessius lib.* 2. *cap.* 11. *dubio.* 19 *num.* 101 *Reginald. lib.* 10. *nu.* 355.

84 Multæ sunt causæ excusantes à restitutione famæ. Prima est, condonatio obligationis restitutionis famæ, modò condonatio non vergat in alterius detrimentum. Secunda est, quando infamia abijt in obliuionem. Tertia est, compensatio, quæ fieri potest in restitutione famæ, modò seruetur æqualitas personarum. Ratio est,

quia

quia ſicut in aliis rebus temporalibus fieri poteſt compenſatio, ita etiam fieri poteſt in famæ reſtitutione. Quarta eſt, quando quis manifeſtauit occultum crimen, quod poſtea factum eſt publicum. Quinta eſt, quando detractio fuit inefficax, vt quando audientes non crediderunt. Sexta eſt, quando infamans reſtituere non poteſt famam ſine vitæ periculo. Septima eſt, quando reſtitutio alterius famæ reſtitui non poteſt ſine damno notabili propriæ famæ. Ratio eſt, quia iuſtitia non obligat ad reſtitutionem cum damno notabiliter maiori, quàm damnum ſit illatum. *Bon.l.c.n.11.& 12.Filliucc.tr.32.nu.249.Salonius 2.2.q.62.art.2.controuerſ.13.coucluſ.1.*

85 Detractor reſtituere non tenetur famam defuncti hæredibus infamati, ſi illa infamia non redundet etiam in hæredes. Ratio eſt, quia fama, & honor non ſunt bona, quæ tranſeunt ad hæredes defuncti, ſicut bona hæreditaria, & in tali caſu tenetur exhibere ſatisfactionem pro defuncto per exhibitionem ſuffragiorum, & bonorum ſpiritualium; vt benè ait *Bonac diſp.2.qu.4. pun.2.Rebellus lib.4.de reſtitut. qu.1. Molina diſp. 44. num.3.*

De Iudicio Temerario.

86 QVia iudicium temerarium reducitur ad detractionem tamquam actus internus ad externum, eſt conueniens, vt hic de eo loquamur.

1 Iudicium temerarium dicitur, quando quis ex leuibus indicijs credit aliquem furtum, vel fornicationem commiſiſſe, ſi verò non credat, nec firmiter aſſentiatur, non dicitur committere iudicium temerarium, ſed ſuſpicio, ita *Bon. diſ.1.q.7. pun.1.nu.1.Regin.l.24.n.24.Fill.tr.4.c.1.q.2.n.2*

87 Non dicitur qui committere iudicium temerarium, malè iudicando de aliqua persona ex indicijs, & coniecturis sufficientibus. Ratio est, quia proximus iurisdictionem non habet, vt alter de ipso non malè iudicet quando adsunt sufficientia indicia, ad malè iudicandum, & consequenter qui malè iudicat ex sufficientibus coniecturis, non committit iudicium temerarium, & peccatum mortale, quia in tantùm committitur peccatum mortale, in quantum violatur ius proximi, vt ait *S.Th.2.2 q.6.art.3.Bon. loc.c.n.2. Reginald.nu.21*

88 Ex hoc sequitur non committi iudicium temerarium, si quis aliquē videt noctu scalas ascēdere ad ingrediēdum domum alterius, & iudicet ipsum ingredi ad patrandum aliquod delictum, modò non adsint circumstantiæ in cōtrarium, & istæ circumstantiæ considerari possunt, vel ratione loci, vel ratione personę. Ratione loci, quando quis videat iuuenem ingredi domum, quam solæ meretrices habitant. Ratione personæ, quando quis iudicat aliquod peccatum de aliqua persona, quam constat in eius generis peccato labi consueuisse: ita Doctores citati.

89 Non videtur nasci obligationem restituendi ex iudicio temerario. Ratio est, quia sicut non nascitur obligatio restituendi ex voluntate occidendi, & furandi, ita neque nascitur obligatio ex iudicio temerario, qui est actus merè internus, aliquando tamen consurgit obligatio restituendi ex iudicio temerario, quando iudicium temerarium alteri manifestatur; non manifestatis leuibus indicijs, in hoc casu committitur peccatum mortale, & consurgit obligatio restituendi sub mortali, posita grauitate materiæ, ita *Filliucc.n. 9.Bonac.dis.1.q.7.pun.2.n.2. Molina dis.16.num. 3.in fin.*

De

De Restitutione ob vectigalia defraudata.

90 IMponi possunt vectigalia ab illis, qui in suo regimine non recognoscunt superiorem, vt sunt Imperatores, Reges, Summus Pontifex, Respublicæ perfectæ, & Principes supremi: alij verò inferiores non supremi; vt Duces, Marchiones, imponere non possunt vectigalia, aut tributa sine consensu suorum superiorum, & isti tales contrafacientes incurrunt in excommunicationem Bullæ Cænæ, prout diximus supra de excommunicatione in Bullæ Cænæ, ita *Toletus lib. 1. cap. 2. Bon. disp. 2. q. 9. nu. 1. Nauarr. c. 27 nu. 61.* & alij communiter.

91 Vt iustè, & licitè exigantur tributa, aut vectigalia requiruntur. Primò, legitima auctoritas imponendi tributa. Secundò, requiritur iusta causa, vt necessitas Principis. Tertiò, requiritur, vt seruetur proportio; vt qualitas oneris distribuatur iuxta facultatem, nam iniquum est, vt pauperes magis grauentur quàm diuites: ita communiter, præsertim *Bon. loc. c. nu 2. Less. l. 2. cap. 33. dub. 1. Salas de legibus disp. 12. sect. 10. num. 118. Suar. de legibus l. 5. c 16.*

92 Qui vectigalia fraudat iustè imposita pro mercibus, non solum peccat contra iustitiam, sed ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia quod iustè exigitur, non potest sine peccato detineri, sed vectigalia iustè exiguntur, ergo non possunt absque iniustitia defraudari, *ita Syluest. verbo, gabella 3. Lessius lib. 2. c. 33. dub. 8. Filliucc. tr. 28. nu. 113. Bonac. dicta q. 9 nu. 3.*

95 Ecclesiæ, & personæ Ecclesiasticæ soluere non tenentur gabellas, aut datia licitè imposita à laicis, & imponentes, vel exigentes gabellas, vel tributa ab Ecclesia, vel à Personis Ec-

clesiasticis, vel ex eorum bonis, statim incurrunt in excommunicationem reseruatam in Bulla Cœnæ. *Nauarr. c. 17. nu. 201. Lessius lib. 2. c 33. dub. 5. n. 38. Bonac. disp. 2. qu. 1. pun. 2. num.* 10. Incurritur etiam excommunicatio non reseruata, *c. quam. quam de censibus in 6.*

96 Excipiuntur ab hac doctrina multi casus. Primus est, quando Clericus sumit habitum animo non perseuerandi in statu Clericali, sed in fraudem gabellarum. Secundus est, quando est Clericus coniugatus; Clericus enim coniugatus tantùm gaudet priuilegio fori, & canonis, si habitum, & tonsuram gerit, & virginem duxit. Tertius est, quando Clericus negotiationem exercet, vt probatur ex dicto *cap. quamquam de censibus*, si verò vendat frumentum, vinum, oleum, & similia, quæ ex proprijs bonis percepit, soluere non tenetur gabellas, quia non dicitur exercere negotiationem, vendendo res collectas ex propriis bonis, tam patrimonialibus, quam Ecclesiasticis, vt notat *Quaranta loc. cit. vers.* 11. *Syluester, verbo excommunicatio* 9. *num* 46. Quartus est, quando Clericus bona, seu possessiones oneri subiecta acquisiuit; vt onus soluendi Principi, nam tunc locum habet illud: Res cum onere transit. Iuxta *cap. pastoralis, & cap. cum non sit de decimis.*

De Restitutione in integrum.

97 Restitutio in integrum competit minoribus, qui non expleuerit 25. annum de iure communi, vt in *leg. ait Prætor, ff. de minoribus viginti quinque annis.*

98 Sex conditiones requiruntur, vt minor vti possit hoc priuilegio. Prima, vt sit læsus ex vi contractus. Secunda, vt sit contractus validus, nam

nam si contractus non sit validus minor non vtitur hoc priuilegio, sed alio communi. Tertia, vt læsio non sit modica. Quarta, vt minor probet læsionem, & se fuisse minorem eo tempore, quo fuit læsus. Quinta, vt non præstiterit iuramentum in ipso contractu, vel ante, vel post contractum, quo iurauit non vsurum restitutionis remedio, nam per iuramentum confirmatur contractus, vt minor gaudere amplius non possit priuilegio restitutionis, *auth. Sacramenta puberum, Cod. si aduers. vendit.* Sexta, vt veniam ætatis non impetrauerit à Principe, vel non ratificauerit contractum, postquam compleuerit 25 annum, vt communiter Doctores in *l. 1. & 2. C. si maior factus ratum habuerit.*

99 Hoc priuilegium extenditur per quatriennium ad Ecclesiam, & ad rem publicam, *cap. 1. & 2. de restit. in integr.* Simili gaudent priuilegio mulieres, & homines rudes, & milites pro eo tempore, quo nauant militiæ operam; gaudent tandem, qui ob negotia Republicæ gerenda absunt, ne contra eos currat præscriptio. *C. de temporibus in integr. restit.*

De Testamento.

1 TEstamentum est voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis fieri vult post mortem cum heredis institutione.

2 Duæ sunt species testamentorum. Vnum dicitur nuncupatiuum, seu sine scriptis, siue opertum. & est illud cum quo testator coram septem testibus ad hoc specialiter rogatis omni exceptione maioribus alta, & intelligibili voce suam vltimam voluntatem exponit, & declarat, hæredemque palam omnibus testibus audientibus nomi-

nominat, & quatenus hoc testamentum nuncupatiuum redigatur in scriptis, non desinit esse nuncupatiuum. Alterum dicitur solemne, siue in scriptis, seu clausum, ex eo, quia testator occultare velit quod in eo continetur.

3 Ad testamentum in scriptis requiritur; vt post confectam, & clausam scripturam adhibeantur septem testes masculi, puberes, liberi, vel qui liberi reputantur, & rogati, coram quibus testator vno, eodemque tempore indicet illud esse suum testamentum, & illud manu propria subscribat, si nouit, & subscribere potest; si verò ignorat, vel subscribere non potest, adhibeat octauum testem, qui pro ipso subscribat; notario vidente, & facta mentione se id fecisse de ordine testatoris. *l. hac consultissima, C. qui testamenta facere possunt*; si verò factum est testamentum propria manu non est necessaria subscriptio ipsius testatoris, nisi ad maiorem cautelam. *l. cum antiquissima, C. de testamentis.*

4 Ad validitatem huiusmodi testamenti requiritur etiam, vt omnes testes subscribant vno eodemque tempore, vnico loco, modò ibi reperiantur tot testes, qui scribere sciant, nam si ibi tot testes non reperiantur, vnus testis potest pro alijs subscribere, *l. sit, C. qui testam facere possunt*. Debent etiam testes apponere sigilla, siue signent proprio annulo, seu sigillo, siue alieno, & iure communi signare sufficit eodem annulo, dicta *l. hac consultissima*.

5 Ad testamentum in scriptis præter conditiones allatas, requiritur dies, annus, & mensis, quoties testamentum fit coram Notario scriptura publica. Ratio est, quia huiusmodi testamentum censetur publica scriptura: de ratione autem publicæ scripturæ est, vt ponatur dies, annus, & mensis, secus si testamentum scriptura

ra

ra priuata fiat, nam *in l. hac consultissima*, hoc non requiritur in testamento facto priuata scriptura, sed requiritur, vt huiusmodi testamentum publicetur. *Bonac. de testam. disp. 3. q. 17. num. 15. Vasquez de testament. cap. 1. §. 4 dubio 1. & 2.*

6 Quilibet concedere potest testamentum, nisi à lege prohibeatur, dummodò tamen habeat vsum rationis, & liberam administrationem bonorum, *ita commun. DD.*

7 Aliquæ personæ prohibentur ordinare testamentum. Primò, prohibentur non habentes vsum rationis, vt pueri, furiosi, qui lucida interualla non habent. Secundò, surdus simul, & mutus à natiuitate ordinare non potest testamentum ad profanas causas, ad pias causas verò validè disponere potest, cum in dispositione ad pias causas, & inter liberos necessaria non sit solemnitas iuris ciuilis, *ita Tuscus, verbo testamentum conclus.* 120. *num.* 13. *Bonac. disp.* 3. *q.* 16. *punct. 2. num. 2. p opè finem*. Tertiò prohibetur, qui articulatè loqui non potest, ita vt hæredem exprimere non possit. Quartò, impubes, qui non peruenerit ad decimum quartum annum, si sit masculus, si sit fæmina ad duodecimum, & qui ante dictam ætatem facit testamentum, inualidè facit, sufficit tamen vltimum diem, fuisse inchoatum *l. à qua ætate, C. qui testament. facere possunt*. Quintò, prohibetur prodigus, cui est prohibita administratio bonorum. Sextò, filius familias dum existit sub patria potestate; etiam si sit maior concedere non potest testamentum, quamuis hoc illi pater permittat, nisi habeat bona castrensia, vel quasi, de his enim testari potest, quia reputatur, vt pater familias; sicut enim Clericus non solùm de bonis castrensibus, vel quasi, sed etiam de bonis aduentitijs testari potest: nam bona aduentitia respectu Cle-

rici

rici reputantur quasi castrensia. Ratio autem quare filius familias condere non potest testamentum ad profanas causas etiam patre consentiente, est, quia testamentum est iuris publici, & ius publicum pactis priuatorum tolli non potest. *l. ius publicum, C. de pactis*. Dixi ad profanas causas, nam ad pias causas de bonis aduentitijs patre consentiente testari non prohibetur secundùm nonnullos. Septimò illi condere non possunt testamentum, quibus ob delictum interdictum est testari à iure, prout sunt vsurarij notorij, percussores Cardinalium, hæretici, damnati ob famosum libellum, & alij similes. Octauo. Religiosi, qui emiserunt votum paupertatis in approbata Religione, concedere non possunt testamentum, quia non habent nec velle nec nolle. Nonò serui, qui verè, & realiter serui sunt, testari non possunt, quia seruus quidquid acquirit, domino acquirit, *§. Item vobis, instit. per quas personas nobis acquiritur*.

8 Non solùm omnes personæ priuatæ institui possunt hæredes, & legatariæ, sed etiam communitas, modò sint hæreditatis capaces, & à lege non impediantur.

9 Multæ conditiones requiruntur ad validitatem testamenti. Prima est, vt instituatur hæres certus capax hæreditatis, qui succedat in vniuersum ius defuncti. Secunda est, vt instituatur hæres, qui de iure institui debet, vt si ius, aliàs nullum est testamentum, ipso iure, nisi fuerit nominatim cum causa exhæredatus, quæ causa fuit ab hærede infra annum probata. Tertia est, vt testator habeat administrationem bonorum, nec à iure sit prohibitus facere testamentum. Quarta, vt sit certus numerus testium, idest septem, qui sunt teste legitimi maiores, & rogati, *§. fin. instit. de testam.*

10 Tri-

10 Triplex est testis, superior Deus benedictus, interior propria conscientia, exterior proximus, qui duplex est idoneus, qui caret suspicione, & non idoneus, qui suscipione non caret, huiusmodi sunt pauperes, inimici, & consanguinei. *l. parentes C. de testibus domest.*

11 Multæ conditiones requiruntur in teste in testamento se subscribente: libertas, ne sit seruus: sexus, ne sit fœmina: ætas, ne sit impubes: intellectus, ne sit furiosus: fama, ne sit malæ vitæ: fortuna, ne sit pauper: & fides, ne sit infidelis, vel hæreticus; fidelis tamen contra infidelem esse potest testis. *cap. Iudæis de testibus.*

12 Dantur multi casus, in quibus sufficit ad testamentum minor numerus testium, quàm septem. Primò in testamento ad pias causas in quo duo testes sufficiunt. Idem valet testamento militis, & inter filios. Secundo in testamento rustici facto in iure, dum plures habet non possunt testes, quàm quinque. Tertiò in testamento facto á laborante morbo cantagioso secundùm magis communem opinionem sufficiunt duo testes. *Bald. & Iason. in l fin. C. de testam.* licet de rigore requirantur quinque. Quartò, quando infirmus facit testamentum coram Parocho, vel Principe, vel Iudice coram duobus vel tribus testibus. *l. omnium, C. de testam.*

13 Ex testamento minus solemni nullus capere potest hæreditatem, etiam si esset Imperator. Ratio est, quia licèt si legibus solutus; tamen legibus se obligatur profiteatur: concordat *textus in l. digna vox, C. de legibus.*

14 Maxima est controuersia inter Doctores, an testamentum factum sine solemnitate requisita a lege inducat obligationem?

Respondeo, quòd in hoc casu sunt duæ opiniones. Vna affirmat inducere obligationem in

foro

foro conscientiæ, non solum si fiat ad pias causas, sed etiam ad profanas. Ratio est, quia solemnitas introductæ fuere ad fraudes tollendas, sed in foro conscientiæ, quando constat de veritate, cessant fraudes; ergo ex testamento minus solemni consurgit obligatio. Altera verò negat inducere obligationem, nisi factum fuerit testamentum ad pias causas, huic sententiæ adhæreo, illamque rationibus, & auctoritatibus satis probaui supra *de contractibus in gener. n* 14.

15 Hæres post aditam hæreditatem soluere tenetur debita realia testatoris. Ratio est, quia hæres repræsentat personam defuncti, & exonerare debet eius conscientiam, *l. hæres, ff. de vsucap.*

16 Hæres, qui non confecit inuentarium non tenetur in foro conscientiæ ad debita, aut legata defuncti vltra vires hæreditarias, cessante fraude. Ratio est, quia lex, quæ hæredem obligat ad integram restitutionem etiam vltra vires hæreditarias, præsumit hæredem inuentarium non confecisse ex fraude. Bonac. *disp. 3. q. 17. pun. 6. n. 3. Sanchez in summa lib. 4. c. 15. n. 37. Menochius lib. 1. consil. 37. num. 56.*

De Legatis.

1 LEgatum est donatio quædam relicta a testatores ab hærede præstanda.

2 Testator facere debet legatum, seu testamentum, dum in gratia existit, vt illi prosit dispositio. Ratio est, quia opera facta in peccato mortali, censetur opera mortua, & per consequens ad gratiam non prosunt; pro vt clarè constat *ex dictis de Sacramento pænitentiæ*: sed si testator quando condiderit testamentum existebat in peccato mortali, curari debet, vt ratificet illud, postquam fuit consequutus gratiam,

qui

qui reuocare potest testamentum, seu legatum, & illud approbare, post quam fuit consequutus gratiam, & huiusmodi approbatio si fiat in gratia, prodest ad salutem, ita *Bonac. de legatis pun* 8. *§. 2. numer. 3. Nauarr. in summa cap. 26. num. 36.*

3 Anima defuncti non patitur, quando legata statim non soluuntur à defuncto relicta. Ratio est, quia anima defuncti non punitur ob dilatam solutionem legatorum, sed punitur exequutor, qui negligens est in soluendo, & adimplendo legata. Quapropter animæ defuncti non nocet negligentia hæredum, nisi quatenus non exhibeantur suffragia, quibus exhibitis, anima defuncti eripi, & subleuari posset à pœnis purgatorij *Sylu. verb. testament. n. 9. Nau. c. 17. nu. 117. Bon. loc. cit. §. 6. n. 4. Emman. Sà, verbo hæreditas nu. 38. Petr. Nau. l. 3. c. 4. n. 169.*

4 Ex hoc sequitur eum, qui restitui mandat per hæredem post mortem, si hæres existeret in mora restituendi, non remanere in purgatorio; donec hæres restituat, adeò quod in purgatorio nulla expectatur restitutio, sed satisfactio, hoc dico ad repellendum errorem vulgi, qui arbitratur defunctum in purgatorio debere morari quousque restitutiones ab hęredibus executioni mandentur. Ratio est, quia si hæres nunquam restitueret, illud purgatorium verteretur in infernum, quod esset impossibile, & ille miser homo nunquam exiret ab illo carcere purgatorij, neque obstat illa Scriptura Augustini: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Nam dictum, Augustini intelligitur de remissione quoad culpam in hoc sæculo, idest, qui non restituit, semper est reus culpæ, non autem de remissione quo ad pœnam. *Pater Euangelista de Rossis in sua summa in tr. de rest. num 21.*

De

De Sepulturis.

1 SEpultura moraliter accepta est locus, in quo cadauer mortui reponitur, & communiter appellari solet sepulcrum.

2 Omnes Christi fideles sepeliri debent in loco sacro, nisi prohibeantur ob iustam causam, *canones Ecclesiæ, de consecrat. dist.* 1.

3 Ex hoc sequitur paganos, & Iudæos, & alios infideles non posse sepeliri in loco sacro, in quo sepeliuntur Christiani; vt habetur *in dicto canone Ecclesia.*

4 Infans, qui natus est mortuus, aut viuus, sed non habuit baptismum, sepelliri non potest in loco sacro, quia iste est paganus, secus si mortuus est simul cum matre, & ex eius vtero non fuit extractus, nam tunc iudicatur pars matris, & ob honorem maternum cum ipsa sepeliri debet. *Bonac. quæst.* 2. *punct.* 2. *num.* 1. *de sepulturis, Tuscus verbo sepelire, conclu.* 184. & alij ab ipsis relati.

5 Omnibus fidelibus defunctis tradenda est Ecclesiastica sepultura, & nullatenus deneganda, quia priuatio sepulturæ in loco sacro est pœna.

6 Ex hac regula excipiuntur multæ personæ, vt hæretici, apostatæ, excommunicati maiori excommunicatione, nisi in articulo mortis petierint confessionem, vel inuocauerint Beatissimam Virginem, ita sacra Congregatio determinauit, prout refert *Barbosa, verbo sepultura*. Interdicti, illi qui admiserint excommunicatum maiori excommunicatione ad Ecclesiasticam sepulturam, nam admittentes ad Ecclesiasticam sepulturam excommunicatos maiori excomunicatione, ceterasque personas, quibus Ecclesiastica sepultura interdicta est, ipso facto sunt excommunicati,

cati, à qua nisi priùs ad arbitrium diœcesani Episcopi, quibus iniuria irrogat fuerit, satisfactionem competentem exhibuerint, absolui non poterunt. *Clementina 1. de sepulturis*, vbi latè glossa dubitans, an habeant locum hæc dicta importantibus, concomitantibus, auxiliantibus, consulentibus, cæteris Præsbyteris, Clericis, & Prælatis scientibus, & non prohibentibus; vsurarij publici, mortui in duello, illi, qui sibi mortem consciuerunt, modò sint sanæ mentis, admittentes vsurarios publicos ad Ecclesiasticam sepulturam ante factam restitutionem, vel ante præstitam cautionem, meretrices publicæ, quæ non redierunt ad meliorem frugem vitæ, illi, qui non sunt confessi semel in anno, & in die Paschatis non susceperunt Eucharistiam. Publici raptores, & Ecclesiæ incendiarij; Morientes in notorio peccato mortali, nisi signa contritionis ostenderint, illi, qui sunt declarati hæretici post mortem illi, qui moriuntur in torneamentis, & spectaculis. *cap. extra, de torneam.* habetur *in Bulla Pij V. De salute gregis, relata à Nauarr. c. 15. nu. 19.*

7 Corpora mortuorum ob varias rationes in locis sacris sepeliuntur. Prima, vt non vexentur a spiritibus immundis. Secunda, vt sunt participes suffragiorum, & orationum, quæ in illo loco fiunt pro mortuis, ibi iacentibus, & vt proximi defunctorum ad loca sacra venientes, sepulturasque conspicientes, ipsorum defunctorum recordentur, & pro eis pias præces effuudant. Tertia, vt iuuentur intercessione Sanctorum; quibus est ille locus dedicatus, & reliquiæ quorum ibi iacent, vt ait *August. in libro de vita pro mortuis cap.* 18.

8 Corpora mortuorum non sunt sepelienda luctu, & planctu, sed cum psalmis, & precibus. Ex officio tamen pietatis, charitatis, & huma-

nitatis si lachrymæ fundantur, non est iure prohibitum; nam plures Sancti in carorum suorum amicorum exequijs lachrymas effuderunt, modò non multum lugeatur. *canon. qui diuina, & can. aliumque 12. quæst. 3.*

9 Ius sepulturæ vendi non potest sine simonia, si locus iam erat sacer, & destinatus ad sepulturam communem; si verò non erat sacer, & destinatus pro sepultura vendi potest sine vitio simoniæ, quia est materia venalis, & appellatur purus locus, quod dictum est, quòd vendi non potest locus, quando est destinatus ad sepulturam communem, intelligendum est, inspecta constitutione Ecclesiæ, inspecta tamen natura rei, vendi posse videtur terra, vt ibi constituatur sepultura. Ratio est, quia fundus vendi potest, ad ædificandum in ipso Ecclesiam; ergo etiam vendi potest, ad faciendam sepulturam. Item res sacra vendi potest ratione materiæ, ergo vendi potest terra pro sepultura, sed vt diximus, inspecta constitutione Ecclesiæ locum sacrum vendi non posse sine simonia iure positiuo prohibita, nisi sit consuetudo diuturna in contrarium, vt determinatur *cap. abolenda, de sepulturis, Syluester, verbo, sepultura nu. 2. Bonac. disp. 1. q. 4 §. 6. num. 1.*

10 Creditor accedens ad domum moribundi ipsum, vel alios molestans, aut rebus eius insignia ponens, ipso iure cadit à credito, & tantumdem tenetur soluere hæredibus defuncti, & confiscatur tertia pars bonorum, & efficitur infamis, nec impediri debet sepultura prætextu debiti, vel cuiuscumque obligationis, nec fieri debet molestia infrà decem dies ab obitu. *auth. item quid domum, C. de sepultura violat. Syluester, verbo sepultura, num. 12.*

De

De Statu sæculari circa materiam de Iudice, Reo, & alijs.

1 IN Iudice requiritur potestas, & iurisdictio, aliàs ferre non potest sententiam validam, quia sine potestate nihil fieri potest, & duplex est potestas, ordinaria, & delegata. Ordinaria est illa, quæ alicui competit ex officio, vel ex dignitate. Delegata est illa, quæ competit alicui non ex officio, vel dignitate, sed ex commissione illius, qui habet ordinariam potestatem.

2 Sententia lata à Iudice, habente titulum coloratum est valida, modò non adsit impedimentum iuris naturæ, vel diuini, quod ab Ecclesia, vel ab humana potestate suppleri non potest. Sententia verò lata ab excommunicato vitando nulla, & inualida est. Ratio est. quia excommunicatus vitandus caret iurisdictione.

3 Clericus, qui causam agit coram Iudice laico præter culpam sacrilegij, pœnam excommunicationis incurrit. Hæc tamen propositio intelligenda est modò Clericus alterum Clericum conueniat coram Iudice laico, secus si conueniat laicum. Ratio est, qui actor sequi debet forum rei, & seruandum est proprium forum, vide *Farinaccium in consilijs crimin. consil* 68. vbi nonnullas decisiones Rotæ Romanæ refert *Syluester, verbo Iudex* 1. *quæsito* 2.

4 Iudex laicus, qui iudicat personas Ecclesiasticas, non solùm sacrilegium committit, quia facit iniuriam personis Ecclesiasticis, verùm etiam incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ, reseruatam Summo Pontifici, vt clare patet ex illis verbis Bullæ Cœnæ excommunicationis, quæ incipit: *Qui ex prætenso officio.*

5 In

5 In Iudice præter dictam potestatem, & iurisdictionem requiritur veritas, quia Iudex constituitur, vt vnicuique suum tribuat sed contribueret vnicuique suum, nisi adhæreret veritati.

6 Maxima est controuersia inter Doctores, An Iudex iudicare debeat secundùm allegata, & probata, an secundùm veritatem, si eam nouit.

Respondeo, quod aliqui dicunt, quod Iudex iudicare debet secundùm veritatem: Vnde si Iudex, qui priuata scientia nouit aliquem innocentem, qui probatur nocens in iudicio, tenetur illum liberare, tamen contraria opinio est probabilior, scilicet, quod Iudex in iudicando magis sequi debet legitima documenta per instrumenta, & testes, & huiusmodi, quam id, quod ipse nouit tanquam persona priuata, alioquin, tenendo contrarium, confunderetur totum ius positiuum; Si verò Iudex procedat extra iudicium, vt in dandis officijs, & alijs, quæ arbitrio illius committuntur; non est dubium, quin teneatur propriam conscientiam sequi, & non allegata, & per falsos testes probata. *Syluester. verbo Iudex, quæsito* 5. *S. Thom.* 2.2. *qu.* 67. *art.* 2. *Reginald. lib.* 21. *num.* 3. & alij.

7 Bonifacius VIII. in rubrica de sententia excommunicat. in Extrauaganti, quæ incipit: *Excommunicamus*: tulit sententiam excommunicationis contra omnes facientes promissionem, vel pactum temporalium pro aliqua gratia, vel iustitia obtinenda in curia Romana, & contra dantes, vel recipientes aliquid paruum, vel magnum ex pacto, vel promissione occulta, vel manifesta etiam sub generalibus verbis, & absolutio Papæ reseruatur, & quamuis hæc constitutio reuocata fuerit à Clemente V. nihilominùs confirmata fuit, & aucta à Gregorio VIII. prout refert. *Bonac. de. octauo præcepto decalogi,*

10. *qu.*

10 *q.*11.*pun.*8.*§.incidens*, diximus etiam de hoc quæsito supra *de empt. n.* 4.

8 Iudex in iudicando tenetur sequi opinionem probabiliorem; immò contra propriam opinionem iudicare potest. Aliqui verò dicunt, quod Iudex sequi debet in hoc casu communem opinionem, quia adest præiudicium tertij; & hoc opinio mihi magis placet. Ratio est, quia in his, quæ relinquuntur arbitrio Iudicis, seruare debet semper æquitatem. *Syluester verbo Iudex, num.*4.*Innocent. in cap.* 1. *de constit. Bart. in l.* 1. *C. de legit.*

De Accusatore, & Reo.

9 Accusatio est delatio rei de crimine in libello ad vindictam propter bonum commune.

10 Tenetur quis accusare, quando iniquitates aliter emendari non possunt, quia sine accusatione aliquando saluari non potest integritas boni communis. Hæc propositio habet locum, quando crimen vergat in detrimentum spirituale, vel corporale Reipublicæ, ita *S. Thom.* 2. 2. *quæst.*58. *Syluester, verbo accusatio, quæsito* 3. *Bon. loco citato quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 6.

11 Peccat mortaliter accusatus, negando veritatem in iudicio, quando tenetur iudici exponere veritatem, quam ab eo exigit secundùm formam iuris; Hæc tamen propositio intelligenda est, quando Iudex procedit, seruato ordine iuris. *S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 1. *Syluester loco citato num.* 11.

12 Reus non peccat contra iustitiam, dum accusatori notam mendacij imponit: Hæc propositio intelligenda est, si delictum est occultum; Secus si non est occultum, & iuridicè pro-

bari potest, man tunc reus mortaliter peccat contra iustitiam. Ratio est, quia reus nullum ius habet imponendi hanc totam, dum accusator vtitur iure suo. *Bonac. de octauo praecepto decalogi disp.10 q.3 pun.2. num.11. Syluester, verbo, restitutio.3 quaesito.4.* & alij apud *Filliuc tract. 40.c.9. q.2.nu.261.& apud Lessium lib.2 c.31 dub.2.*

13 Reus, qui licitè potest fugere, potest etiam vincula, & carcerem per frangere, neque ad restitutione tenetur Reipublicæ, vel actoribus, dum occasione carceris ab ipso facti, cæteri occasionem arripuerunt fugiendi. Ratio est, quia vtitur iure suo fugiendo, nec tenetur ex iustitia impedire fugam aliorum. *Lessius lib. 2. cap.31. dubio... ..num.39 Bonac. loco citato num. 19 Reginald. lib.24.nu.152.* Tenetur tamen secundùm nonnullos ad restitutionem, vel reparationem carceris perfracti, Ratio est, quia non est conueniens, vt reus fugam arripiat cum directo damno Reipublicæ. *Bonacina num. 17.*

De Teste, & Notario.

14 Nemo ad testandum tenetur, dum interrogatur de eo, quod sciuit in confessione, vel quod extra confessionem cognouit sub sigillo secreti, aut consilij gratia, vel auxilij, nisi aliundè audiuerit. Ratio est, quia fides alteri data seruanda est, quoties licitè seruari potest. Hæc propositio intelligenda est, modò delictum non pendeat in futurum, illudque impedire non teneamur. *Bonac. d.q. 3.pun. 3.num. 6. Filliuc num.230. Syluester, verbo testis, quaesito.7. Reginald.lib.24.num.48.*

15 Nemo tenetur ad testandum contra iustum compensatorem, quia habet iustam causam reticendi, neque vllus tenetur ad testandum quan-

quando timet graue periculum damni contra se, & suos, quòd si interrogetur, vti potest æquiuocatione, & iuxta suam intentionem iurare, & testari. Ratio est, quia lex charitatis non obligat ad subueniendum proximo cum tanto incommodo, nisi bonum commune aliter postulet. *Reginald. lib. 24. num. 48. Lessius dub. 6. num. 50. Filliuccius loco citato, Bonac. num. 7. & 8.* & alij apud citatos Doctores.

16 Qui fugit, vel se abscondit antequam legitimè citetur ad ferendum testimonium non peccat contra iustitiam, nec ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia ex mandato superioris nullus obligationem contrahit, antequam ei mandatum debito ordine imponatur. *Bonac. loco cit nu. 12. Lessius lib. 2 c. 30. dub. 8. nu. 58. Nauarr. c. 25. num. 41. Filliuc. tract. 49. c. 8. q. 11. num. 255.*

17 Notarius conficiens instrumentum carentis vsu rationis non solùm grauiter peccat, sed tenetur ad restitutionem legitimis hæredibus, qui ab intestato successissent. Ratio est, quia censetur causa efficax damni legitimis hæredibus. *Sluest. verbo tabellio. quæsito. 8. Reginal. n 687.*

18 Aduertendum tamen est, quod Notarius tenetur manifestare legata, præsertim ad pias causas facta, vide *Filliuccium num. 309. Reginal. lib. 25. num. 688.* Vnde Notarius grauiter peccat dum instrumenta iam confecta occultat, vel renuit instrumenta conficere sine iusta causa: ita *Nauar. num 53. Reginaldus num. 186. Claui Regia num. 8 & 9.*

De Aduocato, & Procuratore.

19 Aduocatus contra iustitiam peccat, & ad restitutionem clienti tenetur, si cliens ob imperitiam, vel negligentiam Aduo-

cati causam perdidit, Ratio est, quia saltem tenetur de lata culpa, & debet esse instructus ex officio, cùm se talem gerat, & mercedem accipiat. *Filliuc.num.*280.*Bonac.dicta disp.*10.*qu.*3. *punct.*4.*num.*3. *Syluester, Lessius*, & multi alij apud citatos Doctores.

20 Aduocatus tueri potest actoris, aut rei causam, dum vtraque pars est probabilis, quamuis altera pars sit probabilior, quam ipse non defendit. Ratio est, quia vnusquisque adhærere potest opinioni probabili, vide *Fill. tr.* 40. *ca.*10 *quæsito* 5.*n* 285.*Bon.loc.cit.n.*8.

21 Aduocatus pacisci non potest de certa quantitate litis sub conditione, si vincat, ne aditus detur Aduocatis vincendi lites per fraudes, vt parte promissa fruantur, *l. si qui, C. de postul.*

22 Procurator, qui instrumenta gratis, vel modico pretio accepit à Notario, potest sibi stipendium Notario dari consuetum à cliente recipere. Hæc propositio intelligenda est, si concessit acta Notarius intuitu ipsius procuratoris. Ratio est, quia procurator contrahit obligationem naturalem erga huiusmodi Notarium, si verò indirectè concessit, non potest procurator stipendium Notario alias debitum, vel dari consuetum recipere, vel retinere; Neque procurator, qui litigantis causam spontè suscepit non conductus, possit, peracta causa, & victoria reportata, retinere sibi stipendium, quod litigans soluisset procuratori, quem conduxisset. Ratio est, quia suscepit alienum negotium ex charitate, modò procurator nullum damnum passus sit. *Reginaldus libro* 25. *numer.* 682. *Clauis Regia capit.* 26. pro eadem sententia fertur *decis.*183. *in antiquis de sentent. & re iudicata, &c.*

TRA-

TRACTATVS MISCELLANEVS.

In quo continetur varij casus singulares valdè necessarij, & curiosi circa prædictas materias.



I quis emiserit votum ingrediendi religionem, & postea promotus fuerit ad dignitatem Episcopatus: An teneatur dimittere Episcopatum, & adimplere votum; An è contra?

Prima facie videtur respondendum, quod tenetur omittere votum, & permanere in Episcopatu. Ratio est, quia quando concurrunt duo vota incompatibilia, quæ simul adimpleri non possunt, illud est seruandum, quod magis ligat; sed in casu nostro magis ligat votũ Episcopatus, quàm votum simplex religionis, ergo &c. Maior patet. Minor probatur. Votum Episcopatus, & votum ingrediendi religionem, est votum simplex, sed votum solemne magis ligat, quàm simplex, ergo votum Episcopatus magis ligat, quàm votum simplex ingrediendi Religionem: Quod autèm votum Episcopatus sit votum solemne. Probatur ex S. *Thom.2.2. q 189.art.7 in corpore*, vbi sunt hæc formalia verba: Obligari autem voto perpetuo, & solemni ad vacandum diuinis obsequijs, competit propriè Episcopis & Religiosis. Presbyteri autem, Curati, & Archidiaconi non obligantur voto perpetuo, & solemni ad curam animarum retinendam, sicut ad hoc obligantur Episcopi. Vndè Episcopi præsulatum de-

ſerere non poſſunt quacumque occaſione abſque auctoritate Summi Pontificis. Præterea bonum publicum præferri debet priuato, ſed adeptio Epiſcopatus pertinet ad publicam vtilitatem, & votum ingrediendi religionem pertinet ad priuatam, ergo in caſu noſtro tenetur quis remanere in Epiſcopatu, & omittere votum. Illis non obſtantibus, contrarium determinatur *in cap. per tuas, extra de voto, & voti redempt.* vbi conſulitur Epiſcopo Garopolitano, qui poſt votum religionis Epiſcopatum aſſumpſerat, voto non impleto; vtſi ſuam ſaluare deſideraret conſcientiam, regimen Eccleſiæ reſignaret, & redderet Altiſſimo vota ſua.

Non obſtat primum argumentum, nempe quòd votum Epiſcopatus eſt votum ſolemne. Reſpondeo, quod votum Epiſcopatus non dicitur propriè votum ſolemne, ſed impropriè, quia votum ſolemne propriè duplex eſt, vt declarauit Bonifacius VIII. *in c. vnico de voto in 6.* prout omnes Doctores confirmant, & præſertim S. *Thom. 2.2 q.88. art.2. in corpore.* Vnum ſolemnizetur per ſuſceptionem ordinis ſacri. Alterum per profeſſionem certæ regulæ.

Non obſtat ſecundum argumentum, ſcilicet quod bonum publicum præferri debet priuato. Reſpondeo, quod hæc propoſitio locum habet, modò non adſit præiudicium tertiæ perſonæ ſpirituale; ſed in caſu noſtro adeſt præiudicium ſpirituale certæ perſonæ, quia vouens, non adimplendo votum peccat, & non debet quis peccare pro ſalute totius mundi; ergo in caſu noſtro tenetur quis adimplere votum, & reſignare Epiſcopatum.

Neque obſtat *decret. 17. q. 2.* vbi habetur, Conſaldus presbyter quadam infirmitatis paſſione preſſus, monachum ſe fieri promiſit, non tamen

mona-

monasterio, aut Abbati se tradidit, nec promissionem scripsit, nec beneficim Ecclesiæ in manu aduocati refutauit, ac postquam conualuit, monachum se fieri negauit, & postea subditur: Iudicamus, vt præfatus presbyter beneficium, & altaria recipiat, & quietè retineat; ergo in casu nostro ille, qui religionis ingressum vouit, non tenetur adimplere votum si postea assumpserat Episcopatum. Respondeo, quod cogi non deberet de iure in monasterio remanere, & Ecclesiam dimittere, quia ille presbyter non fecerat votum solemne, sed simplex: In foro tamen conscientiæ esser sibi consulendum, quod omibus dimissis religionem intraret, vt benè ait. *S Th. 2. 2 dicta q. 169. art. 3 ad punctum.*

2 Pœnitens recedere debet ab occasione proxima peccandi, antequam absoluatur. Hæc propositio intelligenda est, quando occasio proxima est voluntaria, secus quando voluntaria non fuerit. Vnde si filius familias sæpè cum famula, aut consanguinea deliquit, quia ista occasio voluntaria non est, absolui potest, dummodo tamen pænitens vero dolore propositum firmum facit minimè cum ea solum mansurum, quòd si casus tulerit solitudinem, minimè peccatum, nam quoties adest aliqua causa notabilis, quod separatio fieri non possit, non erit occasio voluntaria, & consequenter, pænitens præmissa dispositione, & prudentia ad cautionem futuram confessarij adhibita, absolui poterit. Si verò pœnitens detinet fæminam domi, titulo amasię ante eiectionem non est absoluendus, si illicò eam expellere potest, quia in tali casu dicitur occasio proxima voluntaria, si verò fungitur ministerio famulandi, semel absolui debet cum proposito exquirendi, quàm primum aliam famulam. *Reginal. relatus ab Escobar. de pœn. nu.* 4.

4 Si Christianus habuit rem cum infideli, poterit deinde sibi matrimonio iungere illius sororem Chistianam factam. Ratio est, quia per fornicariam copulam affinitas iure naturali non ita contrahitur: ita existimat *Sanchez relatus ab Escobar de matr. cap. 9. num. 106. in medio.*

5 Subditus delinquens in dioecesi; si extra diaecesim commoratur, potest ab Episcopo excommunicari. Ratio est, quia eius iurisdictio extenditur extra dioecesim circa crimina: At subditum extra dioecesim delinquentem non potest per censuram excommunicare. Ratio est, quia eius iurisdictio non extenditur extra diaecesim, ita *Layman apud Escobar de excom. cap* 11. Quapropter Episcopus, in cuius dioecesi aliquis deliquit, efficitur eius superior ratione delicti; etiamsi sit exemptus nisi forte delinquant in re aliqua exempta, puta in administratione bonorum alicuius monasterij exempti, sed si aliquis exemptus commmittat furtum, homicidium, vel quid simile, per Ordinarium iustè condemnari potest; vt ait *S. Th. 1. 2. qu. 67. art. 1. ad tertium.*

6 Cognatio spiritualis contrahitur internittentem procuratorem ad suscipiendum infantem, & non inter procuratorem. Ratio est, quia procurator agit nomine mittentis, & non nomine proprio, quilibet actus geri potest per procuratorem, modò non reperiatur prohibitus in iure, vt supra diximus de statu religioso, *ita Bonac. de impedim. matrim. quaest. 3. punct. 5 92. nu. 34. Rota decisione. 533. in antiquis, & in nouis dec. 669.* & ita declarauit Congregatio Cardinalium teste *Nauarr. lib. 5. consil.. in fine*, & multi alij apud praecitatos.

7 Matrimonium ab infidelibus celebratum in cognatione legali validum est. Ratio est, quia infideles non sunt subiecti iurisdictioni ecclesia-

ſticæ, à qua fuit inductum impedimentum cognationis legalis: Quapropter ſi infideles, ad fidem conuertantur poſt contractum matrimonium cum adoptante, vel adoptata non ſunt ſeparandi, quia matrimonium illorum eſt validum. *Sanchez diſp.63.num.39.Bonac. qu.3.punct. 553.num.9.*

8 Si pænitens accedens ad confeſſionem confeſſus fuit commiſiſſe multas vſuras, & Confeſſarius præbuit ei conſilium, vt poſſit vſuras exercere abſque peccato, quia v. g. in iure non ſunt prohibitæ, poſteà confeſſarius in ſe reuerſus voluit reuocare conſilium malè datum, ſi pænitens iterum ad confitendum redit, & nihil de vſuris dixit, An Confeſſarius loqui poſſit de conſilio malè dato in confeſſione præterita, ſi Confeſſarius petiuit veniam à penitente, vt loqui poſſit de confeſſione præterita, & pænitens nullo modo dare vellet ei veniam.

Reſpondeo, quod Confeſſarius loqui poteſt ſine fractione ſigilli, immò non tenetur ab eo petere veniam; quia in hoc caſu Confeſſarius nihil loquitur de confeſſione præterita, ſed reuocat ſuum conſilium malè datum, ita determinauit Pater Lætus examinator in concurſu Parochiali Sancti Baſilij de Fouea, in Vrbe, facto coram Vicario Generali Domini noſtri, me præſente, & ita reſpondente.

9 Excommunicatus non ſolùm peccat mortaliter audiendo miſſam, ſed etiam aſſiſtendo diuinis officijs, quamuis ſit excommunicatus tantummodò toleratus. Ratio eſt, quia facit contra obligationem cenſuræ in re graui, vt *in cap. is de ſent. excomm.* & quamuis alijs fidelibus conceſſum fuerit priuilegium communicandi cum excommunicatis toleratis in ſacramentis, & alijs rebus diuinis, tamen per Concilium Con-

stantiense non fuit illi fauor concessus communicandi cum fidelibus. *Bonac. de excommun. disput. 1. q. 2 punct. 392 num. 1.*

10 Orta fuit controuersia inter plures Sacerdotes, & Doctores: An Summus Pontifex, percutiendo Clericum, incurrat in pœnam excommunicationis. Fuerunt nonnulli, qui dixerunt, Summum Pontificem, percutiendo Clericum, incurrere in pœnam censuræ, & nescio qua ratione moti sunt defendere hanc opinionem, quia nullo modo subsistere potest. Fui ego vocatus ad dandum meum votum, & dixi, quod Summus Pontifex in nullam excommunicationem incurrat, percutiendo Clericum. Ratio est, quia excommunicatio est de iure positiuo, sed Summus Pontifex est super ius positiuum; ergo non subijcitur pœnis iuris positiui, Præterea subiectum capax excommunicationis esse debet homo baptizatus, subditus ferenti censuram, sed Summus Pontifex nullum superiorem habet, neque potest esse sibi subditus, quia nemo exercere potest in se suam iurisdictionem, ergo Summus Pontifex, Clericum percutiendo, non incurrit excommunicationem. *Bonacina de censuris in communi disput. 1. q. 1. punct. 4. cap. 13. cuncta per mundum 9. q. 3. Filliucc. quæsito 5. Nauar.* & alij communiter.

11 Qui ordines sacros suscepit cum legitimo vxoris consensu, petere, aut reddere non potest debitum. Ratio est, quia voto castitatis tenetur; Qui verò ordines sacros suscepit absque vxoris consensu petere non potest debitum reddere tamen potest vxori petenti, & ab ea reuocari, etiamsi vir electus sit ad Papatum, ipsa enim non fuit priuata iure suo propter ordines sacros à viro susceptos absque legitimo consensu vxoris ipsius. *Nauar. cap. 22, num. 52.*

Fil-

Filliuc. Sanch. apud Bonacin. de imped. matrim. q.3.punct.9.num.19.

12 Vxor, quæ voto castitatis emissio, licentiam dedit coniugi, promouendi ad ordines sacros, seu ad dignitatem Episcopatus, vel Cardinalatus, mortuo coniuge, non potest neque licitè, neque validè contrahere matrimonium. Quod non possit licitè, patet, quia vinculo castitatis detinetur. Quod validè non possit; probatur ex dispositione iuris irritantis huiusmodi matrimonium, vt patet ex *c. quia sunt, d.28.* vbi iubetur à viro separari. *Bonac. l. cit. p. 9 n.22. Sanchez lib.6. disp. 49. num. 2. Filliucc. tract. 10. cap. 4. qu. 7. num. 151. Abbas, Azorius* apud præcitatos.

13 Summus Pontifex dispensare non potest in pluralitate vxorum. Ratio est, quia dispensare non potest in iure naturæ, vel diuino; In veteri tamen lege licitam fuisse plurаritatem vxorum ob Dei dispensationem ex *Innoc. c. gaudeamus, de diuortijs*, & quatenus prohibitum sit iure naturæ habere simul plures, hoc non est ius naturæ primarium, sed secundarium, in quo Deus dispensare potest, sicut dispensauit ob populi multiplicationem. Dispensatio verò, quæ fuit concessa in veteri lege, non perseuerat vsque ad hoc tempus, nam fuit reuocata à Christo, Matt. 10. *Bonac. pun. 10 n. 4. Reginal. lib. 31. n. 4. Filliucc. tr. 10. c. 5. q. 9. num. 161.*

14 Pœnitens, qui virtute Iubilæi, vel alterius priuilegij facultatem habet eligendi confessarium ab Ordinario approbatum, non potest virtute Iubilæi, vel priuilegij eligere confessarium approbatum ab Ordinario alterius diœcesis. Ratio est, quia extat decretum Cardinalium apud Quarantam verbo *Confessarius*, in quo habetur, approbatum ab alio, quàm à Valentino Episcopo in

diœcesi Valentina, non censeri approbatum; ex quo decreto clarè colligitur, esse eligendum Confessarium approbatum ab Episcopo loci, in quo quis intendit confiteri sua peccata. Item Religiosi Societatis Iesu, obtinuerunt priuilegium à Gregorio XIII. vt semel approbati, & Superioribus expositi, audire possint confessiones fidelium, dum per alia diœceses transeunt; ergo signum est non potuisse ipsos audire confessionem in aliena diœcesi, præciso tali priuilegio, & per consequens confessarius approbatus in vna diœcesi non censetur approbatus pro alia. Præterea sicut Episcopus successor, mortuo antecessore, potest confessarios ab antecessores approbatos iterum subijcere examini, si voluerit, prout declarauit *Pius V. in extrauag. Romani Pontificis edita idibus Augusti anni* 1571. ita etiam iterum subijci debent examini, & iterum approbari confessarij, qui in vna diœcesi fuerint approbati ad confessione sæcularim audiendas, dummodò tamen velint confessiones audire in aliena diœcesi, & per consequens pœnitens, qui virtute priuilegij, vel Iubilæi facultatem habet eligendi confessarium ab Ordinario approbatum, eligere non potest alium confessarium approbatum solùm ab Ordinario alterius diœcesis. *Bonac. de sacrament. pœnit. disp.5. q.7. pun.4.* §*.1. num.22. Reginal. lib.1. num.201. Suarez. disp.28. sect.7. Vasquez. q.93. art. 3. dubio 4. num.3.*

15 Fæmina, quæ facultatem habet eligendi confessarium virtute Iubilæi, vel alterius priuilegij ab Ordinario approbatum, eligere potest confessarium ab Ordinario propriæ Diœcesis approbatum ad certum numerum personarum nempe ad audiendas confessiones virorum. Ratio est, quia non solùm versamur

in

in materia fauorabili, & consequenter extendenda est, sed etiam, quia verum est dicere hunc esse ab Ordinario approbatum. *Bonacina loco citato num. 22. Sanchez de matrimon. lib. 8. disputat. 34. numer. 16. Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 6. num. 6. Ledesma de pænit. cap. 13. dub. 8.* Hæc opinio probabiliter sustineri potest. Contraria verò sententia in praxi tutior est, & non leui fundamento munita, nempè quod fœmina eligere non potest huiusmodi confessarium. *Bonac. loc. cit.*

15 Filius, si occultè sumat rem notabilem ex bonis parentum, quorum dominium, vel vsusfructus sit apud ipsos, non solum mortaliter peccat, sed etiam ad restitutionem tenetur, vel si non possit; habere debet rationem eorum in diuisione. Notabilis verò quantitas non est mensuranda ex regula aliorum furtorum, sed ex propria materia, attentis omnibus circumstantijs. Vndè tres aurei parenti diuiti à filio sublati non censentur materia notabilis, quia non solet esse parens inuitus vsque ad talem summam, secus si maiorem notabiliter surriperet. *Filliuccius tr. 32. cap. 10. num. 260. Lessius dubio 3. Nauarrus lib. 3. cap. 1.*

17 Per indulgentiam remittitur pænitentia, iniuncta in foro pænitentiæ. Probatur hæc propositio *ex cap. cum ex eo, de pænitent. ijs verbis.* Per indiscretas, & superfluas indulgentias satisfactionem eneruari. Quòd tollatur necessitas pænitentiæ, sequuto effectu indulgentiæ, clarè patet; quia effectus indulgentiæ est remissio pœnæ temporalis totius, si sit plenaria, vel partis, si non sit plenaria; ita communiter Theologi *dist. 20.* & multi alij quos refert, & sequitur *Suarez sect. 2. numer. 5. Filliuccius tract 8. cap. 7. num.* 174. Hæc propositio intelligenda est,

quan-

quando pænitentia est satisfactoria, secus si sit medicinalis præseruans, quia tunc non tollitur præceptum per dispensationem, vel eius abrogationem, sed per materiæ subtractionem. *Fillincc.loc.cit Gratianus*, & alij.

18 Indulgentia non solùm remittit pœnas iniunctas secundùm antiquos canones, sed etiam si absolutè conceditur, se extendit ad pœnitentias iniungendas. Ratio est, quia indulgentiæ tantùm valent, quantum sonant, si ergo absolutè conceduntur, non sunt restringendæ ad iniunctas: Præterea si indulgentia non se extenderet ad pœnitentias iniungendas, vix in fidelibus haberet aliquem effectum, quia pœnitentiæ hoc tempore leues sunt, & paucorum dierum. Item *Glossaor extrauag. antiquorum*, affirmat Bonifacium VIII. verbum illud plenissimam ita interpretatum esse vt totum id affirmaret se velle comprehendere, ad quod Ecclesiæ claues se extendere possent; sed claues, vt communiter Doctores dicunt, se etiam extendunt ad non iniunctas; ergo pænitentia se extendit ad pœnitentias iniungendas. *S.Thom,quæst.24. art.1. Sotus dist.21. quæst.2. artic.1. Syluester verbo indulgentia, quæsito 2. num.5. Nauarrus, & alij apud Filliuccium loco cit.num.180.*

19 Per indulgentiam non remittitur culpa peccati venialis. Ratio est, quia culpa venialis deleri non potest ordinariè sine actu hominis, qui prior voluntas aliquo modo mutetur, sed per indulgentiam talis actus contra peccatum veniale non dicitur actus hominis; ergo indulgentia non remittit culpam venialis. *Ita communiter Teologi ex Suario sect.1. num.11. Filliucc. loc.cit.num.183.*

Ex hoc sequitur pœnam peccati venialis non

re-

remitti per indulgentiam. Ratio est, quia pœna remitti non potest non remissa culpa, pro vt communiter Doctores affirmant.

20 Gesta per procuratorem excommunicatum, etiam vitandum sunt valida, nisi per exceptionem excommunicationis repellatur. Ratio est, quia per excommunicationem non amittit suam potestarem, nec vllum est ius irritans ipsius gesta: communiter canonistæ *in c 1. de excep. in 6.* Hæc propositio locum habet in alijs actionibus extraiudicialibus, vt in matrimonij contractu. *Filliucc. tr. 12. c. 7. n. 192.*

21 Contrahitur irregularitas ex defectu bigamiæ, si quis contrahit secundum matrimonium, etiam si alterum nullum sit ex quocunque defectu, modò cum vtraque consumat. Ratio est, quia adest semper eadem indecentia, & probatur *ex cap. nuper, & cap. vltimò de bigamis*, vbi habetur, quod bigamus censetur esse is, qui contraxit cum vna de iure, & cum altera de facto: ita communiter Doctores apud *Couar. Clem. si furiosus, §. 2. nu. 2. Syluest. verbo, bigamia num. 1. Filliucc. tr. 19. cap. 4. num. 105.*

22 Ex matrimonio valido facto cum viduà contrahitur irregularitas de defectu bigamiæ, pro vt omnes Doctores confirmant; ex matrimonio verò nullo contrahitur irregularitas interpretatiua secundùm nonnullos Doctores. Contrarium tamen fuit decisum in Sacra Pœnitentiaria. Ratio est, quia bigamia interpretatiua est, cum quis contrahit, vel cum duabus inualidè, vel cum vidua validè, & cum altera inualidè, vel cum vidua validè; præter enim has nulla est bigamia interpretatiua; vt clarè patet ex *Filliucc. loc. cit. nu. 114 Nauar. c. 27. n. 195. & consilio 1. de bigamis.*

23 Si quis contrahat matrimonium cum vir-

gine, & consumat post professionem in approbata Religione, contrahit irregularitatem, seu bigamiam similitudinariam; vt probatur *ex can. quotquot 27.qu.1.* vbi habetur: Quotquot post virginitatem pollicitam præuaricati sunt, professione contempta, inter bigamos haberi debebunt. Idem probatur ex *cap. Monachos eodem tit.* vbi ostenditur ob professionem religionis per quæcunque vota personam inhabilem constitui ad matrimònium. Quapropter qui matrimonium contraheret de facto cum virgine post vota simplicia emissa post biennium in Societate Iesu, esset irregularis. Ratio est, quia per illa vota redditur inhabilis matrimonio; vt constat ex bulli Pontificis: Eodem modo in sacro ordine contrahitur hæc bigamia. *Filliucc. loc. cit. num. 119. & 720. Syluest. Nauar. Suarez, & alij apud dictum Filliucc. Rota decis. 1. de bigamis in nouis.*

24 Summus Pontifex solus dispensare potest in omni bigamia. Episcopus dispensare non potest cum bigamo, neque quo ad ordines minores. Ratio est, quia bigami priuantur omni priuilegio Clericali, pro vt supra diximus *de excom. circa percussionem Clericorum*. Potest tamen Episcopus dispensare in bigamia similitudinaria, cum Clerico in sacris, & à fortiori cum Religioso: *vt probatur ex cap. 1. qui Clerici, vel vouentes,* vbi hæc facultas conceditur. Iste tamen talis cum quo dispensatur, ingredi debet religionem. Ista propositio intelligenda est de consilio, non autem de præcepto.

25 Bigamia solùm tollitur per dispensationem, & non tollitur per baptismum, aut professionem in religione, neque tollitur per baptismum, si vnum matrimonium, fuit antea, & alterum post baptismum, immò si vtrumq; fuit ante

bapti-

baptiſmum, neque tunc aufertur; vt probatur *ex Innoc.can.*1.*cap.*5. dicente eſſe irregularem, quia ante baptiſmum dixit viduam *Filliucc. loc. cit.num.* 129.

26 Perſonæ eccleſiaſticæ, imponentes onera, non incurrunt excommunicationem ſi auctoritate eccleſiaſtica imponunt, etiam ſi id facere prohibeantur. Ratio eſt, quia tantùm excommunicantur offendentes immunitatem eccleſiaſticam, quando autem ab eccleſiaſticis perſonis auctoritate eccleſiaſtica illa fierent, etiam ſi peccarent contra iuſtitiam, imponentes onera indebita, eccleſia non offenditur, ſi verò id faciant auctoritate laicali ob dominia temporalia, quæ ſimul habent, tunc vtique incurrunt, quia offendunt immunitatem Eccleſiaſticam. *Filliucc.tr.*16.*num.*300.

27 Si quis domicilium mutaret ad declinandum iudicium proprij Epiſcopi, abſolui non poteſt à caſu reſeruato ſuo Epiſcopo, niſi à priuilegiatis, vt regularibus, qui facultatem abſoluendi habent quoſcunque ad ſe accedentes. Ratio eſt, quia talis licentiam non habet confitendi, cum peregrinus verè non ſit, cùm ob nullum negotium iter agat, quando verò peregrinus eſt abſolui poteſt, quia confeſſarius vnius diœceſis ſcire non tenetur caſus reſeruatos in alia, vt diximus ſupra *de ſacrament. pænit.nu.* 99. *Filliucc.tr.*7.*c.*10.*n.* 283. & 285.

28 Si dœmon ſemen viri naturaliter in ſomnis deciſum immitteret in vas vxoris dormientis, vel ſecum concubentis, tunc erit tale matrimonium conſummatum, quando vir voluntariè ſeminat in vaſe, ſi vtatur dæmonis miniſterio, ſecus in dæmon immittat, & ſemine viri vtatur tanquam inſtrumento. Ratio eſt, quia talis ſeminatio voluntaria non eſt ex parte viri, neque

dici

dicitur actio humana. *Filliuc. tr.* 10. *cap.* 1. *nu.* 41.

29 Ecclesia dispensare non potest, vt sacramentum confirmationis, vel extremæ vnctionis fiat ex chrismate non consecrato, quamuis nonnulli Doctores affirment. Ratio nostra est, quia multi Doctores absolutè affirmant esse de essentia vt crisma sit consecratum. Quæ autem sunt de essentia mutari non possunt ab Ecclesia. *Filliuc. de sacram. confirm. cap.* 1. *num.* 12.

30 Subditus vnius diœcesis in altera existens, si agit contra præcepta Episcopi alterius diœcesis, incidit in censuras ab illo latas. Hæc propositio intelligenda est, si præceptum latum fuit per modum statuti. Ratio est, quia lex per se prohibet delictum, & datur pro ipso territorio; vnde peregrinus tenetur etiam pro tempore, quo ibi commoratur, se conformare legibus illis, sicut etiam obligat quodcumque aliud statutum, ne vagantur opera seruilia, *Syluester. verbo excommunicat.* 2 *num.* 5 *Abbas cap. à nobis, de sentent. excom. num* 7 *Filliuc. tract.* 11. *capit.* 5. *num.* 154. & alij cum *Suarez sect.* 5. *num.* 10. Si verò præceptum latum sit per modum sententiæ non ligat nisi subditos, extraneos minimè, etiam si delinquunt in tali territorio. Ratio est, quia sententia directè fertur in personas, vt eorum contumacia puniatur: vnde ad extraneos non extenditur, quia licèt in alieno territorio versentur, tamen non sunt subditi simpliciter. Quapropter delictum non facit illos subditos, non supposita prima obligatione, quæ obligatio adest tantùm in statuto, sed non in sententia. *cap. à nobis*, 1. *de sentent excomunic.* vbi communiter Doctores.

31 Ab hæresi occulta absoluere possunt Episcopi. Ratio est, quia Episcopi facultatem habent delegatam absoluendi ab aliquibus reserua-

tis

tis Papæ suos subditos per se ipsos, vel suos vicarios modò occulti sint, nec in iudicium deducti, vt in *Tridentin. sessíon.* 14. *cap.* 6. *Reginal. Suar.* & alij apud *Bonacin. de excommunicat. quæst.* 4. *punct.* 5. *num.* 19.

32 Si quis vouit, & iurauit seruare votum, si votum non seruauerit, explicare tenetur vtramque circumstantiam, nempe, voti, & iuramenti. Ratio est, quia transgressio voti, & iuramenti habent duplicem malitiam, cùm prohibeantur diuersis præceptis quamuis pertineat ad vnam virtutem religionis; quòd autem prohibeantur diuersis præceptis: Probatur, quia voti obseruatio præcipitur, vt fides Deo debita seruetur; Obseruatio autem iuramenti, ne Deus in falsum testem inuocetur; sed ista sunt duo præcepta, ergo vouens explicare tenetur vtramque circumstantiam. *Sanch. lib.* 9 *dis.* 5. *num.* 6. vbi etiam addit, quòd si quis omiserit officium diuinum, ad quod tenetur ratione ordinis sacri, ac simul beneficij, tenetur explicare circumstantiam duplicis obligationis, scilicet, ordinis, & beneficij. Ratio est, quia in hoc casu adest duplex obligatio ad diuersas virtutes, altera ratione ordinis, ad religionis virtutem spectans, altera iustitiæ ratione beneficij.

33 Qui peccat spe lucrandi iubilæum, est aptus ad illud consequendum, nisi contrarium in diplomate exprimatur, modò conteratur de huiusmodi peccato, & confiteatur. Ratio est, quia qui peccat spe veniæ, non grauiùs peccat, quàm sine spe. *Nauar. Ledesma apud Filliucc. tr.* 8. *cap.* 10. *num.* 261.

34 Ad pœnam incurrendam excommunicationis secundùm probabiliorem sententiam, non satis est, vt raptus fiat libidinis causa explendæ, sed requiritur, vt sit factus causa contrahẽdi ma-

tri-

trimonium cum rapta. Ratio est, quia non solùm Tridentinum generaliter dicit inter raptorem, & raptam non posse consistere matrimonium, & deinde addit pœnas sed etiam quia supponitur etiam Clericum posse esse raptorem, & tamen rapere non posse causam ineundi matrimonij. *Fillıucc.tr* 10.*c*.8.*n*.265. *Emanuel Sà, verb. matrimonium*, *n*.9. ait sic declarasse Congregationem Cardinalium,

35 Ad raptum tres conditiones requiruntur. Prima, vt adsit violentia. Secunda, vt fiat causa libidinis. Tertia, vt sit traductio de loco ad locum. Potest etiam addi Quarta, de qua modò diximus, nempe quod sit causa ineundi matrimonij. Sufficit ad raptum violentiam inferri ipsi fæminę raptæ vel parentibus, aut tutoribus; vnde infertur, si puella sub custodia parentum constituta ex eorum domo ipsis inuitis abducitur, committi raptum. Ratio est, quia maxima iniuria parentibus irrogatur, quàm ipsa remittere nequit, consensum præbens liberè suæ abductioni *l*.2. *versiculo vsq; adeo, ff. de iniurijs. Sanch. l*.7. *disp*.12.*n*.7.

36 Si puella abductione consentiat, posteà verò renitens cognita fuit, non dicitur raptus, quando è contra fæmina initio abductioni restitit, ac postmodum copulæ annuit, dicitur raptus. Ratio est, quia initium spectandum sit, in quo violentia interfuit. *Sanchez loc. cit. Guido, singularitat.* 569 *num*. 1.

37 Non solùm inter raptorem, & raptam consistere non potest matrimonium, sed etiam inter mandantem, & raptam, nisi prius in loco tuto constituatur. Ratio est, quia qui per alium facit; per se ipsum facere videtur, quando militat eadem ratio, & incurret ille qui rapere mandauit cæteras pœnas, tamquam verus raptor. Is verò, qui auxilium præbet raptui

ptui ad finem ineundi matrimonium , incurret excommunicationem , & cæteras auxiliantium pœnas , tamen cum ipso validè fæmina contrahere potest , antequam in loco tuto reponatur. Ratio est,quia auxilium præbentes non plectuntur in illo decreto ea pœna ; vt matrimonium cum ipsis fieri non possit; donec ad locum tutum fæmina restituta sit. *Sanch.lib.7. disp.13. nu.6.*

38 In illo decreto comprehenditur raptus cuiuscumque fæminæ, siue virginis, siue corruptæ, siue meretricis, & inhonestæ cuiusuis status. Ratio est, quia ibi non punit quemcumque raptum, sed factum causa ineundi matrimonium, cum violenter rapta sit ; ac proinde offendit libertatem matrimonij, quæ non minus impeditur, & offenditur, quando mulier inhonesta rapitur. *Sanch.loc.cit.num.14.*

39 Si fęmina virum rapit nolentem, vt secum ineat matrimonium, non est locus pænis decreti Tridentini. Ratio est, quia id decretum correctorium, & pænale non est extendendum ad fæminam viri raptricem, & in odiosis, & pænalibus sub genere masculino non comprehenditur femininum; Ideò non est opus seruari formam prædicti decreti, nempe vt vir raptus liber sit à potestate raptricis, sed sufficit, vt liberè consentiat adhuc existens sub illius potestate. *Sanch. l.7.disp.13.n 12.* & ista opinio mihi placet quamuis contrarium sentiant *Henriq.Vega*, & alij.

40 Debitor non soluens ob impotentiam, præfixo termino, si potens fiat, & non soluat, incurrit excommunicationem. Ratio est, quia tempus, quod assignatur non est ad finiendam obligationem, sed ad differendam exequutionem vsque ad illud, & non vltrà. Hæc propositio intelligenda est, modò censura retineat suam vim, si verò morte iudicis censura ab homi-

ne,

ne, vel alia de causa censura suam vim amisisset, peccaret talis, non restituendo, sed non incurreret vllam censuram, quia censura lata ab homine, cessat mortuo conditore. *Filliucc. tr. 14. cap. 1. nu. 26.*

41 Sacramentum extremæ Vnctionis est ministrandum etiam illi, qui per priuilegium nullum peccatum commisisset. Ratio est, quia est capax effectus principalis sacramenti, qui est confortatio, & gratiæ augumentum. Ideò etiam Beata Virgo iuxta sententiam probabilem, illud recepit. Nec obstat, quod Beata Virgo non fuerit capax actualis peccati: nam ex vi suæ originis fuisse capacem, & ideò etiam erat capax gratiæ expulsiuæ peccati, & auxilij confortantis contra reliquias. *tr. 3. cap. 5. num. 109. Suarez tom. 1. disp. 16 sect. 2.*

42 Qui votum religionis emisit, peccat prima vice, consummando matrimonium, siue petendo, siue reddendo. Ratio est, quia potest adhuc suum votum implere, religionem ingrediens, consummans autem se constituit in eo statu, vt implere nequeat, postea verò non peccat reddendo, vel petendo. *Filliucc. tr. 10 cap. 9. nu. 351. Sanchez lib 9. disp. 33. qu. 2. vbi quæst. 3.* dicit, qui vouit solùm non nubere mortaliter peccat nubendo, sed deinde reddere, & petere potest debitum.

43 Peccata reseruáta oblita, completo iubilæo, licèt absolui possint ab eo, qui potestatem habet absoluendi à peccatis, *vt supra diximus, de pœnis.* quia per confessionem factam tempore Iubilæi desierunt esse reseruata, támen vota eodem modo oblita commutari non possunt. Ratio est, quia peccata omnia generaliter absoluuntur; vota verò singulariter commutantur. *Filliucc. tr. 8. cap. 10. n. 279.*

Ad-

Aduertendum tamen est, quòd si confessio fuisset inualida scienter, tunc quia non desierunt esse reseruata, quia non fuerunt absoluta, oportet denuo in confessione exponi ei, qui potestatem habet, nisi talis confessio facta fuisset superiori, qui potestatem habet extra sacramentum, reseruationem auferendo. *Filliucc. loc. cit.*

44 Tempore Iubilæi commutari non possunt iuramenta de adeundo Ierosolymam. Ratio est, quia à diuersis non fit illatio secundùm regulam iuris. Hæc propositio intelligenda est dummodo iuramentum concernat cultum Dei tantùm, si verò iuramentum concernat tantùm hominis fauorem, tunc remitti potest ab eo cui iuratum est *Nauarr. consilio. 2. de iure iur. Filliucc. loc. cit. num. 281. Sylvester verbo iuramentum. 5. quæsito. 3. & 6. Tabien. verbo iurare, quæsito. 10.*

45 Si vnus in sacramento extremæ vnctionis faciat plures vnctiones, vel vnam, & formam profert, si perficere non posset, vel non vellet, potest alius licitè, & validè complere, quæ desierint ad essentiam sacramenti, & hoc est singulare in hoc sacramento. Ratio est, quia infirmus non est priuandus hoc sacramento, non debet tamen ab alio perfici, iterando vnctiones factas, quia esset quodammodo consecrare iterum eandem hostiam, sed tantùm complendo cæteras, & licèt hæc propositio habeat aliquam difficultatem, tamen est recipienda, quia est munita communi opinione, pro vt eam defendit *Suarez disp. 43 sect 2 num 5 D. Th. Riccard, Durand. Sylu. Sotus, & alij, apud Filliucc. tr. 3. cap. 5. nu. 92. & apud dictum Suarez.*

49 Qui scit ex Astrologiæ scientia in aliquo itinere non fieri tempestatem, potest pro assecuratione accipere pretium solitum dari pro periculo tempestatum. Ratio est, quia obligatio com-

communiter tanti æstimatur, & occultè causæ ipsi soli notæ non minuunt æstimationem. *Fil. liucc.tr.37.cap.1.nu.8.*

47 Tempore Quadragesimæ abstinendum esse non solùm à carnibus, sed etiam ab ouis, alijs temporibus iure communi, non sunt oua prohibita, sed tantùm carnes, vt ait *S.Th.qu.155.art. vlt.Filliuc. tr.27. cap.3. nu.* 45. Abstinendum tamen esse inʃvniuersum ab ijs cibis tempore ieiunij, quos consuetudo non permitti; Consuetudo verò non semper obligat sub peccato ad abstinentiam ab ouis. Ratio est, quia non est cum existimatione obligationis, sed tantùm ex deuotione, & non seruatur ab omnibus: Admonendi tamen sunt populi, ne peccent ex conscientia erronea. *Filliuc.loc.cit.nu.*49.

48 Papa dispensare potest simpliciter cum beneficiario, ab officio recitando, ita vt nihil compensare teneatur. Ratio est, quia tota obligatio est de iure Ecclesiastico, & quamuis beneficium detur propter officium, tamen institui posset beneficium propter alia munera, vt ob onus ministrandi sacramenta in Parocho, quia hoc est de iure Ecclesiastico, nempe quod datur beneficium pro officio, & si dispensatio iniusta esset, esset tamen valida, quia non excedit limites iuris positiui, ita communiter Canonistæ, & Theologi apud *Suarez cap* 28.*nu.*28. *Filliucc.tr.* 24.*cap.9.num.*304. quamuis contrarium Iuristæ sentiant.

49 Sub Sigillo confessionis non solùm cadunt omnia peccata, & circumstantiæ, sed etiam omnia, quæ dicta sunt in confessione ad declaranda peccata, etiamsi non essent vtilia ad ea declaranda, vt si pænitens dixit se esse Hermaphroditum, spurium, pauperem, vel quid simile. *Bonac.de sacram pænit.disp.5.q.6.pun.2.nu.*10.

Fil-

Filliucc.tr.7.cap.21.qu.3.num.321.Regin.Suarez, & alij apud citatos Doctores.

50 Mutua pullutio procurata inter mares, vel fæminas, aliquando dicitur sodomia, aliquando dicitur mollities: tunc dicitur sodomia, quando fit ex affectu ad personam indebiti sexus; præsertim sit adsit concubitus, & commixtio corporum inter se, etiam si non sit in vase solito; tunc dicitur mollities, quando fit tantùm ex affectu ad veneream delectationem absque concubitu. *Caiet.art.11.ad secundum debitum.Filliucc.tr.30.cap.8.num.149.in fine*.

51 Qui ratus delictum habet nomine suo factum ad restitutionem non tenetur. Ratio est, quia iam damnum erat illatum ante ratihabitionem, igitur ratum habens non fuit causa efficax illius Ita *Filliucc.tr.32.cap.3.num.55. Medina de rebus restit.q.7.ad quartum, Lessius c.13.dub.3*.

Neque obstat illa regula, quod ratihabitio æquiparatur mandato, & retrotrahitur ad tempus, ad quod delictum commissum est: nam hæc regula locum habet in contractibus, qui sola Voluntate expressa firmari possunt, etiamsi præteriti essent, non autem in damno iam facto, nam illud non causatur per voluntatem habitam; postquam factum est. *Filliucc.loc.cit.*

52 Votum Clericatus in sacris non est reseruatum, neque similitudinem habet cum voto castitatis. Ratio est, quia Clericatus est votum affirmatiuum sumendi ordines: votum castitatis est negatiuum non admittendi delectationes carnis, neque est reseruatum votum castitatis partialis, vt non adulterandi, & simile, nam licèt sit perpetuum, tamen non est reseruatum, nisi votum castitatis simpliciter. *Filliucc.tr.26.cap.9.n.162.cum sequenti, Suarez nu.9.*

Neque obstat, quod ait *S.Th.2.2.q.184.art.6.*

Omnia vota perpetua reseruari Papæ: Nam hoc verum est de votis perpetuis in Ecclesia vsitatis, vt sunt vota Religionis, & castitatis.

53 Virgo vi oppressa, si res est occulta, consecrari potest, quia verè coram Deo est incorrupta, cùm non peccauerit, neque consenserit. *S.Tho.art.1.ad 3. Lessius nu.* 115. Neque contrarium determinatur *in can illa autem* 32.*q* 5.quia intelligitur, quando violatio est notoria, tunc ob indecentiam externam non esset consecranda. *Filliucc.tr.30.c.1.num.*25. Sponsa autem corrupta etiam si res sit occulta, consecrata non potest absque peccato mortali. *Syluest. Caiet.Nau.* & alij apud *Filliucc. loc.cit.*

54 Exigens à Clericis bona temporalia per impositionem tributi, sacrilegium committit, quia fit contra aliquam immunitatem clericis concessam, si verò exigatur tributum violenter, duplex sacrilegium committitur, & consequenter incurretur duplex censura, vna canonis, altera Bullæ Cœnæ. *Filliucc.tr.24.cap.9 n.*230.

55 Si excommunicatus vitandus exire non vult ab Ecclesia in celebratione missarum post admonitionem, expelli tunc potest etiam per vim, quamuis sit Clericus, neque incurritur excommunicatio clericum expellendo excommunicatum, nolente exire post admonitionem. Ratio est, quia illa vis non dicitur iniuriosa, quando verò exire non vult, & expelli non potest sine periculo, tunc missæ, & diuina officia omittenda sunt dummodo tamen consecratio non sit inchoata; secus dicendum est si iam est inchoata, vel perfecta consecratione aduertit, tunc sacerdos prosequi debet sacrificium vsque ad sumptionem inclusiuè, eò quòd integritas sacrificij, quæ est de iure diuino, præponderet participationi cum excommunicato; in hoc tamen

casu

casu adstantes exire debent ab Ecclesia, excepto inseruiente alias peccarent mortaliter, participando in diuinis cum excommunicato vitando. Ipse sacerdos, sumpto sacramento, se recipiet in sacristia, vel in alium locum, & ibi terminare aliquas orationes, dicendas post communionem, vt dicunt communiter Doctores, teste *Bonac. de excom disp. 2 q 2. pun. 3. §. 1. n. 12. & 13.*

56 Confessarius, qui in confessione nouit sibi ab aliquo insidias parari, potest se domi continere, ne occidatur, si verò in hoc casu sequeretur damnum poenitenti, probabilius videtur non posse confessarium se domi continere. Ratio est, quia confessio redderetur odiosa. *Bonac. de sacrament. panit. pun. 4. nu. 29.*

57 Confessarius si extra confessionem certò sciat delictum pęnitentis, & poenitentis à Confessario rogatus nolit manifestare suum peccatum, non debet illi beneficium absolutionis impendere. Ratio est, quia poenitens est indignus absolutione, petendo indignè absolutionem. Hæc propositio intelligenda est, si occultè petat sacramentum, si verò non est certus de delicto pęnitentis, & ipsi certè non constat pęnitentem mentiri, tunc Confessarius absolutionem poenitenti impendere debet. Ratio est, quia in hoc foro credendum est poenitenti tam pro se, quàm contra se, vt communiter Doctores, cum *S. Tho. q. 1 art. 12. Suar. disp. 52. sect. 3. nu. 9. ad fin. Regin. lib. 8. n 20. Bonac. loc. c. pun. 5 §. 2. n. 21.*

58 Omnes, qui extrahunt, vel extrahi, aut asportari, vel conduci faciunt frumenta, legumina, blada, & oleum extra Statum ecclesiasticum, seu à statu immediato ad loca Romanæ Ecclesiæ mediato subiecta; incurrunt in pęnam excommunicationis; vt patet in declaratione Pauli V, ex illis verbis, incipientibus: *De cætero*. Hæc

propositio intelligenda est, modò extractio causa mercimonij fiat, vt habetur ex confirmatione Summi Pontificis Vrbani VIII. Paruitas tamen materiæ excusat, quia sicut excusat à mortali, ita ab excommunicatione; vt declarauit Clem. VIII. anno 1596. in bulla incipiente; *Pastorales*, paruitas materiæ metienda est iudicio viri prudentis.

Aduertendum tamen est, quod transferentes, poma, pyra, nuces, & similes fructus non afficiuntur excommunicatione. Idem dicendum est de extractione animalium, licet enim extractio animalium esset interdicta sub pœna excommunicationis à Gregorio XIII. Paulus tamen V. istam excommunicationem abstulit; Idem dicendum est de Bulla Vrbani VIII.

Eidem excommunicationi subijciuntur extrahentes farinam. Ratio est, quia si nomine frumenti non comprehenderetur farina, lex facilè eludi posset, reducto tritico in farinam. Extrahens verò panem non incurrit excommunicationem. Ratio disparitatis est, quia extractio panis causare non solet caritatem annonæ; cum difficile sit in magna quantitate panem extrahere, nec panis diu durare possit sicut frumentum, & farina, & appellatione materiæ non venit materiatum, idest, ex materia confectum, *l. quæ filius, §. illud ff. de legat. 3. Bon. t. 3. de excomm. extra Bullam disp. 2. q. 3 pun. 42. num. 4. & 5.*

59 Pius IV. in Bulla incipiente: *Cum vires*, prohibuit sub pœna suspensionis à diuinis, & excommunicationis latæ sententiæ, & alijs pœnis arbitrarijs, Legatis, Vicelegatis, Rectoribus, Gubernatoribus, alijsque Officialibus Almæ Vrbis Ciuitatum, aut locorum Status ecclesiastici, ne facultatem concedant deferendi quoquo modo etiam in itineribus, aut etiam prætextu militiæ

tiæ tormenta ignea, vulgariter appellata pistolas breuioris mensuræ duorum palmorum, aut alibis retinendi, vendendi, emēdi, aut quocumq; titulo recipiendi; & Pius V. in alia Bulla 145. quę incipit: *Cum vices*, innouauit præfatam constitutionem, & extendit contra eos, qui facultatem concedunt deferendi cultellos, pugiones, & quolibet aliud armorum genus breuioris mensuræ trium palmorum. In dictam pœnam incurrunt etiam, qui præfata arma deferunt sub clypeo illarum facultatum, id est virtute illarum licentiarum, etiam si facultas detur ad breuissimum tempus. In præfatam pœnam non incurrunt, qui deferunt cultellos ad sciendendum panem. Neque qui propria spontè, & ex propriam malitia absque vlla prorsus licentia præfatum genus armorum deferunt. Ratio est, quia Summus Pontifex loquitur solùm de illis, qui præfata arma deferunt sub clypeo facultatum, vt in textu dicitur: Eos, qui sub illarum clypeo dictum genus armorum detulerint pœnam præfatam omnino incursuros, illosque irremissibiliter puniendos fore. Puniendi tamen sunt alijs pœnis, præsertim si tormenta ignea gestent contra constitutionem Pij V. supra relatam.

60 Hanc censuram non incurrunt illi, qui per loca Ecclesiastica transeunt, sed tantùm illi, qui in statu Ecclesiastico degunt. Ratio est, quia Summus Pontifex non tulit istam excommunicationem generaliter pro toto orbe, sed pro statu Ecclesiastico, & viator non sortitur forum loci per quem transit, vt supra diximus de legibus, & habetur *in l. hæres absens, §. proinde, ff. de iudic.* neque qui transit, aut breuiter commoratur in aliquo loco dicitur moraliter esse in eo loco *l. quæsitum §. fin. ff. de legat.* 1. *Bonac. loc. cit. qu.* 10. *p.* 16. *num.* 4,

Aduertendum tamen est, quod ignorantia probabilis, tam iuris communis, quàm particularis excusat ab incurrendis censuris, vt patet *ex c.1.de const.in 6.* Ignorantia probabilis facti, aut qualitatis excusat etiam ab incurrendis censuris: Quapropter si Titius occidit Clericum, quem credebat esse feram, vel laicum, excusatur e censura ratione ignorantię facti, aut qualitatis, vt patet etiam ex *c. si verò de sent. excom,* Immò ignorantia pœnæ, idest censuræ excusat ab incurrenda pœna censuræ: ita *Bonac. de censuris in communi, disp.1.q.2.p.1.n.13 Nauar. c.27.n.274. Filliucc.tr.13.cap.8.quæsito 11. num.257, Suarez, Coninch, Sanch.* & alij apud citatos Doctores.

61 Ignorantia Iuris contingit, quando nescitur prohibitio, vel præceptum, vt quando quis Clericum percutit, nesciens esse prohibitam ab Ecclesia percussionem Clerici. Ignorantia facti contingit, quando adest scientia, & notitia legis, sed ignoratur factum, quod prohibetur in dicta lege, vt accidit, quando quis scit esse latam censuram contra Clericorum percusores, sed nescit hunc esse Clericum. Ignorantia verò pœnæ contingit, quando nescitur latam esse talem pœnam contra delinquentes, vt quando quis clericum percutit, sciens esse prohibitum ab Ecclesia, clericum percutere, & sciens hunc esse clericum, sed ignorat percutere clericum esse prohibitum sub pœna censuræ.

62 Si quis promittit dare alicui loco pio tot mensuras frumenti, si promittens haberet diuersas species frumenti, soluere potest de frumento valente viliori prætio. Ratio est, ne videantur personę Ecclesiasticę inhiare lucris temporalibus, *cap ex parte de censibus.*

63 Si sacerdos putans tenere vnam hostiam, post consecrationem inuenerit fuisse duas simul

iuu-

iunctas, in sumptione vtramque sumere debet vt in *rubrica miss. de defect. intent. n. 2.*

64 Si violenter Ecclesia ante canonem sacerdote celebrante, dimittatur missa, si verò post canonem, non dimittatur: ita habetur *de defect. in minist. occurrat. num. 2.*

65 In Clementina vnica *de consangu.* excommunicantur omnes, qui scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis constitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, nec non religiosi, & moniales, & clerici in sacris ordinibus constituti matrimonia contrahentes, & in hanc sententiam excommunicationis ipso facto incurrunt prædictæ personæ.

Aduertendum tamen est, quòd licet moniales professæ incurrant hanc excommunicationem, cuicumque nubant, & similiter illas in vxores accipientes, tamen fœmina professo nubens, aut in sacris constituto illam non incurrit. Ratio est, quia dicta Clementina loquitur de matrimonio inito à professo, vel sacris initiato, nulla mentione facta de mulieribus ab eis ductis, neque illam pœnam fæmina incurrat nubēs professo, aut clerico, ex eo quia participet in crimine criminoso, ob quod alter in excommunicationem incidit. Ratio est, quia ad hoc vt participans cum excommunicato in crimine criminoso incurrat excommunicationem, requiritur, vt excommunicatus sit denunciatus, & declaratus, & non sat est, vt sit clerici percussor notorius, quia quamuis id sufficiat, vt vitandus sit, tamen non est verè nominatim excommunicatus, donec proptio nomine talis denuncietur. *Sanch. li 7. disp.* 48. *n.* 1 *cum seq. Henriquez l.* 13. *de excomm. cap.* 9. *nu.* 2. *Emmanuel Sà, verbo excomm. in princ. num.* 24. & multi alij apud præcitatos.

68 Consulentes, mandantes, aut operam præstantes non incurrunt excommunicationem. Ratio est, quia dicta Clementina excommunicat solos ineuntes matrimonium. *Sanchez loco citato Armilla, Nauar. Ledesma*, & multi alij, neque incurrit hanc excommunicatiouem procurator, per quem initur matrimonium, nec parentes, qui nomine filiorum consensum in matrimonium explicant *Ledesma apud Sanchez loc. cit.*

69 Qui percutere vult Petrum clericum, putans eum esse, si cæderet alium clericum, incurreret excommunicationem. Ratio est, quia, & re ipsa, & animo clericum percutis. Si verò quis lapidem proijcit, quo Titium Clericum cædere vult, si casu, & inculpabiliter alium clericum percutiat illac scire transeuntem, non incurret excommunicationem, neque irregulariiatem, morte inde sequuta, Ratio disparitatis est, quia in primo casu affectus, & opus ipsum externum sunt penitus mala, & iniusta. In secundo casu solus affectus fuit malus, qui non inducit excommunicationem, neque irregularitatem. Nam opus externus illius cæsionis fuit omnino præter voluntatem, & consequenter culpa caret. *Sanchez l. 9. disp. 32. n. 27 Couar. in cap. Alma Mater* 1. *q.* §. 18. *n.* 13. *vers.* & alij apud citatos.

70 Episcopo punire potest regularem, siue monachum ex mandato, & ordine sui superioris carceratum in carceribus ipsius Episcopi, si ibi deliquit, habetur enim, ac si commoraretur ex licentia superioris extra claustra quo casu delinquens ab Episcopo punitur *cap.* 2. *sess* 6. *in Trid.* ita fuit declaratum à Sacra Congregetione Concilij his verbis: Regularis extra claustrũ manens de licentia superioris etiam in domo destinata ad electionem monasterij, nisi in dicta domo sit regularis obseruantia, vt saltem viuat sub superiore

riore

riore Conuentualiter, potest puniri ab Ordinario. Item regularis inferens iniuriam Espicopo, vel eius Vicario iurisdictionem exercenti, eiusque aures offendens in illo actu iurisdictionis puniri potest ab Episcopo, vel eius Vicario sine remissione ad suum superiorem: non obstante *cap.* 14.*sess.* 25.*cap. dilectus, vbi Innocent. de panis.*

71 Regulares monachi priuilegium habentes, vt non possint ab Ordinario excommunicari, suspendi, & interdici, casibus in quibus compelli possunt ab Episcopo, vt ad processiones publicas erant iuxta textum *in cap.* 13.*sess.* 25. vel similibus compelli possunt poena carcerum, pena pecuniaria, si quid in communi possident, & Ecclesiasticis censuris. Ita censuit Sacra Congregatio vbi supra his verbis; Regulares etiam sub censuris Ecclesiasticis compellere potest Episcopus in omnibus casibus, in quibus iurisdictio illi tribuitur à iure communi, & Concilio Tridentino, ac constitutionibus Apostolicis. *Barbos. in verb. irregulares versicul.* 41. *& pen.* Potest etiam Episcopus punire regulares, siuè monachos, discendentes à suis monasterijs sine suorum superiorum licentia, etiam prætextu ad superiores accedendi, nisi ab ipsis fuerint vocati, *c.* 4.*sess.* 25.*in Trident.*

72 Clemens VIII. ad maiorem declarationem *textus in d.c.* 14 *sess.* 25. emanauit quandam Bullam, qua concedit, Episcopis, vt præfigere possint terminum superioribus ad puniendum regularem notoriè delinquentem sub poena priuationis dignitatum, & officiorum ipso iure incurrenda, si superior regularem non punierit, immò si illum impunem ad alia loca sui ordinis extra Diæcesim Episcopi transmiserit; posse Episcopum terminum præfigere superiori ad requi-

rendum dictum regularem sub pœna priuationis officiorum obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, a qua nemo absoluere possit, nisi Papa, quod si ipse superior non reuocauerit, Ordinarius loci, ad quem regularis transmissus fuerit, informatus ab Episcopo loci delicti, ipsum puniet.

73 Si vxor alicuius publicè adulteratur, vir licitè potest postmodum ad ordines promoueri, & intrare religionem. Hæc propositio intelligenda est, modò post adulterium commissum eam non cognouerit, *cap. constitutus, vbi glossa de conuers. coniugatorum*, *Sanchez lib.* 10. *dis.* 11. & communiter Doctores.

74 Quilibet sacerdos in probabili periculo, seu articulo mortis potest à quibuscumque peccatis absoluere, vt patet ex *Trident. sess.* 14. *ca.* 7. & in hac materia non distinguitur articulus mortis à probabili vitæ periculo circa facultatem absoluendi, & per consequens quod licitum est in articulo mortis, licitum etiam est in probabili articulo mortis. Ratio est, quia non est credibile piam matrem Ecclesiam velle in periculo mortis suis filijs deesse. Hæc propositio intelligenda est, modò non adsit alius sacerdos, qui possit ex officio, aut ex facultate delegata extra mortis periculum absoluere, & tunc velit absoluere. Ratio est, quia moribundus tunc non dicitur in necessitate confitendi simplici sacerdoti, præsente aliquo approbato, volente impendere absolutionem, *Bon. dis.* 5. *q.* 7. *pun.* 1. *nu.* 9. & 10 *Filliucc. tr.* 7. *cap.* 8. *Regin. lib.* 1. *num.* 61. *Suarez disp.* 26 *sect.* 4. *nu.* 4. *Vasquez, Henriquez*, & multi alij apud citatos Doctores.

75 Non habentes vsum rationis suscipere debent sacramentum Eucharistiæ. Hæc propositio intelligenda est, si non semper caruerunt

runt vſu rationis, & tunc, ſi prius, quando erunt compotes ſuæ mentis, apparuit in eis deuotio huius ſacramenti, debet eis in articulo mortis hoc ſacramentum exhiberi, niſi fortè timeatur periculum vomitus, vel expuitionis, Vnde in Concilio Carthaginenſi legitur, & habetur in *decret.26.quæſt.5.* Is, qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu, dum ad eum ſacerdos inuitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim conuerſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & ſi continuò creditur moriturus, reconcillietur, per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia, *S.Th. in 3.p.qu.80.art.9.*

76 Dubitans, an audita fuerit hora noctis duodecima, & edens, vel bibens, non poteſt die ſequenti ſumere Euchariſtiam. Ratio eſt, quia poſſeſſio eſt ex parte præcepti communicandi ſeruato ieiunio naturali. Poterit tamen, hic dubitans edere carnes, licèt dies ſequens ſit ieiunij, vt ſupra diximus *de ieiunio numer.2.* Sed ſi eſſent diuerſa horologia. & aliquorum ſonuerit hora 12. aliorum verò non, poterit dubitans cęnare, vel edere carnes, & etiam die ſequenti communicare, quia habentur, ac ſi eſſent duæ rationes, vel opiniones probabiles: liceret enim vnam illarum amplecti; ita *Sanchez lib. 2. diſp. 41. num. 40.* Frater Medina quem ſequitur, & refert Vega *lib. 3. ſummæ caſu.* 213. Si verò eſſet vnum horologium, & vbi ſonare cepit hora 12. aliquis biberet, licèt quando vltimus pulſus duodecimæ ſonuerit, bibere deſijſſent, die ſequenti communicare non poſſet, quia iam hora eſt expleta, cùm primus pulſus horæ ſonat, & quamuis ſint diuerſi pulſus, id tamen euenit, quia non poteſt hora 12. vno

pulſu indicari: ſicut vno pulſu prima hora indicatur. *Sanch.loc.cit.*

72 Poſſunt eſſe reſeruati pro religioſis vndecim tantùm caſus, vt in conſt.Clementis VIII. Primus, incantationes, veneficia, ſacrilegia, Secundus, apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento, quandò eò peruenit, vt extra ſepta monaſterij, ſeu conuentus viuat. Tertius, egreſſio nocturna, ſeu furtiua è monaſterio, ſeu conuentu. Quartus, proprietas contra paupertatis votum, quæ mortale peccatum ſit. Quintus, falſum iuramentum in regulari iudicio, ſeu legitimo. Sextus, procuratio, conſilium, vel auxilium ad abortum faciendum poſt fætum animatum: etiam non ſequuto effectu. Septimus, falſificatio manus, ſeu ſigilli, officialium Monaſterij, ſeu Conuentus. Octauus, furtum de rebus Monaſterij, ſeu Conuentus in illa quantitate, quæ peccatum mortale ſit. Nonus, voluntarius lapſus carnis, opere conſummatus. Decimus, vulneratio, occiſio, ſeu grauis percuſſio cuiuſuis perſonæ. Vndecimus, impedimentum malitioſum, aut apertio literarum, ſeu retardatio ab inferioribus, ad ſuperiores, vel è contra.

Aduertendum tamen eſt, quod non omnes prædicti caſus ſunt reſeruati, ſed reſeruari poſſunt à ſuperioribus, prout expediens fuerit. Non cenſetur tamē ſublata facultas ſuperioribus immediatis, vt Prioribus, Rectoribus, Guardianis, & Præpoſitis præcipiendi aliquid ſub excōmunicatione ſibi reſeruata. Ratio eſt, quia decretum Clementis ſolùm loquitur de culparum reſeruatione, non autem cenſuræ: eſſet tamen ſecurius id facere ex conſenſu ſpeciali Prouincialis Capituli, vt benè refert *Fillucc.tr.7.capit.10.num.176.in fine, Suar.diſp.29.ſect.3.num.12.*

73 In decretis Clementis VIII. ſuper abſolutione

tione à censuris, monentur Ordinarij, vt paucos casus reseruent, & eos tantùm, quos ad Christianam disciplinam retinendam reseruatos iudicauerint, & deinde in declaratione eiusdem decreti prohibetur, ne sibi superfluè reseruent casus Bullæ Cænæ, aut alios Sedi Apostolicæ reseruatos. Et iterum admonentur de reseruandis paucis criminibus grauioribus & atrocioribus. Immò affirmarem non posse Episcopos præcipere subditis, vt confiteri non possint peccata reseruata extra proprias Diæceses. Ratio est, ne redderetur confessio valdè onerosa, quamuis non desinit nonnulli, qui contrarium sentiunt. Et in reseruatione Episcoporum esse debet iusta causa, si verò fiat absque iusta causa, etiam timenda esset; vndè tunc recurrendum esset ad superiorem, *Filliucc. loc. cit. n.* 280.

74 Maxima est controuersia inter Doctores, An laicus absoluere possit ab excommunicatione in articulo mortis. Sunt nonnulli dicentes, laicum in articulo mortis absoluere non posse ab excommunicatione. Ratio eorum est, quia laicus nihil in spiritualibus potest. Sunt nonnulli, qui contrarium sentiunt nempe quod laicus in articulo mortis absoluere possit ab excommunicatione. Ratio est, quia Summus Pontifex dare potest facultatem laico absoluendi ab excommunicatione, ergo in casu necessitatis censetur tacitè concessa ista facultas, quia ius positiuum non obligat cum tanto rigore: Iura verò quæ contraria videntur, intelligenda sunt de absolutione à peccatis, non ab excommunicatione. Hanc sententiam tenent *Syluester verbo absolutio* 1.*n.*8.*Panorm. in c. à nobis. vbi glossa de offic ordinarij, glossa in cap. pastoralis eodem titulo, Archid. & alij*, & hæc opinio nihil placet, quia dicti Doctores hanc absolutionem vocant remis-


sionem

fionem seu reconciliationem potiùs, quàm absolutionem: vnde dicunt, quod in tali casu hæres non tenetur adire Papam, vel eum, à quo defunctus viuus erat absoluendus.

75 Si Mus, vel canis hostiam consecratam manducet, substantiam Corporis Christi non definit esse sub speciebus panis, quamdiu species illæ manent, idest quamdiu substantia panis maneret, sicuti etiam si in lutum proijceretur: Quidam autem dixerunt, quod statim cum sacramentum tangitur à mure vel cane; definit esse ibi Corpus Christi, quod derogat veritati sacramenti, vt benè ait *S.Thom. in 3.p.q.70.art.2. ad tertium.* Nec dicendum est, quod animal brutum Corpus Christi manducet sacramentaliter, quia non est natum vti eo, vt sacramento; vnde per accidens Corpus Christi manducat, & non sacramentaliter, sicuti manducaret ille, qui hostiam consacratam sumeret, nesciens eam esse consecratam; si verò dictum animal capi potest comburi debet, recondito cinere in sacrario: ait etiamsi per negligentiam aliquid de sanguine stillauerit in tabulam, quæ terræ adhæret, lingua lambetur, & tabula radetur, si vero non fuerit tabula, terra radetur, & igne consumetur, & cinis in sacrario condetur, si autem super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam.

76 Illegitimus fit legitimus per subsequens matrimonium, & consequenter fit habilis ad hæreditariam successionem, & dignitates sæculares, & etiam ad ordines, & ecclesiasticas dignitates, excepto Cardinalatu, prout clarè patet ex motu proprio Sixti V. apud *Bonacinam de irreg. disp.7.qu.2.pun.3.n.6.* & apud *Garziam de benefi. 7.p.cap.1.num.* 28. vbi plures refert Doctores. Ratio est, quia matrimonium subsequens purgat omnia præcedentia, dummodò tempore con-


conceptionis, vel natiuitatis, parentes fuerint habiles ad contrahendum matrimonium, nam si tunc temporis inhabiles erant ad matrimonium contrahendum; non tollitur illegitimitas, & inhabilitas ad ordines, & dignitates ecclesiasticas, ita communiter Doctores. Et hæc dicta sint ad laudem Dei omnipotentis, Beatissimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, & præsertim Sancti Pauli Apostoli Patroni, & protectoris nostræ Insulæ, sub cuius clypeo contra inimicos Religionis Christianæ quasi inuicti pugnamus nunc, & semper. Amen, &c.



ADDITAMENTA VARIA

Ad ſuperiores Caſuum Moralium Flores.

A PROPRIO AVCTORE facta.



NON denuncians, quia ex officio denunciare tenetur non obligatur ſoluere pœnam, quam delinquens ſoluiſſet, ſi fuiſſet denunciatus. Ratio eſt, quia huiuſmodi perſonæ non ſunt conſtitutæ directè ad denunciandum; vt Reſpublica, vel Dominus ditetur ſed vt damna impediantur. Quamobrem officialis qui non denunciauit, ſiue non accuſauit defraudantem vectigalia, tenetur tantùm ſoluere vectigalia pro mercibus, quas defraudator tranſtulit non ſoluto vectigali, & in hac re multum facit praxis bonorum, & vſus, neque Confeſſarij quamuis docti, ſunt conſueti obligare delinquentem ad huiuſmodi reſtitutionem. *Bonac. de oct præcep. decal diſput.* 10. *qu.* 3. *punct.* 1. *nu.* 8. *Nauarr. cap.* 25. *num.* 34. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 19. *dubio* 10. *nu.* 72. *Syluester, verbo reſtitutio* 5. *qu.* 5. *Filliucc. tr.* 40. *cap.* 7. *q.* 7. *num.* 220. vbi aſſerit de pecunia accepta, ne reuelet.

2 Confeſſarius cogere non tenetur Reum ad renouandum dictum, dum Reus negauit veritatem in iudicio, quæ ſi manifeſtata fuiſſet, condemnaretur. Ratio eſt, quia ſacerdos cogere non debet Reum ad ſe prodendum, vt habetur

in *l.nimis graue. ff. testibus*, quia nullus tenetur se ipsum prodere. *Bonac. de oct. precept. decal. disp. 10. qu. 5. punct. 2. nu. 8. Azor. Sanch. Say. Lessius*, & alij apud Bonacinam.

3 Non est improbabilis sententia aliquorum Doctorum asserentium Reum non peccare mortaliter negando crimen in causis, in quibus imponeretur grauis pœna temporalis, modò adsit spes euadendi, negato illo crimine, vt si delictum sit occultum, vt non possit haberi cognitio ad condemnandum Reum dummodo tamen Reus absolutè non iurauerit se dicturum veritatem. Ratio est, quia natura tribuit facultatem hominibus, ad se defendendum, & indidit inclinationem ad conseruationem, & sicut consanguineus cogi non potest ad testandum contra consanguineum, *l. 1. ff. de test.* ita à fortiori, neque cogi potest quisquam ad testandum contra se ipsum; cum nullus sit magis consanguineus, quàm quilibet sibi ipsi, *Lessius lib 2. cap. 31. num. 13. Reginald. lib. 24. num. 31. Filliucc. Bonac. Emmanuel Sà*, & alij.

4 Clericus habens beneficium, habitum & tonsuram non deferens, gaudet priuilegio fori. Ratio est, quia licet Clericus, habens beneficium, priuetur beneficio, non deferendo habitum, & tonsuram iuxta constitut. Sixti V. de facto retinet beneficium, & consequenter gaudere debet beneficiarorum priuilegio, & Concilium Trid. loquitur disiunctiuè per particulam, aut, *Riccius in sua praxi decis. 607. Garz. de benef. l. 2. part. 3. cap. ... n. 5.* vbi ait, *nu. 3.* hoc procedit, etiam si sit tenue beneficium. *Bonac. de precept. disp. 10. quæst 1. pun. 154. n. 11. Lessius, & alij.* Clericus verò, qui non habet beneficium, non gaudet priuilegio fori nisi deferat habitum Clericalem, & tonsuram, & inseruiat etiam ex mandato

Episco.

Episcopi, vel degat in Seminario Clericorum, aut in aliqua scola de licentia Episcopi, quasi versetur in via ad ordines sacros suscipiendos, vt clarè patet ex *Trid. sess. 22. cap. 1. de reform.*

5 Nouitius non habens beneficium, aut ordines puniri non potest à laicali potestate ob delictum commissum tempore nouitiatus. Ratio est, quia ad cognoscendum, cui foro quis subijcitur, inspiciendum est tempus, & statim, in quo tempore delicti reperiebatur, vt ait *Bal. in l. affinitatis, l. communi, de success.* sed nouitius tempore commissi delicti erat immunis à laicali potestate, ergo ab ipsa puniri non potest ob delictum commissum in nouitiatu. Praeterea qui delictum commisit tempore Clericatus non potest puniri à laico relicto habitu Clericali, vt in Concilio Neapolitano iudicatum fuit, pro vt refert *Gramm. decis.* 10. *nu.* 3. de Clerico beneficiario, qui duxerat vxorem, relicto habitu Clericali, ergo neque Nouitius puniri potest à laico *Bonac. de octau. precept. disput.* 10 *qu.* 2. *punct.* 132. *num.* 5. *Abbas. Innocent. Sayr. & alij apud Bonac.*

6 Vota tempore Iubilaei commutari possunt extra sacramentum confessionis. Ratio est, quia in iure non habetur, commutationem esse faciendam in sacramento confessionis, & voti commutatio non est materia necessaria sacramenti paenitentiae. *Bonac. de secundo precepto, disp.* 4. *qu.* 2 *punct.* 7 5 2. *nu.* 16. *Henriquez lib.* 5. *cap.* 20. *nu.* 9. *Sanchez lib.* 4. *c.* 54 *num.* 17. *nu.* 32. *Suarez*, & alij apud cit. DD.

7 Si quis fuit absolutus à peccato reseruato propter dubium à sacerdote inferiore, & postea deposita dubitatione recordatur illud peccatum à se commissum esse reseruatum, censetur validè absolutus, & probabile est, non esse necessarium, vt ad superiorem recurrat pro absolu-

tione.

tione. Ratio est, quia sacramenta administrata bona fide sunt valida, ita *Lugo disp.* 20. *sect.* 1. *Diana*, *Laurentius Longus*, & alij.

8 Superior Religiosus concedere debet potestatem absoluendi à reseruatis; nam si Prælatus licentiam negauerit confessario potenti pro pœnitente absoluendo à reseruatis, nihilominus confessarius pro illa vice eidem pœnitenti beneficium absolutionis impendere possit. Ita determinauit Paulus in declaratione addita decreto Clementis VIII. quæ clausula intelligenda est quoties pœnitens in idem peccatum reseruatum relabitur, toties etiam post petitam, & non impetratam potestatem absoluendi à superiore, absolui poterit à confessario *ita Laurent. Longus cap.* 25 *de absolut. reseruat. num* 36. *Granad. de pœnit. tract.* 10. *disp.* 7. *Bordonus*, *Diana*, & alij apud citatum *Laurent.* & *S. Thom.* testatur, multi sunt adeo infirmi, vt potiùs sine confessione moriantur, quam tale peccatum, tali sacerdoti confiteatur. Propterea qui nimis solliciti sunt, vt sciant per confessionem conscientiam subditorum, multi laqueum damnationis inijciunt, & consequenter sibi ipsis.

9 Qui detinetur legitimo impedimento quominus Romam adire possit, absolui potest ab Episcopo à censuris Pontifici reseruatis, v. g. si Milites obstricti sunt laquo censuræ ob commissum duellum, absolui possunt hac conditione, vt cùm militia functi fuerint, veniant Romam, vt se præsentent Pontifici; vel eius Pœnitentiario, nam milites deferere non possunt signa militiæ absque periurio, ideo non nisi impetrata venia à Principe, non licet eis discedere; Nec obstat, quod in Constitut. Clementis VIII. excipiatur solùm articulus mortis contra duellum, nam exceptio habet vim expressæ concessionis

ab-

absoluendi pro mortis articulo,non autem est reuocatio facultatis à iure concessæ quoad alia tempora legitimi impedimenti, *Bonac.disp.1.qu. 3.punct.2. Sanch.lib.2. de matrim.disp 40.Syluest.* & alij apud *Laurentium Longum loc.cit.num.46.*

10 Restitutio in integrum non competit filijs minoribus in votis, quando credunt notabiliter se esse læsos, etiam si votum factum fuerit in vtilitatem alterius. Ratio est, quia sicut filio non competit restitutio in integrum aduersus parentes ob reuerentiam eis debitam; ergo neque competit in voto aduersus Deum, in cuius honorem fuit factum votum, & in voto non inuenitur læsio, *Bonac.de secundo præcepto decalogi disp. 4.qu.2.punct.75 2.num.24.Sanch.& alij apud Bonac.*

11 Priuilegium concessum Regularibus, etiam si illo in contrarium vsi fuerint, non amittitur, vt constat ex priuilegio concesso Congregationi Sanctæ Iustinæ per Eugenium IV. prout refert *Rodriquez Bulla nona*, qua Pontifex determinauit, quòd si contingerit per aliquem, aut plures actus contra priuilegia, indulta gratias, immunitates eidem Congregationi concessa, aut contra aliquod ipsorum à quocumque cuiuscumque conditionis, gradus, vel status sit ex negligentia, vel ignorantia Pontificiæ constitutionis,aut alia quauis causa,propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore obseruatum ignoranter, vel scienter, nullum præiudicium decretis, priuilegijs, indultis, gratijs generaliter, sed in suo vigore, & robore permaneant, *Diana 3.part.tract.2. num.* 88. *Io: Crucius libro 2. cap 2. dist.* 1. referens concessum fuisse Monachis Benedictinis, ne contra illos præscribantur priuilegia,nisi per centum annos,*Laurentius Longus de priuileg.Regul.cap.57.num.*11.

12 Fœ-

12 Fœmina contrahens matrimonium inualidum coram proprio Parocho, si postea se transtulit ad Parochiam sui sponsi cum intentione ibi perpetuò permanendi, non potest conualidare matrimonium coram Parocho priore. Ratio est, quia prior Parochus non est ampliùs proprius Parochus, cùm iam mutauerit domicilium per habitationem Parochiæ sui sponsi. *Bonac. de legib. disp. 1. quæst. 1. punct. 6. num. 4. Sanchez lib. 3. de matrimon. disp. 23. num. 15.* & alij, quos referunt citati Doctores.

13 Quando res incerta applicata est pauperi, si postea inuenitur dominus, post applicationem, applicans ad nihilum tenetur, si adhibuerit sufficientem diligentiam ante applicationem. Ratio est, quia facta sufficienti inquisitione purgauit culpam ad inueniendum dominum. *Bonac. de restitut. disput. 1. quæst. 3. punct. 4. num. 17. Henriquez lib. 7. cap 34. num. 6 Molina, Filliucc. & Reginaldus.* Neque pauper tenetur restituere domino rem incertam, cui applicata est post adhibitam diligentiam. Ratio est, quia acquisiuit dominium rei sibi traditæ, alioquin si dominus adhoc retineret dominium, res illa non profuisset spiritualiter domino. *Bonac. loc. cit. nu. 19. Lessius, Reginaldus, & Vasquez.*

14 Peccat mortaliter, qui occidit, aut vulnerat animal alterius, dum facit damnum in sua possessione. Ratio est, quia non habet ius occidendi, neque vulnerandi, sed illud expellendi, & exigendi satisfactionem. Hæc propositio intelligenda est, nisi aliter non possit impedire proprium damnum. *Bonac. disp. 1. qu. 3. punct. 7. num. 24. de restitut. Emmanuel Sà, verbo, restitut. nu. 47. Turrian. disp. 42. ad finem. nu. 16.* vbi refert exemplum de eo, qui diruit domum vicinam, per quam incendium erat ad suam peruenturum.

15 Qui

15 Qui ad aliquem ordinem euectus est à Summo Pontifice non potest ad sublimiores ordines pariter ab alio, quàm à Summo Pontifice promoueri, non impetrata licentia ipsius Summi Pontificis, man hoc est speciale propter excellentiam superioris, qui manum imposuit, *cap. in distribuendis de tempor. ordinan.* potest tamen huiusmodi ordinatus iudicari à suo Ordinario. Ratio est, quia non eximitur à sua iurisdictione. *cap. per tuas, de maior. & obed.*

16 Committens aliquod delictum, propter quod bona publicantur ipso iure, peccat mortaliter, si alienet bona, siue alienet post sententiam, sue ante. Ratio est, quia exponit accipientem periculo damni, & facit ipsi iniuriam non admonendo de periculo, alienationes tamen huiusmodi factæ tenent. Ratio est, quia accipiens acquisiuit dominium, sequuta tamen sententia declaratoria criminis; bonorum confiscatio retrotrahitur ad diem commissi delicti, ac si fuissent bona confiscata, & omnes alienationes rescinduntur ab eo die factæ quouis titulo, etiam si peruenerint ad multos possessores bonæ fidei, excepta tamen præscriptione. Ratio est, quia fiscus acquisiuit ius à die commissi delicti in bona delinquentis, & omnia bona transeunt cum onere. *Bonac. de contract. disp. 3. q. 8. punct. vlt. num. 2. & 4. Syluester, verbo hæres. 1. nu. 14. Sotus, Henriquez, Azorius, Sanchez.*

17 Aduertendum tamen est, quòd committens huiusmodi homicidium non tenetur restituere bona fisco ante sententiam Iudicis declaratoriam. Ratio est, quia non amittit neque dominum, neque possessionem. *Ita Bonac. loc. cit. num. 1.* cum multis alijs, *Angelus, Imola, & communiter Doctores in l. si quis maior. C. de transact.* vbi dicunt, & dant regulam generalem, quod omnes

omnes leges, quæ dicunt aliquem puniri bonorum confiscatione ipso iure, intelliguntur, dummodò tamen fuerit sequuta sententia declaratoria, ob quam fuit declaratum delictum esse commissum, aliter pœna non sortitur suum effectum, hoc tamen intelligendum est, modò lex, vel statutum non adiungat illam particulam (non requiri vllam declarationem) prout declarauit Paulus II. Venetus in Extrauagant. *Ambitiosæ*.

18 Aduertendum tamen est, quòd Simoniacus tenetur restituere omne temporale, quod accepit per simoniam. Ratio colligitur ex *can. qui studet*, 1. *q.* 1. vbi habetur, quòd simoniacus retinere non potest temporale, quod accepit per simoniam, ergo signum est, quod tenetur restituere pretium acceptum ante Iudicis sententiam; nam restitutio facienda est statim, vt ait S. *Th.* 2.2.*q.*62. Ratio est, quia sicut auferre rem alienam est contra iustitiam, ita etiam, & retinere, & habetur etiam in *cap. de hoc*, *de simonia*, vbi Pontifex mandat Reges, & Principes inducendos esse ad restituendum, quod acceperunt præstando consensum electioni Episcopi, & redditur ratio, quia ea sine graui suæ salutis periculo retinere nō possunt, & ita restitutio facienda est ante Iudicis sententiam quia sic colligitur ex dicto *cap. de hoc*, vbi generaliter asseritur, accepta pro præstando consensu ad electionem restituenda esse, quia retineri non poterunt sine periculo salutis, ergo signum est, quod bona temporalia simoniacè accepta pro actione ordinata ad consequutionem beneficij restituenda sunt in conscientia ante Iudicis sententiam, nam quod non est restituendum ante Iudicis sententiam, retineri potest sine periculo propriæ salutis; ita Doctores communiter apud *Bon. de simon q.* 3.*pu.*3.*n.*8.

19 Confirmatur etiam, quod dictum est ex

c. detestabile, de simonia, vbi habentur hæc verba: Per electiones, postulationes, confirmationes, seu quas vis alias dispositiones, quas simoniaca labes contigerit, cuiquam nullum ius acquiratur; ergo si nullum ius acquiratur, simoniacus restituere tenetur quod accepit per simoniam ante Iudicis sententiam.

20 Committit homicidium, qui mandauit percutere, vel verberare suum inimicum, expressè imponendo, ne illum occideret, si mandatarius occidit inimicum. Ratio est, quia mandauit actiones, quæ sunt mortis periculosæ, cum non adhibuerit sufficientem diligentiam ad præcauendam mortem, & hoc homicidium appellari potest casuale. *Bonac. de Irregul. dist. 7. qu. 4. pun. 8. n. 18. Filliuc. nu. 94 & extat. cap. expressum, cap. vltimo, de homicidio, Suar.* & communiter Doctores.

21 Delectatio venerea est eiusdem speciei cum opere externo, vt supra dixi de motu sensualitatis *num. 90.* Ratio est, quia quando adest delectatio venerea in voluntate, necessariò sequi debet in appetitu, consequenter in confessione explicandam esse circumstantiam personæ, circa quam fuit delectatio. *Bonac. de his, quæ pert. ad vsum matrim. quæst. 4 punct. 8. Lessius, Nauarr. Sanchez, & alij.*

22 Difficultas tamen est, An pœnitens explicare debeat in confessione, quando opus venereum externum iam consummauit, vel sufficiat ei dicere habuisse delectationem de re venerea in talem personam, dummodò actus internus sit eiusdem speciei cum opere externo; nam pœnitens tenetur confiteri peccata, siue circumstantias mutuantes speciem iuxta Concil. Trident. in hoc casu non adest mutatio speciei operis interni in opus externum, ergo quasi videtur pænitentem non teneri explicare hanc circumstantiam.

tiam. Hoc non obſtante pœnitent tenetur explicare hanc circumſtantiam. Ratio eſt, quia hic eſt ſtilus Eccleſiæ, qui legem facit, & ita communiter obſeruatur, & peccata ſunt confitenda eo modo, quo fiunt, dictum, factum, concupitum, vt ait S. *Auguſt & ita determinauit Alexander VII. Summus Pontifex die* 20. *Septembris* 1665. in Congregatione generali Sanctæ Romanæ Inquiſitionis incipiente, *Sanctiſſimus*.

23 Contrahens matrimonium, ſi de eius valore dubitat, petere non poteſt debitum, ſed reddere tenetur, vt probatur *cap. dominus, vbi gloſſa de ſecund. nup.* in quo habetur, quod ſi quis dubitat de morte coniugis, niſi priùs certificetur, contrahere non debet, & ſi contrahat, tenetur reddere, ſed non poteſt exigere.

Confirmatur ex *cap. inquiſitioni, de ſent. excommun.* in quo habetur, quod ſit coniux dubitat de validitate matrimonij, tunc ſi illud dubium prouenit ex conſcientia probabili, & diſcreta poteſt reddere debitum, non tamen exigere; ſed ſi ex leui cauſa, & temeraria depoſita conſcientia ex conſilio paſtoris ſui poteſt reddere, & exigere debitum, ſi tamen probabilitas hinc inde eſſet æqualis, tutior pars eſt eligenda, quando ex electione alterius immineat periculum peccati mortalis, quia tunc verum eſt illud *Eccleſ.* 3. Qui amat periculum peribit in illo, *Sylueſt. verbo debitum, num.* 4.

24 Probatur etiam ex *cap. Iuuenis, de ſponſ.* vbi habetur, quòd quidam Iuuenis duxit puellam nondum ſeptem annorum ſponſalia contrahendo cum ipſa, & tentauit cum ipſa, quod complere non potuit, tandem mortua fuit, vel dictus Iuuenis ab ipſa receſſit, antequam poſt ſeptem annos ſponſalibus conſenſiſſet, & cum alia conſanguinea ipſius puellæ matrimonium

contraxit. Quærebatur vtrùm possent simul remanere, Respondet Summus Pontifex in his, quæ dubia sunt, quod certius seruari debet, & glossa ibi dicit, tene certum, & dimitte incertum, ergo qui dubitat de valore matrimonij petere non potest debitum, sed tenetur reddere.

25 Vicarius Generalis habere debet primum locum super omnes dignitates, non solùm quando Episcopus est absens sed etiam quando est præsens non obstante consuetudine, alijsque in contrarium. Hæc propositio intelligenda est, modò non sit Canonicus, tunc sedere debet proprio loco, non debet vti rochetto, & mozetta, nisi sit Protonotarius, illis tunc vti potest in Choro, & Processionibus, cæterisque functionibus per Diœcesim suæ iurisdictionis, & si sit Canonicus non lucratur distributiones quotidianas, nisi vtatur suo habitu Canonicali. *Barbosa in verb. Vicarius Generalis*, præcedentia nonnulla decreta cumulans circa materiam præcedentiæ, notatu, & scitu digna.

26 Confessarius non tenetur semper, audito quolibet peccato iudicare, an sit mortale; vel veniale. Ratio est, quia vix reperiretur in toto Mundo vnus confessarius idoneus, cum nullus ferè cognoscat omnes peccatorum rationes, circumstantias, & casus difficiliores, sed sufficit si iudicet de his, quæ scire tenetur, de alijs autem difficilibus suspendere debet iudicium, docto remedio pœnitenti ne reincidat. Quapropter confessarius non tenetur, nec potest in dubijs ferre iudicium, vt si pœnitens dubitet, an consenserit, an habuerit sufficientem deliberationem, vel quid simile: nam tunc iudicium faciendum est secundùm allegata, vt ait *Bonac. de pœnit disp. 5. q. 7. pu. 4 n. 12. Syluest. verbo Confessor. 3. n. 1. 13. Suarez, Vasquez, & Reginald.*

27 Confessarius absoluere tenetur pœnitentem siue sit Parochus, siue alius Sacerdos habentem opinionem probabilem, quamuis ipse confessarius sequatur contrariam. Ratio est, quia pœnitens qui sequitur opinionem probabilem, non dicitur minus dispositus, nam licitè, & tutè sequi possumus opinionem probabilem. *Bonac. loco cit. punct.5. num.26. Filliuc. Sanchez*, *Suarez*, *Sayr.* & alij apud *Bonac.*

Iurisdictio, seu facultas concessa absque determinatione temporis ab Ordinario, vel à quouis alio ad audiendas confessiones, vel ad absoluendum à censuris, non cessat, si moriatur qui eam concessit, siue remoueatur ab officio, siue suspendatur eius potestas, Ratio est, quia priuilegia, & gratiæ non extinguntur morte concedentis. *Laurentius Longus de Iurisdictione confess. cap.20. num.27. Lugo disput.19. sect.2. Suarez disp.28 sect.3. Bonac. de leg. disp.1. quæst.3. puncto 8. num.24.51. Sayr. Henriquez*, Emmanuel Sà, & alij quamplurimi; & hic est vsus, & praxis, vt benè refert *Bonac. loco citato.*

28 Debitor, existens in extrema necessitate, & in eadem est creditor, non tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia quando sunt necessitate pares, melior est conditio possidentis, & ideò plus debitori fauet, quàm creditori, rem sibi esse debitam, nam tam intimè innatum est homini desiderium se conseruandi, vt nulli quicquam tunc plus debeat quàm sibi ipsi, & de iure naturæ omnia sunt communia, de iure gentium dominia rerum sunt diuisa; At ius gentium non tollit ius naturale, ergo in extrema necessitate non cogitur illi restituere, quia sibi ipsis iure naturæ fauere debet, quia ius gentium neq; in præiudicium facere extremæ necessitati. *Sotus de iustitia, & Iur. lib.4. q.7. art.3. ad quartum, Caiet.*

2.2.q.62.cap.5.ad quartum, Pater Euangelista de Rossis in sua summa de restitut.num.55.

29 Incidunt in excommunicationem, latam contra iniustos detentores, qui damnum leue intulerunt, quod simul sumptum materiam notabilem constituit, nam licèt non peccent mortaliter accipiendo, peccant nihilominùs non restituendo, consequenter possunt ligari excommunicatione, sicut etiam possunt ligari, qui eos non denunciant. Sed dicet aliquis, non potest præcipi sub pœna excommunicationis, nisi pro lethali culpa; Nam responderi potest, quod hoc est verum ratione culpæ, ratione tamen magni damni emergentis vtique præcipi potest, vt in casu nostro, ita *Bonacina de onere denunc. disput. 6. punct. 5. cap. 7. nu. 9. Pater Euangelista de Rossis in sua summa de restitut nu.* 100. *Filliucc. Suarez, Sotus*, & multi alij apud *Bonac. loc.cit.*

30 Ratum habens simoniæ vitium, non ligatur excommunicatione. V. G. Caius pecuniam soluit, vt Titius consequeretur beneficium; Titius in hoc non ligatur vinculo excommunicationis. Ratio est, quia in hac extrauagante non est sermo de ratum habentibus; cognita tamen simonia à Caio facta Titio ignorante, tenetur beneficium resignare, si non resignat, licèt peccet, tamen non incurrit in simoniæ vitium, & consequenter non incurrit excommunicationem contra obtinentes beneficia simoniacè. *Bonacina de simon. disput.1.qu.7.cap.2.nu.12.Lessius lib.20.cap.22.dub.24.num.136. Couar. Nauar. Suarez, Sayr.*

31 Clericus habens beneficium, seu canonicatus, qui totus consistit in distributionibus quotidianis, potest pro suo arbitrio, & voluntate disponere. Ratio est, quia distributiones

tra-

traduntur ob seruitium personale tamquam stipendium laboris, consequenter sunt bona quasi patrimonialia, de quibus disponere potest beneficiarius tamquam dominus, secus autem quando non consistit in distributionibus quotidianis, tunc beneficiarius sumere potest fructus necessario ad congruam sustentationem; superfluos tenetur tradere pauperibus; vel parentibus, & consanguineis indigentibus, vt habetur in *Trident. sess. 25. cap. 1. sub finem*; vbi habentur hæc formalia verba: Omnino eos interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiare sue suos augure studeant, cùm & Apostolorum canones prohibeant; ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, ijs vt pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa. Ita *Bonac. de obligat. benef. disput. 4. puncto. 2. num. 15. & 18. Syluester, verbo Clericus 4. quæsito 4. Azor. Conar. Gonzalez*, & multi alij apud citatos Doctores.

32 Remanent omnes hostiæ consecratæ, quando quis plures hostias detulit ad altare consecrandas, si in actu consecrationis tantùm recordatur illius hostiæ, quam præ manibus habet, dummodò tamen intentio præcedens perseuerauerit virtualiter. Ratio est, quia habet intentionem determinatam ad omnes hostias virtualiter, non actualiter. *Bonac. de Sacram. Eucharistia disput. 4. q. 2. puncto 5. num. 6*, Syluester, *verbo Eucharistia, quæsito 6.* Reginald. *Coninch. Henriquez, & Angel.*

33 Hæreticis non gaudent immunitate Ecclesiastica, vt supra dixi de immunitate Ecclesiæ; Hæc propositio intelligenda est non solùm de ijs, qui cum pertinacia sentiunt contra fidem, sed etiam de ijs, qui auxilium, aut fauorem hære-

ticis præbet. Ratio est, quia sicut proditores hominum non gaudent hoc priuilegio, ita neque hæretici sunt digni hoc fauore, qui appellari possunt proditores Dei, & Ecclesiæ, & hoc crimen hæresis expressè excipitur in Bulla Gregorij XI. I. vt benè refert *Bonac. de excomm. extra Bullam Cœna c 10 num.* 1. *Syluester, Filliucc. Couar. Suarez*, & alij communiter, qui addunt hoc etiam verum esse, si non sint declarati hæretici, sed tales præsumi possint sufficienter.

34 Obtenta absolutione ab Episcopo, vel eius Vicario ab excommunicatione ipsi reseruata sub conditione cum onere satisfaciendi parti læsæ, non incidit in eandem excommunicationem, data occasione satisfaciendi renuat satisfacere. Ratio est, quia sumus in materia odiosa, & pœnali, in qua fieri non debet extensio vltra dispositionem verbis expressam; nam Summus Pontifex imponit onus reincidendi in ijs, qui à Sede Apostolica, vel ab ipsius legatis sub conditione sunt absoluti, sed postea conditionem, & onus non adimplent; Hæc sunt formalia verba Pontificis: Idem statuimus de his, quibus cum à Sede Apostolica, vel à legatis ipsius absolutionis beneficium à quibuscumque sententijs consequuntur iniungitur; &c. Ita *Bonac. loco citato punct.* 22. *num.* 8 *Nauar. Suarez, & Caietanus.*

35 Beneficiarius non tenetur soluere fructus pensionis excommunicato Pensionario. Ratio est, quia est incapax omnino, & æquiparari potest mortuo. *Bon. de ijs, quæ ad priuat. offic. disput.* 1. *quæst.* 5. *punct.* 4. *nu.* 7. *Gigas de pensionib. quæst.* 36. *num.* 5. & alij apud *Bonac.*

36 Qui diuinum officium recitauit, sed dubitat, an aliquem Psalmum, Antiphonam, vel quid simile prætermiserit, dubitans non tenetur

tur recitare præfatum Psalmum, vel Antiphonam. Ratio est, quia aperiretur via infinitis scrupulis, & adest ratio deponendi dubium, cùm non facilè prætermitti soleat quidquam; Neque obstat illa regula; In dubijs tutior pars est eligenda iuxta *cap. ad audiendam*, *& cap. Iuuenis, de sponsal.* nam respondeti potest illos textus non inducere regulam generalem, sed particularem, iuxta casus ibi expressos. *Bonacina loco citato disput.* 1. *quæst.* 6. *punct.* 3. *num.* 12. *Filliuccius*, *Azorius*, *Nauarrus*, *Suarez*, & alij apud dictos Doctores.

37 Parochus, vel alius Sacerdos extrahens puerum alterius Parochiæ inuito Parocho, illumque alibi baptizat, peccat mortaliter. Ratio est, quia vsurpat sibi iurisdictionem, & munus alterius in re graui, non tamen incurrit excommunicationem, suspensionem, neque irregularitatem. Ratio est, quia hæc pæna nullibi reperitur expressa. Ita Bonac. *de Bapt. disput.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 10. vbi allegat multos Doctores, potest tamen puniri pœna extraordinaria à superiore propter magnam iniuriam factam proprio Parocho.

38 Domicilium alicuius ibi est, vbi quis fortunę suæ maiorem partem constituit, vel bonorum suorum magnam partem, vel familiam habet, *l. Ciues*, *C. de Incolis*. Sola autem domus non constituit domicilium, *l. Libertini*, *§. sola ff. ad municipal.* sed magis erit, vbi quis rerum suarum summam constituit.

39 Prætereà ad hoc vt acquiratur domicilium requiritur animus, & factum, idest inchoatio habitationis, & animus in eo loco perpetuo habitandi; ergo animus, & factum requiritur, vt domicilium amittatur. Bonac *de legib. disp.* 1 *q.* 1. *punct.* 6. *nu.* 59. *Syluester verbo*, *domicilium*;

Lessius Salas, Pan. & alij apud citatos Doctores.

40 Verùm si dubitetur an aliquis decreuerit in aliquo loco perpetuò commorari, & consequenter, an contraxerit domicilium. Ex habitatione decem annorum præsumitur decreuisse ibi perpetuò manere, & consequenter ibi domicilium contraxisse *Masc.* & multi alij apud *Bonac. loco citato num.* 41.

41 Proprius Parochus potest extra confessionem absoluere à minori excommunicatione: nam facultas absoluendi ab excommunicatione minori non censetur illi concessa cum limitatione in confessione absoluendi. Potest etiam Parochus etiam si non sit Sacerdos absoluere à minori excommunicatione. Ratio est, quia hæc absolutio non est actus ordinis, sed iurisdictionis, qui videtur competere Parocho, etiam si non sit Sacerdos. *Bonac. de excom. disp. 2. q. 3. num. 23. & 24. Filliuc. q. 6. num. 40. Suarez, Reginald. Sayr.* & alij apud citatos Doctores.

42 Qui dubitat aliquem esse excommunicatum, & simul esse denunciatum, non debet illum euitare, nec potest. Ratio est, quia potest esse, vt non sit excommunicatus, & euitando illum exponere se periculo faciendi illi iniuriam; si verò scit esse excommunicatum, sed dubitat esse denunciatum, vel nescit, potest illum euitare, si velit, tamen regulariter loquendo, euitare illum non tenetur. Ratio est, quia non tenetur euitare nisi excommunicatum denunciatum, vel notorium Clerici percussorem, vt patet ex Concil. Constantiensi. Ita *Bonac. disputat. 2. q. 2. punct. 6. cap. 2. num. 42. Filliuc. num. 192. Sanchez, Suarez.*

43 Dantur casus, in quibus non potest quis communicare cum excommunicato, si dubitet esse denunciatum, vel non. Primus est quando

immi-

immineet periculum faciendi actum irritum, communicando cum excommunicato, & hoc esse potest in Confessario excommunicato, sed dubitetur illum esse cuitandum, tunc quis confiteri non potest peccata sua, secluso scandalo. Ratio est, quia potest esse reuera, vt ille Sacerdos sit excommunicatus vitandus, & consequenter conferre non potest validam absolutionem defectu iurisdictionis. Secundus, quando imminet periculum scandali. DD *loc. cit.*

44 Religiosus, habens pensionem de licentia Papæ, potest illam ad libitum expendere, eo tamen mortuo, residuum pensionis pertinet ad monasterium, dummodo tamen non sit subtractus ab obedientia Prælatorum, & extra monasterium mortuus sit, tunc enim acquisita à Religioso pensonario spectant ad Cameram Apostolicam, vt patet ex motu proprio Gregorij XIII. Ita Bonac. *de claus. & panis violat. quæst. 2. puncto 9. cap. 4 nu. 18. Sanchez, Azor. Emmanuel Sà*, ab ipsomet relati.

45 Matrimonium celebrari potest coram Parocho, siue viri, siue vxoris. Ratio est, quia *Concilium Tri.* dicitur matrimonium contrahendum esse coram Parocho, & non magis expressit Parochum fœminæ, quam viri. Ita declarauit Congregatio Cardinalium, prout benè refert Bona. *de natura, & proprietate matrim. qu. 2. punct. 8. nu. 10. Ric. Reginal. Nauar.* & alij apud Bonac.

46 Sacerdos sæcularis, aut regularis, qui coniungit non sibi subditos, aut ipsis benedicit sine licentia Parochi, vel Ordinarij, ipso facto incurrit suspensionem; Iure verò antiquo incurrebat excommunicationem, *Clem. 1. in fine de priuil.* sed illa modò sublata est. Ita sustinet Rebellius in declaratione Cardinalium post quartum librum *sent. 3. nu. 83.* & multi alij relati à *Bo. loc. cit. n. 15.*

47 Milites armatæ militiæ possunt dare aliquid fæminis, seu concubinis ob turpem amorem, & fœminæ, seu concubinæ non tenentur restituere acceptum. Ratio est, quia in iure nō probatur sufficienter huiusmodi militem non posse dare fœminis, seu concubinis ob turpem amorem. Neque obstat *tex. in leg. 2. C. de donation. inter virum, & vxorem, & in leg. miles, C. de testam.* Nam responderi potest illas leges loqui de donatione, quæ in iure est prohibita inter prædictas personas, non verò de eo, quod datur tanquam pretium, *Bona. de restit. in genere dis. 1. q 3. punct. 3. nu. 3. Scrus 4. de iust. q. 7. articulo 1. ad secundum.*

48 Religiosus professus reuocare non potest testamentum factum ante professionem, dummodo tamen non obtineat priuilegium à Summo Pontifice, vel transferatur in statu; in quo habeat facultatem disponendi. Ratio est, quia testamentum reuocari non potest sola voluntate contraria, aut expressa reuocatione, sed alio testamento, vt probatur *ex l si iure ff de leg. 2.* & sicut Religiosus est inhabilis ad testandum, ita etiam ad reuocandum. *Bonac. Sanch. de matrim. lib. 6. disp. 17. nu. 12. Tuscus de contract. disput. 2. q. 17. punct. 6 nu. 7. Molina, Vasquez,* & alij apud citatos DD.

49 Quarta funeralis non debetur Parocho ex anniuersarijs, & missis, quæ celebrantur in Ecclesia exempta. Ratio est, quia exemptus ab onere, non est subiectus oneri. Hæc propositio intelligenda est, modò non adsit dolus, vel fraus in præiudicium proprij Parochi, vt V. G. si hæres ex indignatione erga Parochum cum minimo apparatu corpus deferri curauit ad Ecclesiam regularium, & die sequenti magna cum pompa, & candelarum quantitate celebrare voluit officium, tunc enim soluenda est quarta proprio

Paro-

Parocho ex funeralibus secundo loco factis. Ratio est, quia dolus, & fraus nemini debent patrocinari, & fraudem facere dicitur, qui non facit, quod debet, *l. quae in fraudem, & l. sequenti, ff. quae in fraud. credit.* Ita declarauit Sacra Congregatio Cardinalium, pro vt refert *Bonac. de contract. disp. 3 qu. 21. punct. 5. num. 8. & 9. vbi allegat. Iulium Lauorium in l. variarum elucubrat. titulo 2. cap. 3. num. 19.* Hic autem Romae nulla Ecclesia est exempta siue immunis quo ad quartam funeralem, prout est communis vsus, & obseruantia. Debetur etiam quarta funeralis proprio Parocho si moriatur persona insignis, & post sepultum corpus in patria, fiant exequiae solemnes in alio loco. *Genuensis in sua praxi c. 61. in princ.*

50 Candelae emptę siue ex pecunia haeredum siue ex pecunia vniuersitatis, vel confraternitatis siue collegij, cedunt illi, cui cedunt comparatae pecunia haeredum. Ratio est, quia parum refert, vt huiusmodi candelae sint comparatae potius pecunia vnius, quam alterius, praecisa tamen consuetudine, & statutis in hac re peculiaribus, & in hoc casu faciendam esse arbitror conuentionem cum Parocho, vel Ecclesia, cui cedunt impensae funeris, ad euitandas discordias. *Bon. loc. cit. num. 6. Gulielmus à monte, Clem. dudum, de sepulturis, & Lauorius num. 24.*

51 Congregationes Presbyterorum, seu Capellani alicuius Ecclesiae, qui vellent funeri accedere, praecedere debent in processionibus, siue in alijs functionibus caeteris Presbyteris mercenarijs, dummodo tamen leuatur ab Ecclesia, habente proprios Capellanos, seu defertur ad Ecclesiam, habentem proprios Presbiteros. Ita colligitur *ex statutis Clerici Romani cap. 13.*

52 Promoueri non potest ad Presbyteratum, qui in infirmitate constitutus baptizatur. Ratio

est, quia potius præsumitur ex timore, quàm ex voluntate libera baptizatus; si tamen posteà apparuit bonæ famæ, aut raritas hominum exegerit, tunc poterit promoueri. Ita fuit determinatum *in Concilio Neocæsariensi, cap. 12. can. si quis 57. dist.*

53 Sed dicet aliquis, si hæc irregularitas proueniat à peccato, & baptismus tollit peccatum, quare non tollat irregularitatem? Nam respon- deri potest, quia baptismus inducit hanc irregularitatem, vnde eam tollere non potest; etenim eadem causa non potest parere obligationem, & liberationem, *glossa in dicto can si quis, & l. qui hominem, cap. vltimo, ff. de solut.*

54 Curiales promoueri non possunt ad Clericale officium. Ratio est, quia non solùm tales in suis officijs voluptates turpes exercuerunt, sed etiam quia præfuerunt, & interfuerunt apparitoribus, & minorum ludis. *can. præterea 51. dist.*

55 Quidam dixerunt, quod sacerdotes, vel Episcopi recedentes ab Ecclesia retinent potestatem conferendi Baptismum, sed non potestatem conferendi Ordinem, sed eam amittant; quod falsissimum est, vt probat S. *August. lib. 2. contr. Epistolam Parmeniani cap. 14.* Primò, quia cum vtrumque sit sacramentum, assignari non potest ratio, quare potiùs perdatur vnum, quàm aliud. Secundò, quia consuetudo Ecclesiæ est, quod cum tales redeant, non solent reordinari, si Ecclesia eos tolerare vult. *can. quod quidam, vbi glos. 1. qu. 1.*

56 Potest quis tradere pecuniam Mercatori, & celebrare tres contractus, nempè contractus assecurationis principalis, & contractus assecurationis lucri certi pro maiori incerto V. Grat. Titius dat Caio mercatori pecuniam ad negotiandum titulo societatis, ex qua negotiatione singu-

singuli possent percipere decem, vel vndecim pro centenario, deinde cum eodem Caio init contractum assecurationis principalis, & pro assecuratione accepta à Caio detrahit tres, vel quatuor ex ijs, quæ probabiliter lucraturus erat in societatis contractu, postea pro assecuratione remanentis lucri detrahit vnum, vel duos, quibus iam peractis remanent Titio quatuor, vel quinque pro centenario: in hoc casu Titius accipere potest licitè huiusmodi lucrum. Ratio est, quia isti tres contractus sunt liciti, siue fiant simul cum eadem, siue cum diuersa persona, & videtur seruari æqualitas, cum onera, & grauamina imposita Caio compensentur iusto pretio. *Bonac. de contract. dis. 3. q. 2. pun.* 11 *nu. 2. Sylnester verbo, societas* 1 *q. 2. Nauarr cap.* 17 *n* 255. *Regin. lib* 25. *n.* 297. *Conar. Toletus, Filliucc. Less* & multi apud citatos Doctores.

57 Neque obstat bulla Sixti V. quæ incipit, *Detestabilis auaritia*, in qua damnatur societas, in qua periculum capitalis non remanet apud apponentem; Nam respondetur, quòd in illa bulla damnatur societas, quoties periculum reiiciatur in accipientem per contractum assecurationis. Summus enim Pontifex non videtur, neque intendit condemnare contractum licitum iure communi, si addatur societatis contractus, pro vt clarè constat ex *decis. Rotæ apud Farinac. decis.* 137. *&* 180 *Reginald. Filliucc. Molina, Less. apud Bonac. loc. cit.*

58 Sacerdos, imponendo pœnitentiam, non debet respicere fauorem, neque considerare qualitatem personæ, sed debet iniungere pœnitentiam secundùm leges, & qualitatem peccatorum absque personarum acceptione. Ratio est, quia sicut apud Deum non est acceptio personarum, ita neque debet esse

apud

apud homines, *can. Sacerdos 26. quæst. 7.*

59 Si quis passus fuit iniuriam tenetur dimittere rancorem, sed non iniuriam, etiam si iniurians noluerit satisfacere cui facit iniuriam. Ratio est, quia non est licitum nobis aliquem odio habere, vt habetur in *can. cum in lege 23. quæst. 4.* Ad remittendam tamen iniuriam nullus est cogendus, *glossa in can. si quis dist 90.*

60 Constitutio posterior non tollit priorem quando prior est rescriptum, vel priuilegium, nisi fiat mentio de priori rescripto, vel priuilegio. Ratio est, quia sunt priuatæ leges, & priuatæ leges non censentur derogatæ, nisi de eis fiat mentio, vt dictum est, *cap. cæterum de rescrip. & can quoniam* vbi glossa *dist. 18. cap. licet de constitut. in 6.*

69 Excommunicatio lata contra furem, non comprehendit eos, qui furati sunt rem leuem, etiamsi ex eius ablatione graue damnum sit secutum. Ratio est, quia excommunicatio fertur propter furtum, quod habet malitiam peccati mortalis in specie furti, non autem in specie damnificationis. *Ita Bonacin. de restit. in partic. disp. 2. quæst. 8 punct. 1. num. 9. Filliuc. num. 241. Nauarr. Vasquez, Clauis, Regia, Rebellus,* & alij, apud citatos Doctores.

63 Maius est peccatum fornicatio, quàm furtum. Ratio est, quia opponitur furtum bonis temporalibus, fornicatio verò opponitur bono prolis, quæ rarò benè educari solet, quando suscipitur ex fornicatione, & leuius est alijs peccatis, quæ committuntur contra præcepta Decalogi, *Bonac. loc. cit. num. 11. S. Thom. 2. 2. qu 154 art. 2. Caiet. ibidem, Vasquez, Molina, Clauis Regia,* & alij apud *Bonac.*

64 Quando sententia excommunicationis fertur contra eos, qui surripuerint aliquid, aut con-

tra-

tra confcios,non comprehendit filios, dummodo tamen non adfit fpecialis claufula, qua omnes coniuncti contineantur. Ratio eft, quia Pater, & filius reputantur vna, & eadem perfona, & nemo videtur obligare fe ipfum ad denunciandum,& damnum,quod filius patitur, quia filius, eandem iniuriam videtur pati Pater. *Bonac. de reftit in particulari difp.2 q.10.punct.2.n.9.* vbi allegat multos Doctores in rubrica de cenfuris.

65 Vxor non habens bona paraphernalia contra voluntatem viri fubuenire poteft ex dote, & eius fructibus parentibus,vel filijs, ex primo matrimonio exiftentibus in egeftate, non folùm in neceffarijs vitæ,fed etiam ftatus. Ratio eft, quia filia debet parentes exiftentes in extrema neceffitate fubleuare, ficut etiam mater tenetur alere filios indigentes, & maritus videtur iniuftè impedire,ne vxor adimpleat obligationem,qua detinetur. *Ita Bonac. de reftit in part. difp.2.qu.10. punct.2.nu.10. Leff Petrus Nauarr. Filliuc. Clauis Regia*, & alij *apud* Bonac. Hanc propofitionem habere locum in fratre,& forore exiftentibus in miferia,& egeftate.Ratio eft, quia licet hoc non fit de iure naturæ, tamen pertinet ad officium charitatis, & ad bonum Reipublicæ conferuandæ, Bon *loc.cit.Leff.*& alij.

66 Obferuandum tamen eft; quod vxor poft mortem mariti tenetur conferre in fuam partem, & dotem ea, quæ tradidit Parentibus. Ratio eft, quia vnufquifque ex proprijs alere tenetur parentes. *Bonac.loc.cit.& Leff.dubio* 18. *num* 88. & hæc dicta fint ad laudem Dei Beatæque Virginis Mariæ,& animarum falutem.

FINIS.

IN-

INDEX
RVBRICARVM.

De

De

INDEX

OMNIVM EORVM

Quæ continentur in Tractatu, & Additamentis.

Bapti.

Homi-

PROPOSITIONES DAMNATÆ A SAC. CONGREG.


Contra Hæreticam Prauitatem.

De mandato SS. DD. NN.

ALEXANDRI PAPÆ VII. E T INNOCENTII XI.

Feria v. die 24. Septembris 1665.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & vniuersali Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro ALEXANDRO Diuina Prouidentia Papa VII. ac Eminentiss. & Reuerendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter Deputatis.



Anctissimus Dominus Noster audiuit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ Disciplinæ relaxatiuas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquitas iterum suscitari, partim nouiter prodire. Et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab Euangelica simplicita-

te, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne vllo vnquam tempore via salutis quam suprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctam esse definiuit, in animarum perniciem dilatari, seù veriùs peruerti contingeret, idem Sanctissimus Dominus Noster, vt oues sibi creditas ab eiusmodi spatiosa, lataq; per quā itur ad perditionē, via pro pastorali sollicitudine in rectam semitam euocaret. Earundem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deindè Eminentissimis, & Reuerēdissimis Dominis Cardinalibus contra hęreticam prauitatem General. Inquisit. seriò commisit: Qui tantum negotium strenuè aggressi, eiq; sedulò incumbentes, & maturè discussis vsq; ad hanc diē infrascriptis Propositionibus super vnaquaq; ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ singillatim exposuerunt.

1 Homo nullo vnquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium.

2 Vir equestris ad duellum prouocatos potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3 Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultatis Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Iulij in Consistorio Sacr. Congreg. Eminentiss. Card. visa, & tolerata est.

4 Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absoluere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5 Quam-

5 Quamuis euidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneri denunciare, ſi probare non poſſis.

6 Confesſarius, qui in Sacramentali confeſſione tribuit Pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſse in confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.

7 Modus euadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt: Si ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſoluere abſque onere denunciandi.

8 Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eandem Miſsa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Vrbani VIII.

9 Poſt Decretum Vrbani poteſt Sacerdos; cui miſsæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendij ſibi retenta.

10 Non eſt contra iuſtitiam pro pluribus ſacrificijs ſtipendium accipere, & ſacrificium vnum offerre: neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam iuramento firmata, danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.

11 Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob iſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.

12 Mendicantes poſsunt abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

13 Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè reprobato.

14 Qui facit confeſſionem voluntariè nul-

lam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15 Pœnitens propria auctoritate substinere sibi filium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

17 Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17 Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem grauia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, vti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publicè, & coram grauissimis viris prædicta impingere nisi occidatur.

18 Licet interficere falsum Accusatorem, falsos Testes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum euitare.

19 Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Vxorem in adulterio deprehensam.

20 Restitutio à Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eò quòd sit pœna.

21 Habens Capellaniam collatiuam, aut quoduis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22 Non est contra iustitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interueniente, non exigit illam pro collatione Beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre tenebatur.

23 Frangens ieiunium Ecclesiæ, ad quòd tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contem-

ptu,

ptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, qui non vult se subijcere præcepto.

24 Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

25 Qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis præcepto, dicens: commisi cum soluta graue peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26 Quando litigantes habens pro se opiniones æque probabiles potest Iudex pecuniã accipere pro ferẽda sententia in fauore vnius præ alio.

27 Si liber sit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, reiectam esse Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28 Populus non peccat, etiamsi absque vlla causa non recipiat legem à Principe promulgatã.

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini cura, & studium impenditur, interea idem Sanctissimus re maturè considerata statuit, & decreuit, prædictas Propositiones, & vnamquamque ipsarum, vt nimirum, tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: Ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Roman. Pontif. absolui.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam specia-

li,& specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum, ad praxim deduciant.

Io: Lupus S. Romanæ, & vniuers. Inquisit. Notar. &c.

Loco † Sigilli.

Anno à Natiuitate Domini Nostri I E S V Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, Indictione tertia, die vero 2. mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris D.N. D. A L E X A N D R I Diuina Prouidentia Papæ VII. anno vndecimo supradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campifloræ, ac in alijs locis solitis, & consuetis Vrbis per me Carolum Melanum eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Feria v. die 18. Martij *1666.*

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D.N. ALEXANDRO Diuina Prouidentia Papa VII. ac Eminentiss. & Reuerendiss. DD. S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana aduersus hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter Deputatis.

SAnctissimus D. N. post latum Decretum die 24. Septembris proximè elapsi, quo viginti Octo Propositiones damnatæ fuerunt; examinatis sedulò, & accuratè vsque ad hanc diem infra-

scriptis

ſcriptis alijs quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Teologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reuerendiſſimos D.D. Cardinales aduerſus hæreticam prauitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper vnaquaque ipſarum audiuit.

Propoſito 29. In die Ieiunij, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Ieiunium.

30 Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione Ieiunij, nec debent ſe certificare an labor ſit compatibilis cum Ieiunio.

31 Excuſantur abſolute à præcepto Ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter vnius diei conficiant.

32 Non eſt euidens, quòd conſuetudo non comedendi oua, & lacticinia in quadrageſima obliget.

33 Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas anteà Beneficiarius de fructibus ſui Beneficij fecerit.

34 In die Palmarum recitans officium Paſchale, ſatisfacit Præcepto.

35 Vnico officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.

36 Regulares poſſunt in foro conſcientiæ vti priuilegijs ſuis, quæ ſunt expreſsè reuocata per Concilium Tridentinum.

37 Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo Quinto, hodie ſunt reualidatæ.

38 Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum.

39 Illa particula *quamprimum* intelligitur; cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.

40 Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quę ex osculo oritur, secluso periculo consensus vlterioris, & pollutionis.

41 Non est obligandus concubinarius ad eijciendam concubinam, si hæc nimis vtilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgo, *regalo*, dùm deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tœdio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficilè inueniretur.

42 Licitum est mutuanti aliquid vltra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem vsque ad certum tempus.

43 Annum legatum pro anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44 Quod forum conscientiæ, Reo correcto, eiusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45 Libri prohibiti donec expurgentur possunt retineri vsque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decreuit, prædictas Propositiones, & vnamquamque ipsarum, vt minimum, tamquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet. Itaut quicumque illas, aut coniunctim, aut diuisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, nisi forsan impugnando; ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolui.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedien-

tiæ,

tiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Io: Lupus S. Rom. & Vniuersalis Inquisit. Not.

Loco † Sigilli.

Anno Natiu. D. N. IESV Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, indictione iv. die verò 23. mensis Martij, Pontif. autem Sanctiss. in Christo Patris D.N. Alexandri Diuina Prouidentia Papæ VII. anno vndecimo supradictum Decr. affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in alijs locis solitis & consuetis. Vrbis per me Carolum Melanum eiusdem Sanctiss. D.N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

Feria v. die 2. Martij 1679.

In Generali Congregatione Sancta Romana, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo D. N. INNOCENTIO Diuina Prouidentia Papa XI. ac Eminentiss. & Reuerendissimis Dominis S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimo D. N. Innocentius Papa XI. prædictus ouium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxijs doctrinarum pascuis ab innoxijs, a fel.

record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas propositiones partim ex diuersis, vel libris, vel thesibus, seù scriptis excerptas, & partim nouiter adinuenta Theologorum plurium examini, & deindè Eminentissimis, & Reuerendiss. Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Generalibus Inquisitoribus subiecit, quibus propositionibus sedulò, & accuratè sæpiùs discussis eorumdem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem suam auditis. Idem Sanctissimus D.N. re posteà maturè considerata, statuit, & decreuit pro nunc sequentes propositiones, & vnamquamque ipsarum, sicut iacent, vt minimum tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitatis Suæ quomodolibet & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas vllatenùs approbare.

1 Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum vtendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2 Probabiliter existimo, Iudicem posse iudicare iuxtà opinionem, etiam minus probabilem.

3 Generatim dum probabilitate, siue intrinseca, siuè extrinseca quamuis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4 Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

5 An peccet mortaliter, qui actum dilectio-

ctionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6 Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennijs per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7 Tunc solùm obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, quia iustificari possumus.

8 Comedere, & bibere vsque ad satietatem ad solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9 Opus coniugij ob solam voluptatem exercitũ omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10 Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11 Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12 Vix in Sæcularibus inuenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13 Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquo temporale emolumentum.

14 Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris non quidem, vt malum Patris, sed vt bonum cupientis, quia nimirum ei obuentura est pinguis hæreditas.

15 Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se inebrietate perpetrato propter ingentes diuitias indè ex hæreditate consecutas.

16 Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.

17 Satis eſt; actum fidei ſemel in vita elicere.

18 Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & fidei glorioſum conſulo, tacere, vt peccaminoſum per ſe non damno.

19 Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20 Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habeat ſupernaturalem.

21 Aſſenſum fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili reuelationis; imò cùm formidine, qua quis formidet, ne non ſit loquutus Deus.

22 Non niſi fides vnius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicata Remuneratoris.

23 Fides latè dicta ex Teſtimonio Creaturarum, ſimiliuè motiuo ad iuſtificationem ſufficit.

24 Vocare Deum in Teſtem mendacij leuis non eſt tanta irreuerentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25 Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſiuè res ſit leuis, ſiue grauis.

26 Si quis, vel ſolus, vel coram alijs, ſiuè interrogatus, ſiuè propria ſpontè, ſiue recreationis cauſa, ſiuè quocumque alio fine iuret ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quod vis aliud additum verũ, reuerà non mentitur, nec eſt periurus.

27 Cauſa iuſta vtendi his amphibologis; eſt, quoties id neceſſarium, aut vtile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28 Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentem, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29 Vrgens metus grauis eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30 Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit, idem quoque dicendum ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31 Regulariter occidere poſſum furem pro conſeruatione vnius aurei.

32 Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiua, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſurus ſperamus.

33 Licitum eſt tam hæredi, quàm legatario contra iniuſte impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſoluantur, ſe taliter defendere, ſicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.

34 Licet procurare abortum ante animationem fætus, ne Puella deprehenſa grauida occidatur, aut infametur.

35 Videtur probabile omne fætum, quamdiù in vtero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cùm paritur ac conſequenter dicendum erit in nullo abortui homicidium committi.

36 Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in graui.

37 Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt oc-

cultè

cultè heri sui surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.

38 Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39 Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40 Contractus] Mohatra licitus est etiam respectu eiusdem personę, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito cùm intentione lucri.

41 Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid vltra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vsura excusari.

42 Vsura non est dum vltrà sortem aliquid exigitur, tanquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tamquam ex iustitia debitum.

43 Quidni nō nisi veniale sit detrahētis auctoritatem magnā sibi noxiam fallo crimine elidere.

44 Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, vt suam iustitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia.

45 Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motiuum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46 Et id quoque locum habet, etiam si Temporale sit principale motiuum dandi spirituale; immò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic vt illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47 Cùm

47 Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis, vtiles, ipsi iudicauerint ad Ecclesias promouent Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparatiuo propositiuo: vel secundò locutione minus propria ponit digniores, vel excludat indignos, non verò dignos: vel tandem loquitur tertiò quando fit concursus.

48 Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam inuoluere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, vt contrarium omninò rationi dissonum videatur.

49 Mollities iure naturæ prohibita non est. Vnde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50 Copula cum coniugata, consentiente marito non est adulterium: adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51 Famulus, qui submissis humeris scienter adiuuat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subseruit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter si id faciat metu notabilis detrimenti puta ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aspiciatur, ne domo expellatur

52 Præceptum seruandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53 Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes immò quatuor simul à diuersis Celebrantibus audit.

54 Qui non potest recitare matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.

55 Præcepto communionis annuæ satis fit

per

per sacrilegiam Domini manducationem.

56 Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter viuunt, est nota prædestinationis.

57 Probabile est, sufficere attritionem naturalem modò honestam.

58 Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.

59 Licet sacramentaliter absoluere dimidiatè tantum confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v.g. potest contingere in die magnæ alicuius festiuitatis, aut Indulgentiæ.

60 Pænitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61 Potest aliquando absolui, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62 Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua vtilis aut honesta non fugiendi occurrit.

63 Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64 Absolutionis capax est homo quantumuis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & incarnationis Domini nostri Iesu Christi.

65 Sufficit illa Mysteria semel credidisse?

Quicumq; autem cuiuslis conditionis, status, & dignitas illas, vel illarum aliquã coniunctum, vel diuisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, vel

præ-

prædicauerit, nisi forsam impugnando, ipso facto incidit in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articolo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolui.

Insuper districte in virtute Sanctæ obedietiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus, cuiuscumque condicionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis ne prædictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, vt ab iniuriosis contentionibus Doctores, seù Scholastici aut alij quicumque imposterum se abstineant, & vt paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, vt tam in libris imprimendis, ac manuscriptis quam in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caueant ab omni censura & nota, nec non à quibuscumque conuicijs contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controuertuntur, donec à S. Sede recognitæ super ijsdem proportionibus judicium proferatur.

Franciscus Ricardus S. R. & Vniuer. Inq. Not.

Loco † Sigilli.

Anno à Natiuitate D.N.IESV CHRISTI millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, Indictione secunda, die verò 4. mensis Martij. Pontificatus autem Sanctis. in Christo Patris, & D.N. D. Innocentij diuina prouidentia Papæ XI. anno tertio, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in alijs locis solitis, & consuetis Vrbis per me Franciscum Perinum eiusdem Sanctiss. D. N. & Sanctiss. Inquisit. Cursorem.

DE-

DECRETVM CIRCA COMMVNIONEM QVOTIDIANAM.

CVm ad aures Sanctiſſimi D. N. fide dignorum teſtimonio peruenerit in quibuſdam Diœceſibus vigere vſum quotidianæ Communionis, etiam in feria ſexta Paraſceue, & ſimul affirmari eandem quotidianam Communionem præceptam eſſe à iure Diuino, quin etiam in illius adminiſtratione aliquos abuſus inoluiſſe: videlicet, quod aliqui non in Eccleſia, ſed in priuatis Oratorijs & Domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes vlla grauis infirmitatis nota ſumant Sacroſanctam Euchariſtiam, quam argentea theca incluſam in crumena, aut ſecretò illis deferunt Sacerdotes ſæculares, aut Regulares; alijque in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores ſolito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Cùm autem hæc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit Sacræ Congregationi Cardinalium Concil. Tridentini Interpretum, eadem S. Congregatio præuia matura diſcuſione ſuper prędictis vnanimi ſententia ità cenſuit. Et ſi frequens, quotidianuſque Sacroſanctæ Euchariſtiæ vſus à SS. Patribus fuerit ſemper in Eccleſia probatus; nũquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi, certos ſingulis menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Conci-

lium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem se cum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indicauit, cùm inquit: Optaret quidem Sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent; Idque non immeritò; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negocia spiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona paruulis concessa, quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certè de cuiusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quod ad negotiatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu Laicis negotiatoribus, & Coniugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In coniugatis autem hoc ampliùs animaduertent, cùm B. Apostolus nolit eos inuicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacent orationi eos seriò admoneant, tantò magis ob Sacratissimæ Eucharistiæ reuerentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad Cœlestium Epularum Communionem esse conueniendum. In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum inuigilauit, non vt à frequenti, aut quotidiana Sacræ communionis sumptione vnica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittẽdum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; Illudque omninò prouideat, vt nemo à Sacro Conuiuio seù frequenter; seù quotidiè accesserit repella-

pellatur, & nihilominus det operam, Vt vnusquisque dignè pro deuotionis, & præparationis modo rarius, aut crebriùs Dominici Corporis suauitatem degustet. Itidem Moniales quotidiè Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, vt in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent. Si quæ verò puritate mentis eniteant, & feruore spiritus ità incaluerint, vt dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, operа quoque Concionatorum vti & cum eis constitutum haberi, vt cum fideles ad Sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimque ostendant, eos qui ad frequentionem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem deuoto studio excitantur, debere, siuè Laici negociatores sint, siuè Coniugati, siue quicumque alij suam agnoscere infirmitatem, vt dignitate Sacramenti, ac Diuini iudicij formidine discant cælestem mensam, in qua Christus est, reuereri. Et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad maiorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget huiusmodi deuotio erga Sanctissimum Sacramentum pro illa gratis Deo agane, eamque ipsi adhibito prudentiæ, & iudicij temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, vt omnis irreuerentiæ, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque ac dona in sumentibus augeantur; Quod abundè continget, si ij qui deuoto huiusmodi studio;

diuina

diuina præstante gratia tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentiùs refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueuerunt; Quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cælesti Regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, vt suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porrò Episcopi, & Parochi, seù Confessarij redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de iure diuino, doceant in Ecclesijs seù Oratorijs priuatis, ex dispensatione, seù priuilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam, nec eam vllo modo deferendam in Crumena, aut secretò ad existentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè, & cum pompa iuxtà formam Ritualis Romani; Si verò ab Oratorio priuilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, vt circa Communionem in feria sexta Parasceue, Missalis Rubricæ, & Ecclesiæ Romanæ vsus seruentur, insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiæ formas; seù particulas, neque grandiores, sed consuetas; Non permittant, vt venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarij etiam Regulares, aut quicumque alij Sacerdotes secùs agerint, sciant Deo optimo Maximo rationem reddituros esse neq; de futuram Episcoporum, & Ordinariorum iustam ac rigorosam animaduersionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Iesu, facultate ipsis Episcopis, & Ordinarijs per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et

Et facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbauit, ac præsens Decretum Typis dari, ac publicari voluit. In quorum &c.

Datum Romæ 12. Februarij 1579.

F. Card. Columna Præf.

S. Archiepisc. Brancaccius Episc. Viterbien. Secr.

Die 15. mensis Februarij 1679. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit per Vrbem ad valuas Curiæ, & in acie Campi Floræ, vt moris est, per me Ægidium Felicem SS. DD. PP. Cursorem. Pro D. Magistro Cursorum Gregorius Staggius Apost. Cursor.

F I N I S.

Vidit Franciscus Coli Lucensis.

